R. P.

JACOBI LOBBETII LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

OPERA OMNIA

IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

HAC SECUNDA EDITIONE RECOGNITA, ET AUCTA

Tomis duobus: & insuper, in aliis antea impressis, sparsim aucta Quæstionibus novis quàmplurimis, illustrata selectis Sanctorum Patrum sententiis, Antiquorum præclarè dictis, & magnarum Virtutum exemplis, atque Historiis.

OPUS MAXIMA PARTE NOVUM,

& Concionatoribus, Pastoribus, ac spiritualis vitæ Magistris atque Religiosis perutile.

TOMUS SECUNDUS.

CONTINENS QUÆSTIONES THEOLOGICAS, HISTORICAS & Morales in Evangelia Dominicarum à Pentecoste ad Adventum, cum duplici Indice, Quæstionum & Materiarum.



LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPH. JOAN. MATHIÆ HOVII,

Ad insigne Paradisi Terrestris. M. DC. LXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV

INDEX QVÆSTIONVM
TOMI II.
IN EVANGELIA DOMINICARUM
A PENTECOSTE AD ADVENTVM.

DOMINICA XV. POST PENT

DOMINICA XVI. POST PENT.

DOMINICA XVII. POST PENT

DOMINICA XVIII. POST PENT.

DOMINICA XIX. POST PENT

QUÆ-

QUÆSTIO PROŒMIALIS.

De effusione Spiritus Sancti in Apostolos ac Fideles.



ECCLESIA, à Spiritu Sancto probè docta, inter officia Divina distinguit partem aliam Hyemalem, aliam Æstivam; & quidem hanc incipit à festo Pentecostes. A quo enim potiùs, quàm à Spiritu Sancto, qui in Divinis amor est, & à quo omnis æstus Divini amoris in subjectos mortales effunditur. At quis ille?

Spiritus Sancti.

Serm. de Missione Spiritus S.

Richardus de S. Victore discrimen ponit inter Spiritus Sancti *Infusionem*, *Diffusionem*, *Effusionem*.

Infusio. *Infusio*, inquit, *est etiamsi minus influat quàm vas capere possit.*

Diffusio. *Diffusio* verò *quando eò usque profunditur, donec nulla ejus pars vacua relinquatur.*

Effusio. *Effusio* denique *quando quod infusum est superefluit, ita ut aliis quoque prosit.*

In Fideles ac justos omnes est saltem *infusio* divini illius Spiritus, etsi non tanta, quanta eorum mens, ceu vas quoddam, capere potest.

In Apostolos piè credimus fuisse ejusdem Divini Spiritus *diffusionem*, quia in eorum animis nulla pars eò vacua.

Imò, quod ampliùs est, etiam *effusionem*, quia Spiritus ille æstusque Divini Amoris, ea copia atque ubertate in eos effusus est, ut cùm supereffueret, in alios quoque ab ipsis Apostolis effueret, non sine ingenti eorum bono atque incremento spiritali.

Et quænam illa? Sed hinc emanat altera quæstio, Ecquis sit ille Spiritus in Apostolos sive infusus, sive etiam effusus? An scilicet donum aliquod creatum dumtaxat; puta Gratiæ, aut Caritatis? An verò ipsemet Spiritus Sanctus, donum utique cœleste ac divinum?

Ea quæstio adhuc est sub judice, & tam hæc, quàm illa pars suos habet patronos ac defensores, Theologos scilicet tam Scholasticos, quàm Mysticos.

Theol. Myst. l. 2. Exercit. 12. Sandæus asserit esse donum aliquod creatum, nec aliud; cœleste tamen & ordinis superioris, quo animus mirum quantum extollitur, ditescit, & in eam evadit pulchritudinem quæ etiam Angelis sit stupori, DEO autem amori; in cujus scilicet amicitiam ac filiationem etiam per illud venit. Ejusmodi est *Gratia & Charitas*.

An gratia?

Lib. 4. de Ord. Div. c. 7. & 8. Thomas à IESV, Theologus planè mysticus, contendit esse ipsummet Spiritum sanctum, qui in iis aliquo modo inhabitat, eos ditat, ornat, ac propè beat.

De Perfect. Div. l. 12. c. 11. Et huic sententiæ favet Lessius, ubi docet nos esse propriè & formaliter DEI filios, non tam per donum aliquod creatum, quàm per inhabitationem & possessionem Spiritus sancti vivificantis & regentis animas nostras.

An ipse Spiritus Sanctus? Et huic sententiæ subscribo lubens: facit enim magis ad commendationem Divini in nos amoris, dum non sua tantùm dona; sed seipsum nobis donum facit, qui in Divinis est *substantialis Amor*, id est Spiritus sanctus.

Quod ut in aperto ponatur: pauca hîc statuam, non tam ex norma modóque disceptandi in scholis recepto, quàm concionatorio more stylóque: neque enim hîc Theologum ago, sed sacrum Oratorem.

Primum igitur sit istud: per gratiam habitualem, qua justi sumus & inde etiam DEI filii adoptivi, nobis dari & uniri Spiritum sanctum, seu Spiritum Divinum, qui in nobis incipiat esse novo quodam modo, & nobis inhabitare. Quod ut pateat,

Secundo loco id astruo, gratiam habitualem duobus modis spectari posse. Primò præcisè (ut sic cum venia loquar) & secundùm suam entitatem physicam absque ulla ratione reali vel morali interveniente. Deinde quatenus est vinculum Spiritus Divini. Si primo modo

modo consideretur, facit quidem hominem phisicè justum, id est affectum gratia & justitia physica; non tamen justum moraliter, multóque minus DEI Filium: at si secundo modo attendatur, facit justum moraliter, facit & adoptivum Dei filium. Et hinc

Tertio loco id assero, in ea forma, qua quis constituitur justus & filius DEI, includi Spiritum Divinum, non quidem in recto (ut loquuntur Theologi) sed in obliquo: quia ut quis sit justus & DEI filius, nec debet esse Spiritus Divinus, nec ab illo etiam informari tanquam à forma quadam (hoc enim adynaton) sed habere debet eum inhabitantem & novo modo unitum. Et inde

Quarto loco id tandem confício. Rationem formalem constituentem filium adoptivum, esse habere gratiam habitualem tanquam formam intrinsecam unientem nobis Spiritum Divinum.

Hanc autem vim uniendi non habet ea gratia præcisè ex sua physica entitate; sed ex benigna quadam Dei ordinatione, consentanea tamen naturæ illius doni, quæ eam unionem exigit. Et ita quidem, ut Suarez liberè pronuntiet illud:

Gratiam habitualem esse quasi vinculum inter supremum Spiritum & inferiorem: quod vinculum est adeò forte, ut etiamsi Deus per impoßibile non esset ubique, sed tantum in Cœlo; ex vi tamen collationis gratiæ, Spiritus Divinus inciperet de novo esse in anima. Lib. 1. de Gratia c. 2. n. 5.

His ita ex meliore Theologia constitutis, ad quæstionem initio propositam respondeo. Ipso die Pentecostes Spiritum sanctum non tantùm per sua dona; sed & per seipsum Apostolis ac Fidelibus infusum esse atque diffusum: quod amoris ac beneficentiæ cœlestis fuit ac Divinæ, adeóque quodammodo infinitæ. Resolutio quæstionis.

Et hoc jam inde à nascente Ecclesia insinuatum videtur oraculo Primæ Veritatis, hoc est Christi Salvatoris, qui è mundo hoc aspectabili abiturus sic ad Discipulos.

Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Ioan. c. 14. Tum etiam de eodem Spiritu ait: *Apud vos manebit & in vobis erit.*

Dedit igitur Æternus Pater; dedit, inquam, Apostolis *Paraclitum*. nec tantùm Paracliti dona mansit in iis Paraclitus, & in illis fuit. Probatio.

Imò, quod mireris & ames, etiam unà cum Paraclitò & Pater ipse & Filius sic in illis mansit, sic fuit in illis; imò & in iis omnibus, qui eum diligunt. Sic enim futurum adpromisit aliquando eadem prima Veritas & Incarnata Patris Æterni Sapientia, dum istud extulit oraculum:

Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Veniemus, inquit, *& mansionem faciemus.* Certè sic venire, sic mansionem facere, non est dona sua dumtaxat conferre; sed & unà cum illis etiam seipsum. Ex quo & illud consequi necessum est, ut is ad quem ita venit, & in quo ita manet & DEUS ipse & Spiritus sanctus, ut & DEI & Spiritus sancti templum sit, & augustum veluti diversorium.

Et hoc ipsum est quod altè commendavit Apostolus, dum sic ad Corinthios: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* 1. Cor. 3.

Habitat, inquit, utique per seipsum; nec enim per dona sua quis in altero *habitat*, nisi velis abuti ea voce *habitat*.

Sit Rex unus aliquis, qui liberali manu in alterius sinum gazas omnes suas, puta uniones, gemmas, multumque auri argentique pondus effundat; an ideo in illo esse, in illo manere, in illo habitare dixeris? Enimverò non dixeris, nisi eas voces in alienum planè sensum velis detorquere, & abuti genuina vocum illarum significatione: quod si istud in illo Rege non feceris, non dixeris: cur in Deo facies, qui se in Apostolis, in justis esse dixit, qui se manere & habitare in illis pronuntiavit, & hoc quidem disertis verbis:

Uti deinde & Apostolus DEI vice vocéque etiam ad Romanos: *Charitas Dei*, inquit, *diffusa est in cordibus vestris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Cap. 5.

Datus

Datus, ait, utique per se; nec tantùm per dona sua: nec enim per hæc da i quis censendus est; nec in humanis qui bursam suam pauperi dederit, eidem & seipsum dedisse dicetur unquam: cur igitur & in Divinis? Profectò neque in his facilè dixero; cùm & repugnare videatur Scripturæ sacræ authoritas, & communior Theologorum opinio: ex qua & illud confice; mi Lector, quod & facit ad longè maximam Divinæ in nos bonitatis commendationem, & summum etiam bonum nostrum, propè dixi beatitatem.

Conclusio. In omni justificatione non solùm dari dona creata; hoc est Gratiam, Caritatem, & virtutes huic & illi comites ac veluti pedissequas; sed etiam ipsum Spiritum DEI Increatum, ut animam inhabitet, sanctificet, regat tanquam ejus Spiritus, & ut sit ipsius bonum, & opulentissima veluti possessio, qua etiam suo tempore beatissimè fruetur.

Pluribus supersedeo: qui ea volet fusiùs, consulat Suarez *lib. 12. de Trin. c. 5. n. 5. De Gratia l. 6. c. 2. n. 5.* Curiel *in Qu. 3. d. 2. § 4.* Lessium *de Perfectionibus Divinis c. 11.* & alios de Iustificatione & adoptione Divina.



IACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI.
QVÆSTIONES
THEOLOGICÆ, HISTORICÆ, MORALES
IN EVANGELIA DOMINICARUM.
TOMVS SECVNDVS.

DOMINICA PENTECOSTES.



ENIAM dabis, Amice Lector, si abeam ab Evangelio hujus Dominicæ, & oculos, stylumque flectam ad hujus diei lucem, ac solemnitatem: audit illa *Pentecoste* (hoc est) quinquagesimus à Paschate dies. Is Iudæis sacer fuit, duabus potissimùm de causis.

Una fuit in memoriam acceptæ quondam Legis in monte Sina. Exod. c. 19.

Altera in gratiarum actionem pro novis frugibus, quas terra dedit, & cœlum multo Sole coxit, & in quas tum primùm immittebatur messoris manus, quæ ne suo ingrata videretur authori, duos ex iis panes, veluti frugum primitias offerre placuit. Hujus avitæ consuetudinis piè æmula S. Mater Ecclesia, & ipsa festum Pentecostes instituit, duos etiam ob fines.

Primus est, quia etiam ea ipsa die data Orbi Christiano lex nova, eáque inscripta non duro marmori, & saxo: sed cordibus, & cereis hominum mentibus, ceu melioribus tabulis concredita.

Alter, quia etiam tum temporis oblatæ cœlo propitio animarum primitiæ; tria scilicet hominum millia, quæ Ecclesiæ, Christóque peperit vel unica Petri concio. De his omnibus, ut aliàs disertè, Orator aureus:

Quæ, inquiebat, *lex, quam hodie è Cœlo datam discis? Spiritus gratia. Quæ rationales tuæ tabulæ, in quibus hæc lex insculpitur? Anima, & corpus. Quod tuum altare? mens tua spiritualis. Quod spiritale tuum sacrificium? omnis bona operatio. Quis altaris tui ignis? compunctionis calor. Quod templum tuum à Deo conditum? mundum cor, in quo Deus habitare amat.* Hom. 2. de Pentecost.

Hæc Chrysostomus de prodigiis Divinæ potentiæ, quæ vidit, amavitque ipsa dies Pentecostes, quæ ea fuit, quæ nobis Dominica dicitur; de qua nonnullas movebo quæstiones, si tamen priùs

EX D. THOMA.

Ioan. c. 15. DIvus Thomas ad illa verba: *Cùm venerit Paraclitus, quem mittam vobis à Patre, ille testimonium perhibebit de me*; ait in illis

Serm. 1. in die Pentec. I. Exprimi tres Personas SS. Trinitatis; 1. Patrem, his verbis, *à Patre*. 2. Filium, hac voce, *mittam*. 3. Spiritum sanctum, hoc nomine, *Paraclitus*.

II. SS. Trinitatis charitatem in eo, quòd dederit: 1. Filium, *hominem faciendo*. 2. Spiritum S. *in corde transfundendo*. 3. Seipsam, *nobis largiendo in præmium*.

III. Testi-

III. Testimonium de Christo varium, 1. Ab Angelis in Nativitate. 2. Ab Apostolis. 3. A miraculis. 4. Ab omnibus creaturis. *A cælo*, quòd stellam dedit indicem Christi nati. *Ab aëre, & aqua*, quia venti, & mare obediunt ei. *A terra*, quæ eo moriente mota est. *Ab igne*, qui hoc die supra Discipulos apparuit; denique ab ipso *inferno*, dum mortuos luci reddidit, & vitæ.

Hæc ubi explicuit Angelicus Doctor, tum conficit illud; cùm & *Creator* ipse, & omnis propè *creatura* de Christo testimonium perhibeant, perhibeamus & ipsi; non inani tantùm vocis sono (quod inane esset, & spiritalis boni vacuum) sed re etiam ipsa, vita, & moribus Christum referendo, à quo Christiani dici, & esse volumus.

Dicitur autem Spiritus sanctus *Paraclitus*, id est, *consolator in tribulationibus*, & hoc *tripliciter*. 1. *Cælestes consolationes largiendo*. 2. *Patientiam augendo*, aliáque cœli dona. 3. *Quanta pro modicis tribulationibus futura sint gaudia demonstrando*.

Ea D. Bonaventura subjiciemus pauca quæstione prima in fine.

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORALIS.

QUÆ POTISSIMUM CIRCUMSTANTIÆ festum Pentecostes commendare videantur?

Circumstantiæ. D circumstantias spectare possunt, ac debent, dies, locus, ipsáque solemnitatis ratio, quæ illis quodammodo circumvestiri, ornarique videtur.

Dies. Et quidem primò, ad diem quod attinet, ea *Dominica* fuit: Septima scilicet à Paschate, id est, ab hoc dies quinquagesima; in quó Christiani à Judæis dissentiunt: hi enim Pentecosten celebrant ipso Sabbatho; illi Dominica subsequente, ut ita innuatur quòd legi veteri succedat nova, & quòd hæc in illa desinat.

Placuit autem amabili Dei providentiæ, ut Pascha inter & Pentecosten dies intercederent omninò quinquaginta, ut ea mora magis, ac magis inardesceret desiderium videndæ illius lucis, in qua se spectabilem exhiberet Paraclitus: fit enim nescio quo naturæ impetu, cursuque; ut magis accendatur cupido rei expetitæ, quò longiùs illa abesse videbitur.

Quod ipsum Judæi, sive ex antiquo ritu, sive ex voto suo (hic enim illud non discutio) apertum esse vel ea hoc uno voluerunt, quòd in Synagogis suis, inter preces, & ceremonias sacras, dies singulos computarent: adderéntque ad extrema orationum suarum, & quidem altiore voce: *Hic est primus dies, hic secundus, hic tertius*, & sic, à Paschate ad Pentecosten. Innuebatur hic ardor quidam entheus, & appetentia illius lucis, ac solemnitatis, quæ in Christianis, eò ardentior esse debet, quò magis nostra hæc ab illa distat; & quò diviniuse est donum Spiritus sancti, quod nobis eo die infunditur. Certè quantum interest lucem inter, & tenebras; corpus, & umbram; figuram, & veritatem; tantum necesse est interesse, inter Pentecosten Judæorum, & Christianorum. Sed de hoc modò parciùs.

Locus. A die transeo ad locum. Is fuit *Cœnaculum*: sic appellari placuit à Cœna, quæ illìc sumi solita: Hebræi enim in Superiore ædium contignatione aulas porrigere, & in iis convivia, cœnásque celebrare, unde & cœnaculi placuit appellatio.

Quod autem illud cœnaculum? & cujus hospitis? in occulto est, ideoque adhuc in lite, & sub judice.

Lib. 1 hist. c. 30. Nicephorus, & Cedrenus opinantur fuisse D. Joannis Evangelistæ; Theophilactus, Simonis Leprosi, quocum olim convivari Dominus. In Matth. c. 26.

Ibid. Euthymius, Josephi ab Arimathia, aut Nicodemi, aut alterius inter discipulos meliorìs notæ, & fortunæ, domúsque amplioris.

Ad an. Chr. 34. Baronius credit fuisse domum Mariæ matris Joannis, cui cognomen Marcus.

Idipsum testatur Alexander in vita S. Barnabæ: *In illo*, inquit, *cœnaculo Dominus Pascha fecit, in illo apparuit Thomæ Apostolo, & reliquis fratribus centum viginti: in illo descendit, die Pentecostes. Illicq; collocata nunc est magna, & sanctissima Sion, Ecclesiarum omnium maxima*. Hujus Ecclesiæ meminit S. Hieronymus, & Beda in locis Sanctis; qui & hoc adjicit in eadem repositam olim columnam, ad quam & vincula, & flagra passus est JESUS, immanémque totius corporis lanienam. Hæc authores illi, ex quibus conficis cœnaculum illud situm fuisse in monte Sion, non procul ab arce David. Epist. 27. c. 5.

Fuit autem hoc Cœnaculum non solùm illapsu divini Spiritus celebre; sed & multis aliis nominibus; utpotè velut prima Christianorum Basilica, de qua hæc memorat Adrichomius.

In eodem Cœnaculo prima Petri concione ter mille Iudæi conversi, & baptisati sunt. Ibidem Iacobus frater Domini cognomento Iustus, primus Ierosolymorum Episcopus ab Apostolis est creatus, atque Stephanus, & reliqui sex Diaconi sunt ordinati. Ibidem Apostoli primùm celebrasse Concilium, & in sua Divisione Apostolicum Catholicæ Fidei Symbolum edidisse videntur. Eodem loco S. Helena amplissimum extruxit templum, in cujus postico Cœnaculum circumclusit. Postea in hoc Cœnaculi loco ædificatum est Monasterium Franciscanorum, è quo deinde Turcæ Palatium sibi fecerunt, locumque hunc in tanta habent veneratione, ut nonnisi discalceati eum intrent. Hactenus Adrichomius: ex quo satis intelliges, quæ loco illi velut impressa sanctitas, & quæ ex hac etiam veneratio. Et hæc pauca de loco attigisse sit satis, idque ex authorum Fide, cui nihil ea me additum velim, aut detractum. In descript. Hierus. Acter. 15.

Descendo ad aliam illius Solemnitatis circumstantiam, à qua non modicum accedit ornamenti. Hanc explicant personæ viginti supra centum, in quas eò loci, ac temporis illapsus Spiritus sanctus, ex Christi promisso & illarum voto. Has inter eminebat Virgo MARIA, aliæque fœminæ longè sanctissimæ, quæ Christum olim sequi solitæ. Neque hic audiendus est Beza, qui non imperitè magis, quàm ineptè & Virginem abesse voluit ab illo consessu, & expertem divini Spiritus, qui tamen in eam descendit quàm largissimè. Personæ.

In quo amabis, ac suspicies munificam Christi manum, & divitem in promissis animum; adpromiserat enim missurum se in Apostolos Spiritum sanctum; at in alios quoque emisit decuplo (ut ita loquar) personarum fœnore: ita re etiam ipsa plura præstat, quàm voce spoponderit, contra quam faciunt è mortalibus plerique, qui promissis divites, & largi; at factis pauperes, & parci. Sed ne longiùs.

Ad ultimam circumstantiam spectabat ipsa ratio, modùsque, quo in Discipulos emissus Spiritus sanctus; nimirum derepente, non in sibilo auræ tenuis; Ratio, & modus.

sed

sed in spiritu vehementi, & inflato ventorum turbine, tum etiam in igne, & linguis igneis, quæ singulorum capitibus insederunt, symbolum videlicet insidentis Spiritus sancti. De quibus omnibus ita sacer Historicus.

Act. c. 2.
D. Bonav. in die Pent. Serm. 1.

Primò, *factus est repentè*; nimirùm Spiritus sanctus est *repentinus in festinâ conversione*, ad quam nos invitat; unò impellit afflatu vehementi: *Suscipiamus ergo nunc repentinum Spiritum ad conversionem, nè accipiamus repentinum insectitum ad damnationem*; inquiebat D. Bonaventura.

Cant. c. 2.

Secundò, *De cælo sonus*; quia Spiritus sanctus *sonorus in laude, & oratione*, à qua habet sponsa ut in Dei auribus sit *vox ejus dulcis*. si tamen *facies decora*; *facies*, inquam, *anima*, quæ *conscientia est*.

Tertiò, *Tanquam advenientis Spiritus vehementis*. Nempe *validus est Spiritus sanctus, & vehemens temporalium renunciatione*, à qua *in spiritu vehementi conteret naves Tharsis, id est, vehicula temporalium, quibus sæculares in pelago hujus mundi tanquam navibus innituntur*; has, inquam, contêrit, cùm temporalia instinctu suo contemni jubet.

Quartò, *Replevit totam domum*, quia *repletivus est Spiritus sanctus in bona opinione*; *repletivus*, inquam, primùm domus, & Cœnaculi: deinde etiam Apostolorum: *repleti sunt* enim *omnes Spiritu sancto*; à quo duplex repletio: una Discipulorum, quæ *ad virtutes, & dona*: altera *domus*, quæ *ad bonam famam pertinet*.

Quintò, *Apparuerunt* illis *dispertitæ linguæ*; *linguosus* enim *est Spiritus sanctus in prædicatione*, quæ exercetur dispertitis linguis, quia non uno modo, neque de uno argumento; nam *aliter infirmis, aliter perfectis loquendum est*; & *nunc de pœna, nunc de gloria, nunc de vitiis, & virtutibus* agendum, prout occasio tulerit, & animarum salus.

Sextò, *Tanquam ignis*; *Igneus* quippe *est Spiritus sanctus in dilectione*, tum Dei, tum etiam proximi, qua perpetuò accendi mortales voluit Numen, à quo etiam præceptum illud: *Ignis in altari meo*, id est, *in corde*, ut explicat D. Bonaventura, *semper ardebit*, ardebit inquam, amore; *iste* enim *ardor est amor*.

Lev. 6. c. 6.

Septimò, *Seditq; super singulos eorum*, quia scilicet *quietus est spiritus sanctus in contemplatione*: ab hac bonis mentibus est alta quies; tum quia per illam in Deo suo quiescunt, tum etiam, quia in iis quiescit, hoc est, permanet *Deus*, qui *sedet super sedem sanctam suam*.

Psal. 64.

Et hæc de circumstantiis, quæ diem illum & vestire, & ornare visæ sunt, quibus adjicio miraculum unum, quod deinde sacratiorem illam lucem & cœlo illustrem reddidit, & terris amabilem.

Surius in vita S. Cyrilli, mense Maio.

Ipso Pentecostes festo aliquoties Jerosolymis supra Calvariæ montem Crux de cœlo fulsit magnitudine, & mole propè incredibili, hoc est fermè stadiorum quindecim, cum usque ad Oliveti montem explicaretur, & ipso fulgore Solis radios superaret.

Quid porro portenderet illa Crux? Quid fulgor? in quæstione est, in qua si quis mortali conjecturæ sit locus; dixero Crucem illam demonstrare quasi fontem lucis: lucis, inquam, divinæ, ignis & divini, quo lucere, quo ardere debuerunt hominum corda, animique, & illud quidem beneficio Crucis, quæ origo fuit omnis lucis, omnisque divini ardoris, ut & illa luceas eâ ipsa luce, & hoc etiam eadem ardeas

QUÆSTIO SECUNDA

CVR SPIRITVS SANCTVS APPVLERIT in Spiritu vehementi?

Symbola divini Spiritus.

PIRITUS SANCTUS, qui mortales oculos fugit in ea, qua est natura; sub illos cadere voluit alia, atque alia aspectabili specie. Et quidem

I. Nubes.

Primùm sub imagine nubis modò opacæ, modò etiam roridæ. Ita cùm in Virginem venire debuit cœleste, ac divinum Verbum, Spiritus sanctus illi obumbravit, ut solet ætheri gravida nubes, quæ deinde sese exonerat, & modò tenui imbre, modò densiore nymbo delabitur. *Ita virtus altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit ut* MARIA *pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret umbra credentem*, ait S. Leo; *regeneret*, inquam, salubris aquæ rore, aut pluvia, à cujus beneficio in alias, atque alias virtutes germinet: ut enim doctè animadvertit D. Cyrillus Hierosolymitanus.

Serm. 5 de Nat.

Catech 16.

Sicut una pluvia in universum descendit mundum, & eadem alba fit in liliis, rubra in rosis, purpurea in hyacinthis; ac in diversis speciebus diversa, & in omnibus fit omnia. Sic Spiritus sanctus hujus linguam accommodat ad sapientiam: alterius animam illuminat in Prophetia: illius temperantiam corroborat; alium instituit ad eleëmosynam; alium exercet ad pietatem; alium præparat ad Martyrium, & diversa in diversis operatur.

Serm. 19.

De naturæ lege hoc pronuntiavit Maximus Tyrius, quod mortales *in diversas partes emittat. Pythagoram ad musicam, Thaletem ad Astronomiam, Heraclitum in solitudinem, Carneadem ad castitatem, Diogenem ad patientiam, Epicurum ad voluptatem*; alios ad alia fingit atque adaptat.

Quod, inquam, de naturæ lege dicendum putavit: hoc ego potiori jure de gratia Spiritus sancti; ex hac illi datur gratia curationum; alii genera linguarum; alii prophetia; alii interpretatio sermonum; alii donum aliud in eodem spiritu. Et hæc sunt germina, hi flores, hi fructus, quos in anima, ceu molli, subactoque solo, Spiritus sancti nubes, ac pluvia ingenerare solet. Et hæc omnia designat ea nubes, & umbra, quæ primum Spiritus illabentis symbolum est.

II. Columba.

Secundum, est blanda, ac mitescens columbæ species, sub qua etiam visus è Cœlo labi Paracletus.

Matth. c. 3. v. 16.

Ita visus olim à S. Joanne Baptista in Christi caput illabi.

Bollandus 6 Febr. pag 765.

Ita deinde etiam in os Simonis Franciscani, Turoniæ ministri, viri in paucis pii, & qui à Francisco Gonzaga inter beatos Ordinis Seraphici recensetur cum illustri elogio.

Adeò columbæ speciem adamavit sacrum Pneuma, & sui symbolum esse voluit: Primùm, quia columba avis est inprimis mansueta, simplex, innocens, fœcunda: & talis videri vult Spiritus sanctus, quia tales eos format, in quos illabitur.

Gen. c. 8.

Deinde symbolum est pacis, & pacati Numinis index: & ea quoque audiit à Noëmo, cui post illam immensam aquarum eluviem, ramum attulit virentis olivæ.

III. Spiritus.

Mitto cætera, quæ de hoc symbolo jactari possent, descendòque ad aliud, quod huic loco proprium est, ac singulare. Est illud, *Spiritus vehemens*, symbolum quoque appellentis Spiritus sancti, cujus rationes hic inquiremus.

Rationes.

Ex illis aliquæ ad Deum spectare videntur; aliæ ad Apostolos; aliæ ad reliquos mortales, & commune generis nostri bonum.

I. Ad Deum ſpectat. Ad Deum, ſummúmque Numen hæc attinet. Tertia in Divinis Perſona, *Spiritus* appellatur, quia à Patre, Filióque, velut uno principio, ſpiratur: dum enim ſeſe infinitè amant Pater, & Filius; Spiritum ſanctum, qui amor perſonalis eſt, ſpirant.

Ut ſonus edatur, neceſſe eſt inter ſe allidi duo corpora, atque ex hac alliſione enaſcitur ſonus. Simile quippiam in proceſſione Divini Spiritus; ut hic procederet jam inde ab æternitate Deus de Deo; impere quodam amoris tangi debuit Pater, tangi debuit & Filius, atque ex hoc veluti tactu, impetúque divino ſeſe amantium, proceſſit Spiritus ſanctus, cujus ideò ſymbolum eſt ſonus; ut Divinam ejus proceſſionem quaſi ſub ſenſum ponat: ſi tamen poni poteſt. Et hinc alia ſymboli illius ratio.

De ventorum origine, ac natura, adhuc alta nox, & longa Philoſophos inter diſputatio, in qua hi ventum eſſe aërem agitatum, illi vapores, aut exhalationes; alii ventos terræ filios crediderunt natos ex antris ac cavernis: ita inter ſe certant authores, & nemo unus omnium in argumento lubrico pedem figit, nemo certò veritatem aſſequitur, aut ventorum originem, naturámve explicat. Eam nimirum occultam eſſe voluit is, qui illos educit de theſauris ſuis.

Joan. c. 3. v. 8. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, & neſcis unde veniat, aut quo vadat*, inquiebat Servator, magiſter optimus.

Quòd ſi occulta ventorum origo, & occulta magis Spiritus divini proceſſio: quam dum audis, & ſenſus, & mentem, & omnem intelligentiæ vim ſubmitte, captivámque trade in obſequium Fidei, & altiora te ſcrutari deſine. Nèdum eorum arcana curioſa rimaris indagine, implexis difficultatum nexibus te ipſe implices, ac mergas, ut olim Eurypi fluctibus Philoſophus; à quo diſcedo, ut veniam ad tertiam rationem.

Ea petitur ex quadam venti, & Spiritus ſancti conſenſione. Si à meridie ventus afflet, imbres pollicetur, ac mittit. Et Spiritus ſanctus, qui Patris ac Filii nexus eſt, atque amor, ſpirátque ab amore velut meridie, imbres promittit, pluviáſque cœleſtium gratiarum: *Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ*, inquit Scriptura. Aquæ inquam gratiarum ac donorum cœleſtium, quæ demittet in mortalium capita, unà cum afflatu quodam divino. Verè enim dici poteſt, ac debet ineſſe illi quid divinum.

Lib. 9 quæſt. nat. Seneca teſte apud Perſas ipſis ventis credebatur ineſſe quoddam Numen. Hinc illis ſuus erat cultus, ſua veneratio; rebantur enim ab iis & vitam, & animam inſpirari.

Danda venia cæcæ gentilitati, errat illa, & nimium quantum errat; utpote quæ divinitatem appingit auræ tenui, & ventorum ſibilis. Uti contrà errat quàm turpiſſimè Arius, qui divinitatem Spiritui ſancto detrahit, creditque puram eſſe creaturam, quæ dimanet à Filio. Errat, inquam; ſtat enim, ſtabitque in ævum omne inconcuſſa veritas, quæ ſtatuit Spiritum ſanctum à Patre quidem, Filióque perſonaliter diſtinctum; at ejuſdem etiam individuæ eſſentiæ, adeóque Deum de Deo, Numen de Numine, de quo illud olim Scripturæ oraculum, atque ad miſeros mortales premiſſum:

Ezech. c. 37. *Dabo vobis Spiritum, & vivetis: & ſcietis, quia ego Dominus.*

Juvat illius meminiſſe temporis. Erant in aperta campi planitie ſparſa hinc, & hinc hominum cadavera, & immenſa oſſium aridorum congeries, ad quam ſpectandam eductus Ezechiel à Deo ſuo hæc audit: *Fili hominis putáſne vivent oſſa iſta;* & dixit, *Domine Deus tu noſti.* Tum illi Dominus: *Vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis. Oſſa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his. Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis.* Nec mora: *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & revixerūt, ſteteruntq́; ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis.*

Hæc olim Ezechieli Deus, quæ hodie in Apoſtolos, imò in nos Paracletus. Hic orbis quantus erat, campus erat & quidem ſtratus ſpirantibus adhuc, ac vivis cadaveribus, hoc eſt, peccatoribus. *Putáſnè vivent oſſa iſta?* vivent enimverò; ſed ubi intromiſerit Deus ſpiritum ſuum: tum enim & aſſurgent, & ſtabunt in pedes, & vivent vita meliore: vivent cœlo, non terris: Deo, non ſibi; virtuti, non vitiis. Et hoc quidem beneficio Spiritus illabentis.

Atque hinc deſcendo ad rationes, quæ vel ad Apoſtolos, vel ad mortales omnes ſpectare videntur. II. Ad Apoſtolos.
D. Bernardus diſtinguit duplicem Spiritus ſancti operationem. Una dicitur *Infuſio*: altera *Effuſio*. Infuſio ad propriam ſalutem; Effuſio ad aliorum lucrum. Clariùs rem explico ipſis D. Bernardi verbis: Virtutes, & dona impertitur divinus ille Spiritus: *Illas nobis, hæc noſtris.* v. g. *Fides, Spes, & Charitas, nobis* Serm. 8. in Cant.
propter nos dantur: At verò, Sapientiæ ſermo, gratia curationis, prophetia, aliáque ejuſmodi, proximorum in ſalutem expendenda donantur. At cur inquies ea vel infunduntur, vel effunduntur ſymbolo Spiritus vehementis? hic eſt nodus quæſtionis, quem ſolvemus: Primùm in eo, quod ad Apoſtolos attinet: deinde, quod ad Orbem univerſum.

Erant Apoſtoli velut oragana quædam; ſed muta, ſed minimè ſonora, niſi ea inflaret, animarétque quodammodo cœleſtis Spiritus, à quo ſonum ederent, qui etiam mundum pervaderet Univerſum.

Os Pauli, os gratiæ, os veritatis, plectrum vitæ, organum Chriſti, fiſtula Spiritus ſancti, inquiebat D. Chryſoſtomus; quæ ego ad alios quoque Apoſtolos derivari poſſe contendo. Serm. 3 de Aſcenſ. Fuerunt ſinguli *os gratiæ, os veritatis*: at os vocem non edit ſine afflatu, ſine ſpiritu, qui illi quodammodo eſt, quod anima corpori.

Fuerunt illi *plectra vitæ*, quæ proinde ſono quaſi animari debuerunt.

Fuerunt *organa Chriſti*, quæ non diffundunt ſonum, niſi multo inflentur vento, & ſpiritu vehementiore.

Fuerunt *fiſtulæ Spiritus ſancti*, quæ proinde immiſſo halitu, ſpiritúque impleri debent, ut vocem quaſi articulatam, atque animatam effundant.

Hic porrò ventus, hic afflatus, eſt ille ipſe Paracletus, qui ideò quàm optimè illapſus in Spiritu, in aura, ventóque vehementiore, ut qui ora, plectra, organa, fiſtuláſque, hoc eſt, Apoſtolos, animare deberet ad ſonum edendum, qui per omnes terræ angulos poſſet exaudiri.

Et hæc pro Apoſtolis facit ratio; quam ſubjicio pro hoc Univerſo.

Eſt mundus veluti mare magnum, & procelloſum III. Ad Orbem univerſum.
æquor, in quo immortales animæ mortali corpore, ceu navi vehuntur: ut porrò vehantur probè, ducanturque in portum æternæ beatitatis, opus eſt aura, ventóque faventiore. Et hic eſt Spiritus ſanctus, quem eum in finem cœlis redditus JESUS, emiſit in mundum; ut tuta, ut levis, ut proſpera foret hujus vitæ navigatio. Hæc enim ſi deſit aura, ſi ventus omninò ſubſidat, neceſſe eſt ut ceſſet: ut diſertè animadvertit D. Baſilius:

Da mihi, inquiebat, *navim vacuam, gubernatorem,* Homil. de aperi. S.
nautas, funes, anchoras, & nuſquam eſſe ſpiritum venti: nonnè ceſſabit omnis qualiſcumque apparatus ſi deſit operatio ſpiritus? ita licet ſit ampla ſermonis ſupellex, & mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, ſi non adſit Spiritus ſanctus, qui vim ſuppeditet, otioſa ſunt omnia.

Hæc S. Præſul, à quo tranſeo ad aliam mundi notionem: eſt illa velut area quædam, in qua triticum à palea ſecerni debet, ad quod opus aura vehementiore, quæ paleas excutiat, & triticum horreo reſervet. Et hoc inprimis fecit Spiritus ſanctus, paleas, hoc eſt, leviuſculas, atque inconſtantes animulas excuſſit; paleas, hoc eſt, humanæ mentis vitia expulit, & virtutes, id eſt, triticum reliquit,

quod

quod aliquando in horreum beatæ æterni[illegible], eadem divini Spiritus aura impellente, inveharur.

Refert Apuleius formosæ Psichæ Palatium fuisse magnæ molis, elegantis formæ, aulis ingentibus, auráisque spectabile, in quod tamen non pateret aditus, nisi beneficio venti eòdem propellentis. Fabula est, doctumque commentum, è quo tamen ad rem nostram deduci potest ea veritas; nè unum aliquem induci posse in atria beatitatis, cœlique regiam, nisi eò impellatur benigniore Spiritus sancti favonio: ad quem dum aspirat Propheta regius, æstu plenus altiore, hæc inter vota, sacrasque preces,

4. Reg. c. 1. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*: utique terram viventium; hujus enim solius semitæ rectæ sunt, hoc est, nullis implicitæ difficultatibus, cæterorum autem obliquæ, id est, mille impedimentis obnoxiæ. Ab his nos revocat faventior aura cœlestis Spiritus, & ad illas ducit, exutos tamen priùs, & à vitiis probè purgatos: quod declarat D. Augustinus similitudine petita à paleis, quas ventus discutit, ac dissipat: sic enim de Spiritus sancti afflatu.

Serm. 185. de Temp. *Flatus ille*, inquit, *à carnali palea corda mundabat; ignis ille fænum veteris concupiscentiæ consumebat*. Et hoc est beneficium universo generi nostro commune: aliud accipe deductum ex alia similitudine.

Erat omnis homo velut solum aliquod maligna quadam sterilitate damnatum; ut porrò fertile redderetur, oportunè incidit afflatus divini Spiritus, nè in ævum omne sterilesceret.

Ferunt ventos arbores, plantas, & sata fovere, atque vegetare; imò & animantia fœcunda reddere; de quo ità Lactantius; *animalia quædam è vento, & auræ concipere solere omnibus notum est*. Quod si notum illud, si verum (de quo hic non disputo, sit penès auctorem Fides) certè notius illud, ac veriùs, à Spiritu sancto concepisse Virginem, & Deum hominem edidisse, quam à cœlo, cœlestique fœtu gravidam sic compellat D. Bonaventura: Lib. 4. [illegible]

In Psalterio.

Ave Virgo quam perflavit,
Et perflando fœcundavit,
Auster fructu spiritali,
Christo flore Virginali.

Fortunatus Auster, beatus Spiritus, à cujus afflatu Virgo concepit corpore; neque minùs fortunatus, ac beatus, à quo alii concipiunt mente: concipiunt, inquam, desideria vitæ sanctioris, & dignos cœlo, Deoque fœtus; quos in se dum ambit, amatque sponsa, hæc inter vota, & sacros æstus jactare solita. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Cant. c. 4. v. 16.

Ecce vim Aquilonis, vim Austri, id est Spiritus sancti; Vix sponsæ, id est, fidelis animæ, hortum suâ afflavit aurâ, & illicò fluunt illius aromata, id est, bona opera, quæ odore suo, & suaveolentiâ terras imbuant, & superos ipsos oblectent. Et hæc è multis pauca: alia quæ similiter confici possunt ex quadam analogia ventorum ac Spiritus sancti, Lectori studioso facilè occurrent.

Transeo ad aliud symbolum, ignem scilicet, igneasque linguas, quarum specie in Apostolorum capita Spiritus Domini delapsus est; & hujus quoque rationes inquiro.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

CUR SPIRITUS SANCTUS DESCENDERIT in Apostolos tanquam ignis?

Rationes.



Ic erit quæstionis propositæ nodus, quem solvemus aliis, atque aliis rationibus; quarum primæ spectabunt ipsum Numen, quod ea specie se videndum præbet; Secundæ, Apostolos; Postremæ, Ecclesiam Christi universam.

Ad primum quod attinet, si in genus nostrum illabi debuit Spiritus sanctus; debuit certè in ignis forma: quâ enim potius?

Prima. Est ignis, teste D. Dionysio Areopagita, symbolum aliquod Divinitatis, ut qui hujus naturam, proprietates, effectaque inter sublunaria apprimè referat. Est enim princeps elementum, cæteris eminens, leve, ardens, concitatum, velut opifex, patratorque mirabilium.

Inde factum autumo, ut tres Personæ Divinæ si mundo huic spectabili quondam exhibitæ sint, exhibitæ certè symbolo ignis.

Pater Æternus ab Ægypti cæde, à nece Pharaonis, à populi libertate, Moysi servo suo videri voluit: & legem dare, quæ iret in posteros omnes, ætatesque longè consequentes. Et visus est in assumpta quasi ad scenam ignis specie: de qua illud sacer Historicus:

Exod. c. 19. *Totus mons Sina fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne.*

Verbum Æternum jam caro factum, spectari voluit non quà homo; sed etiam quà Deus. Et ecce facies ejus instar igniti Solis, & lumen, & flammas jacere visa discipulis, quà stupore, quà rei novitate, ac majestate attonitis. Et huic scenæ serviit mons Thabor; qui primus radios illos, ignémque latentis Divinitatis excepit. Uri etiam excipiet Orbis universus in suo occasu. Ubi enim appellet ut Judex:

Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Psal. 96.

Quod Æterno Patri, quod Filio, Deo homini datum est apud mortales symbolum: hoc & Spiritui sancto. Apparere voluit hic in monte Sion, & ecce *dispertitæ linguæ tanquam ignis*, qui eum veheret, aperirétque hominum oculis.

Cæsares olim si quando prodire gestirent in publicum, sacrum ignem sibi præferri volebant, ut esset index illius, quam efferebant Majestatis. De quo sic Alexander ab Alexandro: Secunda.

Cæsares sacrum ignem velut imaginem imperii sui sibi præferri sinebant, eòque præcipuo insigni, & singulari ornatu utebantur. Lib. 1. c. 38.

Manavit ea consuetudo à Persicis Regibus ad Romanos Imperatores, eóque babita est loco, ut nemini nisi Cæsari & Augustis, id honoris concederetur. Et ita factum ex Senatusculto; quo scilicet, *Iuliani uxor, & filia, Augustæ appellatæ sunt, quibus hoc etiam honoris tributum est, ut illis quandóque sacer ignis præiret*; velut insigne quoddam Augustæ majestatis. In quo profectò aliqua omninò fuit, eáque damnanda vanitas, à qua discedo, ut suspiciam sacrum ignem, qui divinum Pneuma vel præit, vel si mavis, defert; veluti symbolum advenientis in Apostolos Divinæ majestatis. Quod enim igne potiùs? Lib. 1. Gen. dier. c. 8.

Latet ignis in sua sphæra sub lunæ concavo, oculósque ibidem effugit: at in eos venit ubi in hæc inferiora delabitur. Et Spiritus sanctus quanta, quanta fuit retrò æternitate latuit; nec ita visus mortalibus, Tertia.

libus, nisi cùm apparuerunt *dispertitæ linguæ tanquam ignis*.

Ignis ut princeps sit elementum, ut agens quàm maximè: tamen in sua sphæra nihil omnino producit. Sed sua quodammodo virtute se involvit, atque continet: extra illam tamen mira, ac stupenda operatur in tota rerum natura. Et Spiritus sanctus in Divinis *ad intra* (ut loquuntur Theologi) nihil agit; nec enim generat ut Pater, nec spirat ut Pater & Filius. Verùm *ad extra* omnia producit, eadem, atque indivisa actione cum Patre, Filióque. Ut proinde Ecclesia meritò supplex ad eum veniat, ingeminétque illud: *Veni Creator Spiritus.*

Quarta. Ignis in hæc inferiora delapsus duo potissimùm præstat, duásque mortalibus oris ingenerat qualitates: lumen scilicet, & calorem. Ab illo dissipantur tenebræ, nóxque fugatur; ab hoc solvitur gelu frigúsque expellitur.

Quod ab igne, hoc à Spiritu sancto, à quo ceu igne, ceu sole meliore & lumen, & calor venit obscuro, ac frigescenti mundo.

Cùm in cœlum abriperetur Elias igneo subvectus curru, qui de terra sublimem aspiciebat Elisæus, petiit in se demitti spiritum duplicem, ut eo hæres, dives sibi, ac beatus videretur.

Votis annuit Deus, annuit Elias, & pallium demisit, unàque etiam spiritum duplicem.

Quod Elisæo ab Elia, hoc Apostolis à Spiritu sancto: à quo in hos *duplex* advenit *spiritus*: quis ille inquit D. Bernardus, *nisi illuminatio intellectus, & affectus purgatio.* Serm. 3 de Ascens.

Intellectus qui melioris sapientiæ sedes est, lumen recipit quo altiora se cognoscat, pervadátque omnia Fidei nostræ mysteria, etiam abditissima quæque. Et hoc illi potentiæ beneficium est à Divino Spiritu, cui accedit etiam aliud in voluntate.

Hæc plerumque polluitur, aliis atque aliis depravatis animi affectionibus, à quibus in terram, & lutum inclinatur tota, & modò auri cupidine tangitur, modò vanæ gloriolæ fumo nigrescit; modò carni immergitur, obscenisque cupiditatibus, in quibus volutatur, ut sus solet in volutabro luti. Ab illis porrò & eluitur, & purgatur probè puriore flamma cœlestis Spiritus.

Quod ipsum quoque agnovit ac prædicavit D. Augustinus, & in se ipse etiam probavit. Sic enim quondam de illo Christianè Philosophatus:

Tract. 16. *Facit Spiritus sanctus cum Patre, Filióque in sanctis mansionem; intus utique tanquam in templo suo venit subveniendo, venit illuminando, venit implendo.*

Ecce triplex gratia ab uno spiritu. Primùm enim *subvenit*, succurritque si fortè ingruat hostis, si vim intentet.

Quinta. Ita quondam Israëli subvenit, cum gemeret ille sub immani Pharaonis, Ægyptique jugo: tum enim omnis terræ pulvis abiit in Cyniphes, qui & hominibus, & jumentis inhæserunt ingenti plaga: de qua *malefici ad Pharaonem* dixerunt. *Digitus Dei est hic*; De quo D. Cyprianus. Exod. c. 8. v. 19.

Hic est Spiritus sanctus, quem magi in Ægypto *Dei digitum* appellarunt, & à quo Israëli oppresso salus, atque auxilium: uti deinde etiam Apostolis, ad quos olim sic IESUS.

Luc. c. 10. *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Verùm amabò te, Magister optime, quæ tua illa providentia? quis in discipulos amor? quæ cura tuorum? qui agnos inter lupos mittis? qui certet agnus cum lupo? non concurret profectò, neque certabit æquo Marte sibi relictus: at *Dei digito* eductus, firmatusque ruet agnus in lupum, & certè etiam sternet.

Tanta nimirum vis est ab illo, qui *Venit subveniendo, Venit illuminando, Venit implendo.* Venit inquam *illuminando* jam inde à prima Universi molitione. Iuvat illius meminisse temporis.

Crearat Deus Cœlum, ac terram: sed hæc *inanis erat ac vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Quis eas excutiet, atque dissipabit? Utique spiritus Domini, qui cum in finem *ferebatur super aquas*: ab illo lux prima, lux melior. Testem habeo, unaque etiam interpretem D. Augustinum; qui hæc olim extulit, & verè & piè. Gen. c. 1. v. 2. vers. 2.

Spiritus tuus Domine fertur super omne mutabile. Alioqui & ipsum Cœlum, cœli tenebrosa abyssus esset. Nunc autem lux est in Domino. Tu illuminas tenebras nostras, & tenebræ nostræ velut meridies erunt. Ecce quæ vis, quæ copia luminis à Divino spiritu; quæ etiam abyssum immensam, & profunda nocte mersam sibi quodammodo, ac diei reddat meridiano.

Sed inquies cum eodem Augustino, nunquid etiam aut *Pater*, *aut Filius non ferebatur super aquas* Ferebatur certè: at Scriptura solius Spiritus meminit: *quia Spiritus sanctus donum est tuum*, ô Pater; donum est tuum ô Fili. *Hoc dono accendimur, inardescimus; & imus*; imus inquam ad cœlestem Ierusalem prævio quasi, viamque monstrante divino illius luminis appulsu. Nobis quippe evenit, quod primæ abysso: dum enim abyssus miseriæ nostræ invocat abyssum divinæ miserationis, lucem quoque illius in se derivat, unde clarescat tota, atque inardescat.

Extat hujusce rei symbolum, ac figura bellè expressa libro primo Machabæorum. Cùm in Persidem captivi ducerentur Judæi, visum est Sacerdotibus (qui ferè soli tum temporis Dei cultores) *acceptum ignem de altari occultè abscondere in valle, ubi erat puteus altus, & siccus.* Labuntur interea anni complures; cùm ecce à Persidis Rege mittitur Nehemias, qui sacrum ignem requirat. Paret ille, requirit: verùm invenit, non ignem, sed aquam crassam. Neque tamen ideò spem deposuit, sed jussit aquam hauriri, & ea aspergi ligna sacrificio parata. Sexta. 2. Machab. v. 19.

Mirum dictu, visuque: ubi sol, qui priùs erat in nubilo, emersit, atque refulsit: & ardere ligna & consumi sacrificia.

Ille ignis, inquit, D. Ambrosius, *typus Spiritus sancti fuit, qui descensurus erat post Domini Ascensionem, & remissurus peccata omnium, qui quasi ignis inflammat animum, ac mentem fidelem.*

Quid erat aliud cor hominis, cor, inquam pravum, atque inscrutabile; nisi puteus altus, & siccus, in quo non invenisses ignem; sed aquam crassam, ac lutum informe; in hoc enim abierat ignis ille sacer, qui ante peccati servitutem in eo quodammodo absconditus. At ubi Sol noster Deus-homo, qui priùs latuerat in nubilo passionis, cœlo redditus refulsit; tum verò ex eo ignem demisit; Spiritum, inquam, sanctum, à quo & aqua, glaciésque humani cordis dissolvi, & ardere lutum, hoc est, luteus, ac terrestris animus, & sacrificia bonæ mentis consumi. Benè habet si ita solvatur, ardeat, consumatur mens tota.

Ita quondam arsit Sibyllina, notæ virtutis Virgo: cùm enim ipso die Pentecostes sæpiùs iterasset has amantium voces: *Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium.* Ecce ad humilis casæ, in qua latebat, fenestram pulsat è cœlestibus geniis unus aliquis, à quo deinde hæc audiit. Sibyllina etiam hodie exardesce eo igne, quo olim hoc ipso die Apostoli. Nec inanis vox fuit, crederes unà cum illius sono, qui aures feriebat, uberes in animum illabi flammas, à quibus incendebatur, æstuabátque tota. Ita tum per aures quodammodo intrare divinus ille Spiritus, aliàs etiam per oculos; adfuit enim eidem Virgini è Cœlicolis, è Sanctis unus, qui ubi se visendum præbuit; ardentes flammas in faciem jecit, à quibus illicò inflammari tota, & cœlesti quasi incendio consumi.

Ita hoc quo vivimus ævo consumpti in Japonia è Christianis optimi quique.

Dies

Bollandus 5 Febr. in Act. BB. 26 Martyr. Dies erat Pentecostes cum in templum venit B. P. Petrus Baptista, illustre decus Franciscanæ familiæ, & Ecclesiæ Japonicæ columna princeps, quam scilicet & fundavit, & sustinuit etiam effuso Christi causa sanguine. Venit, inquam, in templum, quod & solemne reddidit duplici miraculo.

Primum fuit cum puellam leprosam, Cosmi Gloriæ Japoni Christiani, filiam, sanavit.

Alterum, cum supra capita omnium, qui tùm sacris intererant, vidit eminere linguas rubeas, ac velut igneas, indices utique illius ignis, qui in eorum cordibus ardebat, indices & martyrii, quod ex iis nonnulli cum ipso erant subituri. Nec mirum quia illo lucebant, illo ardebant, illo consumebantur igne, quo priùs Apostoli, grandes animæ, accensa de cœlo pectora, quibuscum utinam, mi Lector ardeas, & hoc quidem ex voto tuo, meòque, quod ire velim in annos, & sæcula, ipsamque æternitatem; quæ flammas illas pariat, ac fovet. Ut 1. ad Thess. 5. porrò foveat velim frequenniùs sub oculos poni illud D. Pauli monitum: *Spiritum nolite extinguere.* Est hic nobis, quod lampas in densa nocte; sic enim eum ore aureo appellavit Chrysostomus:

Hom. 22. *Super terram*, inquit, *nox est*, non ignorantiæ, nox sceleris, *in eam noctem not incidimus, tradit nobis Deus lampadem illustrem, incensam Spiritus sancti gratiam.* Hac utamur pro duce viæ, ac peregrinationis nostræ, hac tenebras evigilemus, noctémque illius fulgore dissipemus. Ita dissipavit Paulus, ita prudentes Virgines: extulerunt hæ lampadem Spiritus sancti; sed accensam: ut è contrario fatuæ extinctam. Et hinc admissæ illæ ad nuptias Agni; hæ verò exclusæ: audierunt formidandum illud, *Nescio vos.* Ne in te etiam cadat illud, vide nè lampadem illam extinxeris.

Extinguitur autem aliis, atque aliis modis; ea ferè ratione, qua Lampas: hæc luce, ceu anima, privatur.

Primùm, si frigida nimium affundatur. Deinde, si gravior appellat aura, ventúsque vehementior. Denique, si oleum deficiat. Sic & lampas divini Spiritus, quæ in corde nostro, ceu vase accensa est, extinguitur tribus modis.

Primùm, si aquâ immodicâ, hoc est nimia rerum fluxarum cura asperseris, ac merseris.

Deinde, si aut pestilens dæmonis afflatus, aut gravioris alicujus tentationis æstus perculerit; quod fiet si vel pateant animi fenestræ, id est oculi, ac sensus, vel aperta sit ejusdem veluti janua, hoc est, os minùs custoditum.

Denique, si desit oleum, hoc est, bona opera, quæ sacrum illum ignem alunt, ac fovent. Ne porrò desint unquam, agè, imitare prudentes Virgines: tulerunt hæ oleum non in lampadibus tantùm: sed & in vasis, unde scilicet peterent, & lampadi superinfunderent.

Sic & *anima sancta*, inquit D. Bernardus, *dum Domini præstolantur adventum, præter illa opera, quæ proximis lucent ad Dei gloriam, & videntur; aliqua in occulto ubi solus Pater videt, opera faciunt. Ut si forte illa, quæ conspicua, & clara sunt, flatu laudis humana extinxerit; oleum occultæ conscientiæ suffragetur.*

Ad hoc autem conferet quàm plurimùm aliud Spiritus sancti donum, quo scilicet *ad nos venit implendo.*

Isaiæ c. 6. v. 1. Vidit olim Isaias in excessu mentis aperiri cœlum, & immensa Divorum atria, in quibus considebat Dominus *super solium excelsum, & elevatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.*

Quæ sint ea, quæ templum (hoc est Ecclesiam, quæ sub ipso est) replent, si quæris, audies ex Ruperto: *Esse dona quæ Spiritus sanctus dedit Apostolis; hæc enim implent.* Reliqua quæ illis addideris occupare possunt, implere non possunt. Hoc quippe Dei solius.

Est cor hominis longè capacissimum, in quod alia, atque alia immitti possunt, & quidem ut reris pretiosa dona.

Mundus quantus, quantus is est, in illud ubere cornu injicere potest divitias, opes, gazasque regias, & eas aliis, atque aliis dignitatum titulis cumulare: itaque cor humanum aliquousque occupare; at implere non potest.

Caro mollicula, ac delicatula voluptates suas plena, ut aiunt, manu effundere potest, hominisque animo infundere, sicque eum distinere: at illis satiare, impleréque non potest. Hoc quippe solius est Spiritus sancti.

Cor, inquit Richardus Victor, *copia mundi non satiat: una hujus dulcedinis gutta plenè inebriat.* Serm. de Pent.

Quod si vel una gutta plenè inebriat, quid non facient velut effusa illius maria? qualia certè ipso die Pentecostes effundi necesse fuit; unà cum Spiritu vehementi, *qui replevit totam domum*, hoc est, Act. c. 2. Discipulorum corda, quæ altior quidam, ac divinior teplebat afflatus, quam is esset, qui domum repleverat.

Et hoc fuit donū, ac charisma divini illius Spiritus.

QUÆSTIO QUARTA

CUR SPIRITUS SANCTUS ILLAPSUS in Apostolos ignearum linguarum specie.



QUÆSTIONE superiori paucis exposuimus rationes, ob quas Spiritus sanctus in symbolo ignis delapsus: in præsentia quæremus, Cur is in linguæ formam effictus? cur non cordis? aut alicujus, alterius figuræ specie?

Certè illabenti Spiritui convenire potuit symbolum gladii; venit enim unà cum Filio, *non pacem mittere, sed gladium. Venit separare virum à socru*, patrem à filio, à filia matrem, & fratres à fratribus: si fortè aut hi, aut illi impellenti divino Spiritui resistant. Venit effundere Dei verbum, quod penetrabilius omni gladio ancipiti. Et huic, & illi officio quadrare potuit expressa gladii species. Potuit etiam & sagittæ: *Sagitta quippe potentis acuta.*

Potuit & cordis, eò enim venit ut frigescentia mortalium corda divini amoris igne accenderet; proindéque cordis figura, cum eo munere consentiebat quàm optimè: est enim cor sedes amoris, & amor vox cordis. *Sermo cordis affectio est*, inquit Bernardus. In declam. Cur igitur non placuit id symbolum? Certè placere potuit, uti etiam gladii, & sagittæ. Neque tamen hæc, neque illa tum placuere: sed potiùs linguæ, & hæ quidem igneæ.

Pro causa esse potuit, vel una Dei voluntas, quæ rationum est instar omnium. At verò secundùm illam occurrunt etiam aliæ, atque aliæ: quarum aliquæ ad Deum, nonnullæ ad Apostolos: reliquæ ad cæteros mortales attinere videntur. Si divino Pneumati Rationes. placuit symbolum ignis, hunc certè formare potuit, vel in globum, vel in columnam, vel in fulminis trisulci modum, vel si mavis etiam stellæ, aut cœlo labentis fulguris: noluit tamen; sed præ symbolis omnibus probavit linguas, eásque igneas.

Quod

I. Ad Deum. Quod hæ & Verbo, & Spiritui sancto apprimè convenirent.

Et quidem *Verbo* consentiebat lingua; ut quæ concepta mente verba exprimit: Ignis autem Spiritui sancto, qui, quia totus amor est, suo quasi proditur igne. Ita igneis linguis, unoque velut symbolo explicantur ea, quæ ad duas Sanctissimæ Triadis personas spectare videntur, easque orbi quodammodo referre. Lingua videlicet divinum Verbum;

II. Ad Apostolos. Ignis verò Spiritum sanctum. Et hæc ratio ad Deum assurgit; ea quam subjicio, ad Apostolos descendit.

Erant illi in urbem universum emittendi, veluti præcones cœlestis Verbi, novæque Religionis, ideóque eos oportuit esse quàm maximè eloquentes. Hoc autem beneficium, hoc officium linguæ fuit. Solvi debuit illa, ipsosque Evangelii sonos quaquaversum effundere.

Serm. de S. Laurent. Dixit olim sanctus Leo: *Nullus bonus est sibi soli bonus, nec cujusquam sapientis sibi tantùm Sapientia est amica*: etiam aliis sit oportet alius bonus, qui sibi bonus. Neque enim sibi uni quis natus; sed & publico. Quod in viris Apostolicis verum est quàm maximè. Si enim de seipso rectè pronuntiavit Seneca:

Epist. 28. *Non sum uni angulo natus.* Rectiùs de seipsis dixerint Apostoli. Non sumus uni angulo nati, sed provinciis, sed regnis, sed orbi universo, in quem alnoris sapientiæ voces, ac placita longè, latéque spargere debuerunt. Ut etiam tum verum esset illud Regii vatis: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ut porrò exirent, & longiùs, & efficaciùs, illapsus in eos Paracletus in linguis igneis.

2. Pastor. c. 4. *Super pastores primos in linguarum specie Spiritus insedit, quia nimirum, quos repleverat; de se protinus loquentes facit*, inquit D. Gregorius. Neque *loquentes* ut alii passim, inani verborum sono, ac strepitu, qui aures tantùm, & auras feriat; sed vi planè altiore, quæ etiam pervadat ad animos, & quantumvis duros, atque efferatos, aut emolliat, aut frangat. Et hæc quanta quanta vis est, ea est à linguis igneis.

In Psal. 95. *Quid sibi vult*, inquit Augustinus, *quod Spiritus sanctus apparuit in linguis igneis? nisi quia nullius lingua durata est, quæ non illo igne solvatur.*

Nimirum in Apostolica lingua multus ignis est, à quo & liquescat glacies humani cordis, & in pœnitentis animæ lacrymas resolvatur: vel si fortè lapidis in morem obduruit, rumpatur illicò, atque dissolvatur.

Hanc rationem attigit D. Bernardus, dum enim ex se quærit, cur Apostolis immissus cœlestis ille Spiritus in linguis igneis, respondet, *ut verba ignea loquerentur*, hoc est amoris plena, plena caritatis ac zeli, cujus symbolum est ignis. Ita locutus D. Andreas; qui in ultimo vitæ limine crucem aspectans, adeamque votis omnibus aspirans, *quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce*, inquit S. Bernardus.

Serm. 1. in ejus festo.

Nimirum ignem conceperat animo pius senex, & in eo ingentem quendam ardorem patiendi, qui nescius intrinsecus contineri, per linguam, ac vocem foras erumpebat, eructabatque tot scintillas, quot verba; quibus è cruce, velut cathedra non doceret modò subjectum populum: sed etiam entheo quodam æstu, ac meliore flamma accenderet.

Ita deinde lapsis longè sæculis accendit D. Basilium, quem S. Ephræm inter legendum libros sacros, vidit ignea lingua loquentem, ac ne solus illius prodigii testis esset, aut præco, Archidiaconum in S. Presbyterum immisit, qui visa etiam lingua illa ignea, stupore attonitus, exclamavit, *Verè magnus Basilius, verè columna ignis Basilius, verè Spiritus sanctus loquitur per os ejus.*

Bollandus 1. Febr. de S. Ephræm n. 8.

Ita locuti quondam fortissimi Christi pugiles, SS. Faustinus, & Jovita, Martyres inclyti, quos Adrianus ad equuleum damnavit, & inde ad ignem, in quo tamen illæsi permanserunt, parcente illis flamma, quia scilicet alio ardebant igne, quem dum non patitur tyrannus, sic ad carnifices: *Augete stupam, ut sentiant calorem Deorum.* Cui Faustinus: *Sentient enimvero Dii tui, sentient calorem istum, & ignem istum, in quo nos innexii.* Dixit, & sic ad ignem: *Imperamus tibi in nomine Domini, vade ad statuas Saturni, & Herculis, ut calefacias eas, quia frigidæ sunt.* Vix hæc elocutus Martyr lingua Christi, lingua divini Spiritus, lingua ignea, cum ignis ad illius vocem ac præceptum excessit, evolavitque, atque in statuas illas involavit, quæ illico eo correptæ, incensæque ita defluxerunt, ut solet cera à facie ignis.

Bollandus 15 Febr. in SS. Faustini & Jovitæ, c. 2.

Quod SS. illi Martyres ab igne elementari, hoc Apostoli, hoc, & viri Apostolici ab igne Divini Pnematis. Loquuntur hi, ut illi lingua ignea; & homines, qui tepidi, qui frigidi sunt, ut illæ statuæ mox incendunt, inflammant, & totos liquescere faciunt à cœlestis incendii flamma; quam scilicet portendebant linguæ illæ tanquam ignis.

Et hæ rationes militant pro viris Apostolicis: quas subdam, omnibus sunt communes.

Elabitur Spiritus sanctus in linguæ specie, ut hominis linguam, quæ perperàm verba spargebat in terram, ad cœlestia transferret, & hoc ex fine sibi à natura, Deoque olim proposito; à quo plurimum sanè deviarat. Quem linguæ orisque lapsum, atque errorem dum attendit Tertullianus, sic hominem compellat. III. Ad fideles omnes.

Accepisti, ô homo, os ad vorandum, atque potandum? cur non potiùs ad eloquendum, ut à cæteris animalibus distes? cur non potiùs ad prædicandum Deum, ut etiam hominibus antistes? Revocat hominem ad statutos sibi fines, quorum unus naturæ est, alter etiam supra naturam: illo lingua, ceu vocis organo, utitur ad loquendum: hoc autem etiam ad laudem sui conditoris. L. de Resur. Car. c. 62.

Et ita quondam lingua usus Adam: primùm enim loqui cœpit, & animalibus nomina imponere, quod naturæ fuit: deinde prophetare, quod gratiæ fuit ac virtutis: denique edere de fructu vetito, quod vitii.

Adam, inquit Tertullianus, *ante nomina animalibus enuntiavit, quàm de arbore decerpsit: ante etiam prophetavit, quam voravit.*

Ut ab hoc linguas hominum averteret misericors Deus, ut transferret ad ea, quæ virtutis erant, labitur in linguis igneis, ut verba quæ ex ore deinceps effluent, non labantur in terram, non turpiter in cœnum concidant; sed attollantur sursum, & suo quasi reddantur elemento, id est, cœlo, ut ignis suæ sphæræ.

De puero Samuele hoc olim Scripturæ oraculum: *Crevit Samuel & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.* Hoc est, nè verbum de terrenis; sed de cœlestibus multus, & omnis sermo. 1. Reg. c. 3. v. 19.

Ut porrò is sit in nobis, labitur Paracletus in linguæ forma, sed igneæ, sed cœlestis, sed penitùs novæ. Et ita futurum olim edixit D. Marcus; sic enim de iis, qui Spiritum sanctum erant accepturi, *Linguis*, inquit, *loquentur novis.* Nimirum linguæ antiquæ de terra putidè, ac petulanter loquebantur, novæ autem & bellè, & piè de cœlo, ac cœlestibus personabunt. Et hoc ex gratia divini Spiritus, & cœlestis Verbi; quia ut rectè Clemens Alexandrinus: *Oportet novos esse illorum sermones, qui novi Verbi fuerint participes.* Cap. 16. v. 17. L. 3. Pædag. c. 5.

Et ita primùm in Apostolis sermones fuêre novi; vix enim *repleti erant Spiritu sancto*, cùm ecce, *cœperunt loqui magnalia Dei.* Act. c. 2.

Ita deinde in Ecclesia universa, in qua etiam verum fuit illud D. Bernardi: *Novum supervenisse Spiritum certissimè conversatio nova testatur.* Serm. 2. in Oct. Paschæ.

Nova, inquam, à qua etiam novus fit homo, non luteus, non carnalis ut ante: sed spiritalis totus; imò cœlestis,

cœlestis, ac propè dixerim divinus. Ex voto scilicet, mentéque D. Dionysii ab Areopago, qui hæc ad Christianum quemque: *Tu autem ô Fili, divina dicendo, divinus efficere*: efficieris autem ubi à linguâ sancti Spiritus divina dicere probè doctus eris.

De Cæl. H. Hier. c. 2.

Et hæc prima ratio petita ex fine, ob quem hominis os, & lingua data sunt, & ad quem eum revocant linguæ: addo alteram, quæ linguæ vinum sic arguit, ut emendet.

Cùm innoxia esset terra, erat illa *labii unius*: at cùm altùm cœpit sapere, cúm insana turris substructione sibi nomen facere per scelus tentavit; tum audax & insolens facinus, tum malè sana molimina disturbavit Deus confusione linguarum, quæ eò loci, ac temporis divisæ in septuaginta duas. Ita nimirùm fieri solet, & justo quidem Numinis judicio, cujus hæ leges, ut per quæ peccat quis, per eadem & punitur. Ita quia tunc homines *abusi sunt vocis unitate, castigantur diversitate*, inquit Chrysostomus.

Hom. 30. in Gen.

Hoc porrò linguæ vitium, hanc pœnam quodammodo tollere venit Spiritus sanctus, & immanem illam, absonámque linguarum confusionem cum unius veluti linguæ, hoc est, Evangelicæ vocis unitate commutare; Nimirum hanc unitatem meruit, intulitque Christiana humilitas, ut olim superbia divisionem. Adeò verum illud D. Gregorii: *Humilitas linguarum unitatem meruit, superbia confusionem.*

Hom. 3. in Evang.

Hanc in Apostolis sustulit Spiritus sanctus, ubi eos quasi unilingues fecit, ut idem omninò saperent omnes, idem loquerentur.

Et hoc beneficium est quod à linguis igneis, ceu Baptismate consecuti discipuli.

Nè mireris, amice Lector, si igneas linguas appellem Baptisma: sic enim eas olim appellavit ipse Domini Præcursor; qui hæc ore prophetico:

Ipse vos baptisabit in Spiritu sancto, & igni: quia, ut inquit D. Hieronymus, *Spiritus sanctus quasi ignis sedet super linguas credentium*, & earum quasi Baptismus fuit. Et sanè peropportunè: cùm enim *lingua*, D. Jacobo teste, *ignis sit, & universitas iniquitatis*: vel ut verùt Oecumenius, *mundus iniquitatis*, puriori igne excoqui debuit, in eóque velut Baptismate peccati sordes omnes deponere; & ad nativam quandam redire munditiem: *Mundate labia, justificate linguam* exclamabat olim ore aureo Chrysologus: quo judice mundari debet primùm, deinde justificari, nè & se perdat, & hominem, quem malè incendit, atque inflammat.

Matth. c. 3. v. 11.

Cap 3 v. 6.

Serm. 62.

Sic olim incendit Epulonis linguam, qui inter pocula ebriásque mensas, vel petulantiùs verba spargere, vel impudentiùs aliorum famam lacerare, vel alio quopiam vitio polluere: à quo deinde ad ignes, & rogos æternos justè damnata; hæc emisit in relucentes auras: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

Luc. c. 16 v. 24.

Meritò dicit *ut refrigeret linguam meam*, quasi reliquum corporis ab incendio haberet immune, vel certè quia *lingua magis sentiebat incendium*; ut opinatur D. Chrysologus.

Nimirum in æternitate magis ardet lingua incendiis sempiternis, quæ in tempore à vitiis magis exarsit. Quod ipsum posteris sæculis serius agnovit detractor unus aliquis, de quo Anglicanæ historiæ. Hic emoriens linguam extulit, quæ mox fœdè inflari cœpit, atque horrendum in modum intumescere, tum inter anhelitus, atque ululatus auditæ sæpiùs hæ voces: *Ista pessima lingua me damnavit*. ut & alios plerosque.

Ne porrò sic damnaret, Paracletus illapsus in forma linguæ, quæ & munda, & justa sit oportet.

Accedit & alia ratio, quæ ducitur ex natura linguæ. In hac quippe residet gustus, quo sapores discernat, & dulce ab amaro distinguat. Quod & divini Spiritus in nobis beneficium est; ab hoc enim & homini sapiunt res Divinæ, ac cœlestes, & desipiunt terrenæ, ac caducæ: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt*; quia ei vinum est in lingua, hoc est, in intellectu, aut etiam in affectu: at spiritalis ea cum gustu, ac sapore excipit, & retinet.

1. Cor. 2.

Ita retinuit olim S. Antonius de Padua, cui nihil sapiebat, nisi aut Deus esset, aut de Deo: nihil loquebatur; nihil eructabat nisi divinum. Quem piæ mentis, & linguæ gustum cùm probasset in vivo ipsum Numen, probavit etiam in mortuo. Ejus quippe lingua duobus & triginta annis à morte, putredinis tabisque nescia reperta est, etsi in cineres reliquum corpus abiisset. Sic saporem cœlestium in viri sancti lingua, etiam miraculo illustravit Deus: quod & fecit in D. Bonaventura, de quo hæc ad posterorum memoriam, atque exemplum referunt S. Francisci Annales.

Effluxerant ab illius morte anni sexaginta supra centum: longum omninò temporis spatium, quod ut caeterorum edax; ita & sacri corporis, non tamen totius: ab illa quippe tabe, & caput liberum, & cor, & lingua. Meritò sanè hæc tria & à communi mortis lege, & tabe exemit Deus, ut quæ Deum unum sapere olim didicissent.

Caput quidem quod sedes, ac domicilium cœlestium cogitationum: cor quod Divini amoris officina: lingua quæ hujus, atque illius instrumentum; nimirum hæc eructabat, quæ voluntas intellectu illustrata piè degustarat; & hoc beneficio divini Spiritus, qui ut in Apostolos; sic & in viros Apostolicos in linguis igneis erat illapsus.

QUÆSTIO QUINTA

QVÆ ILLVSTRIVM HEROVM, & Sanctorum in SPIRITUM SANCTUM religio, ac reverentia?

PLURIMA sunt, quæ in hanc rem produci possent, vel monita, vel etiam exempla, quæ partim alii in sua opera dispersere; partim in unum velut fasciculum collegit R. P. Paulus Barry nostræ Societatis in libro cui titulum fecit *L'Année sainte*: è quo pauca delibabo, & Lectori hic reddam; quia facilè evenire potest ut opus illud non minùs varium, quàm pium, non sit ad manum, & usum devotæ Spiritus sancti voluntatis.

Part. 2. §. 3.

1. Desiderium. Primùm igitur quod occurrit, est desiderium ingens, & ardor quidam igneus, quo anima ad donum illud cœleste anhelet, atque ardeat.

Ita quondam artifice visus Ludovicus Hierosolymæ, & Siciliæ Rex, qui etiam in proceres suos ea vota, piæque mentis æstus efferre voluit. Utque efferret efficaciùs, addidit etiam honoris illecebras, & nobilissimi Equitatus titulos, quibus dum caperetur nobilitas, etiam divini Spiritus flammas, ardoresque conciperet.

Du Pleix. in Hen. III.

Juvat illius meminisse temporis. Quæ cœli conniventia fuit, quæ Dei munificentia, ipso die Pente-

costes duo Regna adierat Ludovicus, & tum Jerosolymæ, tum Siciliæ corona donatus. Ut illius dei, ac beneficii memoria iret in posteros omnes, ordinem Equestrem instituit, cui à Spiritu sancto nomen fecit. Illi pro tessera, pro lemmate esse voluit hæc paucula verba: *Si Deo placet*; Quæ etiam ensis capulo inscribi, incidíque voluit Rex pius; ut non lingua tantùm inani verborum sono Dei placitum efferret; sed & manus, & ferrum: quæ uni divinæ voluntati parere voluit. Et hæc prima ordinis illius tessera, cui accessit & altera, quæ desideria, quæ vota de divino Spiritu concepta præferret. Visum enim Equites omnes ipso Pentecostes die in unam mensam admittere, cui hoc nomen, hoc lemma: *Desiderium rectum.* Amabat nimirum Regius Heros proceres suos in vota ire, & sacros desideriorum æstus, quibus è cœlo in sua capita Spiritum devocarent, & hoc ea Dei beneplacito, cui vivere, pugnare, vincere, mori certum erat, ac statutum.

II. Invocatio.

Et hæc prima Religiosi animi nota, cui accedit altera, scilicet frequens Divini illius Spiritus invocatio, quam olim usurpavit Venerabilis Mater Galbota de Sancta Anna, innocentiâ morum, & vitæ, inter suas clarissima, de qua illud refertur dignum posteris, & imitatione: quod ipso die Pentecostes millies repetierit, & in faventes cœlos emiserit hanc orationem, ceu elatioris animi sagittam.

Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium, Et hic fuit æstus, hæc piæ mentis aspiratio, quam etiam à viris magnis hauserat. A S. Francisco Xaverio, qui divino Officio, & horis omnibus illud præmittere: *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita.* Et R. P. Petro Fabro de Societate nostra, qui etiam ad singulos Psalmos istud præfigere: *Pater Cœlestis da mihi Spiritum bonum.* Ita nimirum viri illi longè Sanctissimi, & Spiritum sanctum venerari, & de cœli regia quodammodo devocare, brevi illa quidem; sed efficaci, sed nervosa oratione: magis fusam si amas, & velis, hujus exempla, & quidem alia, atque alia, pro alio, atque alio divinæ gratiæ appulsu, tibi dabunt illustres animæ, quas inter Catharina de Raconisiis ex ordine S. Dominici, quæ quotidie Litanias de Sancto Spiritu decurrere solita, non sine Numine & favore Cœlitum, quem etiam miraculo testari voluit ille ipse divinus Spiritus, qui in ipsis Pentecostes feriis, in eam illapsus amœna nubis specie cui involvi, tegíque visa pia Virgo. Quam Superum gratiam etiam auxit Deus illustriore prodigio, quo rursùm post duos annos, in secreto cubiculi vidit adventare duos Angelos comite D. Catharina Senensi; deinde cum ingenti fragore, ac lumine descendere divinum Pneuma, ignei globi formâ, è quò septem igneæ linguæ prodiere, velut ex grandi incendio scintillæ; quæ recto tramite cor piæ illius Virginis pervasere, ut scopum sagitta. A qua vulnus hausit. Sed amoris vulnus, ac caritatis: qua dum tangitur B. Jacoponus, totus in gemitus, & lacrymas effundi, causámque rogatus dicere; hanc unicam esse: *quod amor non amaretur.*

III. Amor.

Et hinc ascendo ad æstus, ad flammas, ad incendia divini amoris, quæ in bonis mentibus accendit ille ipse qui totus amor est, & quidem amor Æterni Patris, ac Filii.

Henriquez in Lilio Cister. Dist. 10. c. 2.

Ita accendit in Sancta Lutgarde, quæ ipso die Pentecostes, cùm à Monialibus caneretur sacrum illud: *Veni Creator Spiritus.* Visa est duobus à terra cubitis elevari. Nimirum animus hospes, comésque corporis, hoc, luteum licet, ac grave, domicilium suum attollebat tamen in sublime; & totum incendebat altiore Divini Spiritus flamma; quam etiam

Ita accendit in corde novitii, cui nomen Henricus Granus, hic, seu puerili simplicitate, seu etiam amore, studioque in JESUM infantulum qui visebatur in ulnis Virginis quotidie partem sui prandii deponebat ad illius pedes: nec frustra. Assumebatur enim quotidie quidquid deposuisset: ille ratus sensum aliquem inesse isti puellulo, petiit etiam ut sibi etiam loqueretur, & coram comederet. Tacuit tum infantulus JESUS, nec in præsentia comedit. Rem Abbati retulit novitius. Hic novitii simplicitatem simul & candorem demiratus: Age, inquit, iterum redi, & mihi refer quid dixerit imago puelluli. Abit porro, & hæc audit: *Infans, quem adeò amasti, ad suas te nuptias invitat.* Redit ad Abbatem novitius, & hæc narrat, jubeturque rursum redire, & ingenuè dicere, non posse ire se sine Abbatis sui bona venia, nec sine eo comite. Tum illi JESUS: Dic magistro tuo, & Abbati: Ambo venietis ad meas nuptias ipso Pentecostes sacro die, & quidem eo momento, quo cantabitur, hymnus *Veni Creator Spiritus.* Et ita factum est, & factum quàm optimè. Tanti refert incendi eo igne, quem Spiritus sanctus accenderit.

Tossanus Badoul in Triumpho anno Christi 3. Ian.

Uti & accendit in corde Raymundi Lulli, viri in paucis sancti, qui nihil spirabat, nihil meditabatur, nihil loquebatur, nisi Spiritum sanctum, qui amor est. Hinc rogatus cujus esset? respondit amoris sum totus. Ad quem tenderet? ad amorem totus. Quo pasceretur? amore totus. Ubi degeret? in amore totus? cui viveret, ac moreretur? amori totus.

Nimirum has casti amoris flammas conceperat ex illapsu illius, qui in Divinis quantus, quantus est, amor est. Ubi porrò hoc incensa fuerit anima, ubi sacros illos uberius admiserit ignes, tum eos etiam latè spargit, atque in alios effundit: vultque omnes eadem uri flamma, qua priùs ipsa exarserit. Sibi nempe scripsit, præscripsitque hanc cum Divo Bernardo tesseram: *Amore omnia.*

Quo in genere, etiam in purpura, sceptroque spectabilis fuit Henrici Tertii pietas, qui ut amorem hunc & sacratiores divini Spiritus flammas in procerum, nobiliúmque animos immitteret, etiam illecebras adjecit Equestris Ordinis, ac dignitatis; Heroico sanè facinore, cujus hic lubet meminisse.

P. Barry Part. 2.

Ipso die Pentecostes in Regni Polonici statibus in Regem adlectus fuerat Henricus, hujus nominis tertius, anno Christi septuagesimo tertio supra millesimum quingentesimum. Et hanc Regiæ dignitatis gratiam Spiritui sancto, & tribuere & debere voluit Rex pius: cui deinde anno sequenti accessit etiam altera; corona scilicet nobilissimi Galliarum Regni defuncto Carolo IX. illius germano fratre.

IV. Gratitudo.

Ut tanti beneficii memoria iret in posteros omnes, instituit Equestrem Ordinem, cui à Spiritu sancto nomen fecit, & titulum honoris. Et hæc una, cæteras inter, ratio fuit: at potissima altera; ut Ordinis illius insignia quisquis induisset, simul etiam indueret amorem illius cœlestis Spiritus; imò & arma, ferrúmque, quo etiam illius cultum honorémque adversus insurgentes hæreses tueri posset, fuso si opus esset sanguine. In quo avitæ religionis exemplo habet Gallia, habet florentissimum regnum, quod suspiciat & amet, quódque etiam prona quadam voluntate imitetur: & quidem primùm, perennem accepti beneficii memoriam: tum etiam ea illa debitos amores, ac venerationem. Hæc enim reddenda illustriori Spiritus sancti in nos beneficentiæ, etiam ex quadam æquitatis, ac justitiæ lege, quæ etiam Christianum quemque astringit: nemo enim est, ut misellus sit, quem non sibi devinxerit vel speciali, vel etiam communi cum aliis beneficio, quale esse potest vocatio ad Fidem, sacrúmque Baptisma: tum enim uberiore gratia in nos influxit etiam unà cum sacris undis, quibus abluebamur.

Hujus beneficii memoriam, ut perpetuam, ita vel maximè solemnem habebat pia Mater Margareta de S. Gertrude, Vallis Gratiæ Abbatissa, quæ sibi tria potissimùm tempora adlegerat, quibus ejus gratiæ meminisset.

Primum, erat ipse dies Sabbathi majoris Hebdomadæ, qui Antonomasticè, Sanctus dicitur, & quo tum innovantur, & sacrantur aquæ Baptismatis.

Alterum, fuit dies S. Margaretæ sacer, quæ scilicet illi Patrona obtigerat, ea à qua hauserat nomen quod haberet in terris.

Postremum denique, erat lux illa, quæ Pentecostes dicitur, estque sacra divino Pneumati; quòd una cum Baptismi aquis illius animam eluerat, gratiáque donarat copiosâ; tum primùm admissus in animam velut illius hospes, ac Dominus.

Et hoc beneficium Christianis omnibus uti commune est; ita profectò longè maximum. Ex illo quippe è tenebris in lucem, è cœno quodammodo in cœlum educti; è peccato ad gratiam; e servitute ad libertatem filiorum Dei, & cœlestis regni consortium, ac hæreditatem evocati: quod proinde & gratos animos exigit, & tantæ beneficentiæ æternùm memores.

****

DOMINICA
SS. TRINITATIS.



GEBATUR à Christo annus ter centesimus vigesimus supra millesimum, cùm Ioannes hujus nominis vigesimus secundus, pro ea, qua erat in Sanctissimam TRINITATEM religione, publico edicto sanxit, ut deinceps illi Sacra, ac festiva dies quotannis iret in Orbem universum. *Institutio Festi SS. Trinitatis.*

Hujus porrò institutionis aliæ, atque aliæ fuere rationes.

Una fuit ut publico illo, solemnique cultu Sanctissimæ Triadis retunderetur impudens hæreticorum audacia, effrons animus, insolens impietas, quæ hoc mysterium quà voce, quà etiam calamo petulantiùs impetebat; simulque in germanis Romanæ Ecclesiæ filiis, tam reconditi dogmatis Fides astrueretur, firmaretúrque annua illa veneratione. *I. Ejus ratio.*

Accessit & alia ratio, quæ illud omninò persuasit; nec enim toto anni decursu, ullus erat dies, qui Deo soli tribueretur; quisquis enim in Ecclesia dies festus agebatur, is aut Sanctis ascribebatur, ut Dei servis, atque amicis: aut si Dei nomini, cultuique inscribebatur, non spectabat Deum unum (ut est in seipso) sed ut nobis beneficus, ac liberalis, adeóque ut aliquid involvit creatum. *II. Ratio.*

Ita Filii Dei cunas, ac Natalitia, Circumcisionem, ac Mortem recolimus.

Ita Spiritum Sanctum veneramur: sed tanquam in nos illapsum per gratiam, aliáque Divinæ charitatis argumenta.

Et in his omnibus (ut liquet) non colitur Deus unus, Deus solus, Deus in se; sed ut in illa creatum aliquod quodammodo imbibitur.

Ut ergò disceret Ecclesia, disceret Fidelis anima Deum non tantùm ut nobis beneficum venerari (quod spectabat ad amorem concupiscentiæ) verùm etiam ut erat in se ipso (quod amori amicitiæ tribuendum) instituit Summus Pontifex diem SS. TRINITATI festum, ac solemnem, quo ad Deum suum, Deum unum assurgeret animus, & creata omnia supremo Numine inferiora exueret.

Et hæc paucis attigisse sit satis, descendo ad alia, quæ per varias quæstiones evolvo.

QUÆSTIO PRIMA

THEOLOGICA.

AN NATVRA, ET RATIONE DVCE cognosci poßit mysterium SS. TRINITATIS?

Curiositas in Divinis periculosa



ULGATUM illud ac solemne D. Augustini pronunciatum: *Scrutator Majestatis opprimetur à gloria.* Et certè multos habuit, luxitque Antiquitas, quos nimis propera, importuna atque insolens Divinorum indagatio perdidit.

Zoroastes, qui sic appellari voluit, cum priùs Zorades diceretur, se ζῶον ἄστρον, jactitans, dum curiosiùs vim cœli, astrorum cursum, planetarum periodos scrutatur, ab iisdem incensus periit: adeò periculosæ plenum opus aleæ, superiora ac cœlestia, infirmâ, debilique acie consectari. In quod argumentum cadit illud, quòd habet Nicetas de Theologis Græcis, qui cum curiosiùs de Divini Verbi Incarnatione apud Commenum Imperatorem disputarent, repentè alieno anni tempore, ingens tonitru exauditum est tanto fragore, ut ex iis nonnulli in terram corruerint. Ubi Cœlum ita insonuit, ubi cum fulmine suas sparsit iras; tum è Theologis unus aliquis Elias nomine, aperto libro de terræ motibus, ac tonitru; scriptum invenit πτῶσις σοφῶν, id est, *casus sapientum.*

Occurrit autem illud non casu, sed amabili Dei providentiâ, quæ etiam tum mortalibus ostendere voluit, cadere quàm plurimos ac desipere, dum nimiùm sapiunt, & altiora illa atque inscrutabilia Sanctissimæ Triadis mysteria humana ratione, suoque pede metiri volunt, ausu sanè temerario, & stulto; nec enim illa, ut quàm maximè velint ac tentent, penetrare poterunt.

Dixit Aristoteles, & verè: *Intellectus noster ita se habet ad manifesta naturæ, sicut oculus noctuæ ad Solem.*

Ea non capit humana ratio.

Si ea, quæ sub oculos cadunt, & manum; si quæ tangimus, quæ fidelibus usurpamus oculis tanquam nuda & patentia; si, inquam, ad ea caligamus, & propè cœcutimus, nec ullo modo assequi, ac penetrare possumus; qua tandem viâ, altissima illa, ac divina pervademus?

Si Philosophus Aristodemus, vir cæteroquin ingenii perspicacis, multis annis, imò totius vitæ cursu, unius apis naturam, geniúmque pervadere non potuit; qui poterit abjectus homuncio, Dei sui, Conditoris sui naturam pernosse ac pervidere? Si seipse non capit homo, qui Deum capiet? Enimverò non capiet unquam sola duce natura, ac ratione, nisi ad hanc, & illam Fides accesserit.

1. Par. q 32. art. 1.

Et hæc sententia D. Thomæ, & Theologorum omnium, qui hujusce suæ assertionis causam hanc producunt. Non potest naturæ lumen, ratióque ducere in cognitionem Dei, nisi ex effectibus, & creaturis, quæ hoc Orbe aspectabili visuntur; at effectus illi creaturæ, non pendent à Deo ut trinus est: verùm ut unus. Habent enim Deum ut unum principium, quippe in tribus Personis: ut una essentia, sic & una virtus, unáque actio ad extra. Et hinc ratio naturalis tantùm ostendit, ac probat in Deo unitatem essentiæ; TRINITATEM autem personarum non exhibet.

Uti nec mysterium SS Trinitatis.

Deinde ut vulgatum, ita verum illud axioma: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu;* vel in se, vel in aliquo simili; nihil autem in rerum natura, quanta quanta illa est, quod unum sit, & tamen trinum. Ex quo confici illud est necesse, SS. TRINITATIS mysterium cognosci non posse nisi Divina revelatione, nisi fide, ad quam etiam D. Thomas, aliique Theologi requiri volunt piam aliquam motionem; ut sic intellectui, ac voluntati sit benè. 2. 2. q. 1. de Fide.

Ideò Fide est opus.

Fides enim est lux aurea, & veluti Sol bonæ mentis, qui intellectui in Divinis quasi cœcutienti oculum aperit, & facem offert, ut recondita, atque abstrusa mysteria pervadat.

Et pia motione.

Pia verò motio, est impetus quidam, ac veluti sacrum aliquod pondus, quod voluntatem inclinat, & trahit in obsequium Fidei.

Pro qua in hoc articulo confirmanda pauca producam è Divinis paginis testimonia: & quidem primò ex D. Paulo, qui hæc olim extulit ad tanti mysterii lucem, ac venerationem: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula.* Ad Rom. c. 11.

Ecce uno in loco & naturæ Divinæ Unitas, & Trias personarum bellè expressa, etiam interprete D. Augustino. L. 1. de Trinit. c. 6.

Ex ipso; hoc cadit in Patrem, qui in Divinis est principium sine principio; principium ad intra, principium ad extra.

Per ipsum; hoc Filio quadrat, quia vocula *per*, significat originem à Patre, & Sapientiam increatam, per quam creata sunt omnia.

In ipso; hoc convenit Spiritui sancto, qui ipsa bonitas, qui amor, qui nexus in Divinis.

Ipsi gloria; Ecce individuæ naturæ Unitas: non enim ait ipsis; sed ipsi. quod naturæ singularitatem sonat.

Ita uno in loco mysterium illud comprehendit Apostolus; tacitè tamen & piis quibusdam verborum involucris, quæ deinde evolvit, expliciutque D. Augustinus ad lucem tam ineffabilis mysterii, quod clariùs expressit ipse Salvatôr, dum vitæ redditus, sic ad Discipulos:

Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Matth. c. 28. vers. 20.

Ecce augustum, ac cœleste Fidei lumen, quod sequi debet mens fidelis; relicta qualicumque rationis, ac naturæ face.

Exhibita quondam Moysi species, & imago rubi ardentis, quam dum usurpat oculis: *Vadam*, inquit, *& videbo visionem hanc magnam quare non comburatur rubus:* dum vadit & illi propiùs admovetur, audit ab Angelo: *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Exod. c. 3.

Quod illi eò loci, ac temporis dictum; hoc iis omnibus, qui propiùs ad ardentes rubos, hoc est, Fidei nostræ mysteria contemplanda accesserint. Audient illi, ne appropies huc natura duce, comite ratione, sed solve calceamenta terrenarum cogitationum: locus enim in quo stas terra sancta est, & mysteria, ad quæ profano pede appropinquare cogitas, & nimis ardua sunt, & nimis abstrusa, quàm ut ea penetrare possit mens humana sibi relicta; ad eam appellat vis altior, est necesse.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS,

QUÆ SS. TRINITATIS VESTIGIA in creaturis DEUS *olim expresserit?*

Vestigia SS. Trinitatis.



AM inde ab orbe condito quædam sui vestigia in creaturis sparsit Deus Unus, & Trinus: & quidem alia rebus ipsis impressit; alia verbis, atque oraculis expressit. E multis pauca seligemus. Et quidem primò è natura inanima, tum è plantis, & animantibus; tum denique ex homine.

I. In Gemmis. Plinius meminit gemmæ, cui nomen est *Triophtalmos*, sic dicta, quod simul exprimat tres hominis oculos, una luce coruscantes: eam D. Gregorius Nazianzenus, in odis suis appellat φῶς τρίλαμπές, id est, lux una triplici face collucens.

Symbolum est SS. Triadis, quæ una veluti divinæ naturæ luce in tribus personis eminet atque coruscat.

II. In Plantis. Nec minùs in Palma ludit amabilis Dei sapientia. Ejus fructus sunt dactyli, è quibus si unum terræ commiseris, ex uno nascuntur tres palmæ: quod si tres dactylos eidem solo injeceris, è tribus assurgit una palma: sic in uno tribúsque, unius Dei triniqúe essentiam, ac personas exprimit author naturæ.

III. In Animalibus. A plantis ad animalia transeo, & illa Triadem exhibent, seu terra, seu mari, seu patenti æthere.

Leæna quadrupedum princeps primo partu tres parit leunculos; secundo unicum, qui mole æquetur tribus.

Delphinus dum pacato lascivit æquore tres Delphinos progenerat, nec unquam nisi tres in omni vita.

Aquila regia volucris non incumbit ovis, non excludit pullos, nisi tertiò in vita: ita tribus delectatur natura, indubiè quia à Deo in essentia uno, in personis trino surgit, vivit, ac spirat.

IV. In Homine. Quòd si in cæteris animantibus impressa rudis aliqua imago, ideáque SS. TRINITATIS, in homine certè expressa magis, & concinna. Huic anima est una; verum ut una sit, innatâ tamen sibi virtute, ac potentiis est trina: nam & vegetativa, & sensitiva, & rationalis est; & esse habet, & vivere, & intelligere; & memoriâ, & intellectu, & voluntate prædita, ut imago quædam sit, & adumbrata Dei unius, ac trini similitudo.

V. In Philosophorum libris. Et hæc indita rebus ipsis vestigia; alia verbis, factis, moribus expressa; vel in profanæ gentilitatis monumentis, vel etiam in Sacris paginis. Ex his, & illis pauca petemus.

Plato Philosophorum facilè princeps, in Epistola ad Dionysium, suum in studio sapientiæ discipulum, sic olim scripsit.

Loquar tibi per ænigmata, ut si Epistola deprehendatur, nihil infortunii accipiar. Fuit autem hoc ejus ænigma. Circa omnium Regem, omnia sunt; circa verò secundum, secunda; circa tertium, tertia.

Hæc ille obscurè quidem; sed ideò fortè ut serviret tempori, ut vulgo, tempestatique cederet, quam extimescebat, si nova & tum inaudita Religionis dogmata, in lucem extulisset. De his certè clariùs Pythagoras, cujus hoc solemne effatum: *ἓν τρία καὶ τρία πάντα. Unum, tria, & tria omnia.*

Trismegistus, hoc est à singulari sapientia, ter sapiens, hoc edidit pronuntiatum:

Monas genuit Monadem, & in seipsum reflexit ardorem. Hoc interpreti Christiano erit. Pater genuit unicum; Filium scilicet, & unà cum illo in seipsum reflexit ardorem, hoc est, Spiritum sanctum, qui in Divinis, amor est. Quid luculentiùs dici potest. Aristoteles purioris Philosophiæ ocellus, hoc etiam reliquit dignum Lycæo meliore: *Tria sunt omnia, & ipsum ter in omnem partem sese effundit.* L. 1. de cælo.

Et hæc fuêre Antiquorum illorum placita, quæ fortè hauserunt ex sacris Bibliis, quæ tum evolvere potuerunt, maximè verò in Genesi, & iis, quæ ad Universi creationem spectavere; quæ curiosiùs illi perlegerunt, atque in primis Aristoteles, qui hæc olim de ejus authore dixisse fertur: *Iste author multa dicit, & nihil probat.*

Nimirum factum illud suavi Dei providentiâ, ut quia ternarius increatus, fons erat, & origo bonorum omnium, ideò & ipsa Trinitas Gentilium mentibus quendam ternarii numeri amorem conciliaret, ac venerationem. Ex hac factum primò ut ternarium crederent esse principium multitudinis. Deinde esse numerum sacratiorem, quo proinde utebantur in Sacrificiis; ter enim libabant.

Tum etiam ternarium putarunt esse numerum perfectionis, ac beatitatis; quia ut ait Aristoteles: *Tria sunt omnia.* Tria enim continent principium, medium, & finem; quibus omnia contineri est necesse.

Beatitatis autem, quia ubi summè beatum dixere, ter beatum dixere, ipséque Deus, ter Opt. ter Max. appellari solet.

Et hæc petita è dictis Sapientum licèt Gentilium: amat nimirum Divina providentia etiam ore profano arcana mysteria propalari: imò quod mireris etiam per impia Sacra, & idola, in mortalium notitiam venit unius Dei, triniqúe Fides.

In Ægypti regione, in urbe Sais visebatur statua Palladis, quam Sapientiæ Deam nominare & colere soliti. Gestabat illa appensum è manu scutum, in quo legebatur hæc Epigraphe: *Sum qui sum, qui fui, qui ero; quem ego peperi Sol est, velum quo tegor, nemo revelavit.*

VI. In Oraculis etiam profanis. Sub hoc emblemate tegebatur hæc veritas, intermina Dei natura, Divinitas, & Personarum Trinitas. Et quidem Æternus Pater his verbis: *Sum qui sum, qui fui, qui ero.* Filius autem, qui ab illo dimanat, hac vocula *Sol*, Sapientiæ scilicet increatæ, quam genuit Pater. Spiritus verò Sanctus sub hoc nomine *velum*: Solet enim obumbrare quem tegit, ac protegit.

Ecce tibi sub oculos SS. TRINITAS, quam etiam clariùs explicuit idolum Serapidis Tullo Ægyptiorum Regi.

Quærebat hic ex Idolo, num aliquis in Orbe se fœlicior? Subjunxit illud: Tres in Orbe sunt te fœliciores, & hi tres unum sunt. Primus dicitur Pater; secundus, Verbum; tertius, Spiritus: & hi tres ita inter se connexi, ut etsi tres sint, faciunt tamen unum.

Quid clarius? quid apertius efferri potuit? Nimirum à spiritu mendaci etiam veritatem extorsit Deus; imò passus est ut idola sua sic effingeret.

Sic apud Græcos Hecatem triviam fecit. Apud Romanos Divinitatem his nominibus supposuit: Medius, Fidius; Semipater.

Apud Druydas erexit simulacrum Herminsûl, cujus hæc compositio, atque ex ea hausta Etymologia: *Her*, id est radix; *min*, hoc est germen; *sul*, idem est quod reliquum.

Apud

Apud Japonios idolis appendit tria fila ejusdem omninò coloris, unóque implexa nodo. Tria fila, Personarum Triadem; nodus unus, naturæ unitatem exhibebat. Ecce ut in fictili Deo ludit malus dæmon, & aliqua Deitatis specie malè illudit.

VII. In sacris paginis. Sed abeamus à profanis, & à sacris paginis ducamus aliqua SS. TRINITATIS vestigia.

Primum videbitur in ipsa mundi infantia Adamique creatione, de qua sic ad invicem quodammodo colloqui divinæ Personæ: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. c. 1.

Et hoc facit ad hominis decus, ac dignitatem. Ad pœnam illud: Ubi homo eò evasit amentiæ ut cœlos ipsos petere auderet, & erigere insanam illam substructionem turris Babel; tum insonuit ea SS. Triadis vox: *Venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum.* Quæ voces cùm numero plurali usurpentur, satis arguunt Personarum in Divinis pluralitatem. Gen. c. 11.

Eandem ostendit visio quondam Abrahamo objecta: Tres ille vidit Angelos peregrini specie adventantes; tres vidit, & unum adoravit, jam inde conscius tanti mysterii.

Eò quoque vocari potest illud quod de Jacobo Patriarcha circumferri solet. Cùm fugeret ille, & timendas fratris iras declinaret, de via fessus, occiduo jam Sole, tres tulit lapides, capiti supposuit, & obdormiit. A somno excitatus, sensit eos in unum coaluisse, non sine ingenti stupore, ac miraculo, quod astruunt non Rabbini tantùm, sed & Catholici doctores Lyranus & Galatinus (penes quos sit dictorum fides.) Quod Abrahæ, & Jacobo, hoc est Moysi exhibitum mysterium. Ascenderat ille in montem Horeb, ubi in oculos venit rubus ardens perenni, atque innoxia flamma, quam dum intuetur Moses, quærit quocum loquatur, & agat, auditque à Domino istud:

Exod. c. 3. *Ego sum Deus Abraham, Deus, Isaac, & Deus Iacob.* Hoc cœlo redditum oraculum, in quo D. Basilius agnoscit unà cum Monade expressum Triadis mysterium. Cum enim dicit Deum, indicat unitatem, & singularitatem naturæ; cùm autem ter repetit Dei nomen, insinuat Personarum numerum, & pluralitatem; quam etiam notatam volunt Hebræi sapientes in nomine ineffabili *Iehovah*, in quo tres litteræ, indices trium Personarum.

VIII. In Dei nomine.

Prima littera est, *Iod*, quæ Hebræis est principium numeri. Ex illa Patrem habes, qui in Divinis est principium sine principio.

Secunda est, *He*, quæ essentiam, & naturam significat à Patre, Filio communicatam.

Tertia, *Vau*, quæ apud Hebræos est copula: & hæc exprimit Spiritum sanctum, qui in Divinis est veluti nexus, & amor Patris, ac Filii. Et hæc est cognatio Divini illius nominis cum SS. Triade, quam etiam iidem Hebræi denotandam censuerunt alio Symbolo; cùm Divinitatem pinxerunt in circulo, cui inscribebant triplex *Iod*, supposito unico puncto medio, quod appellabant *Cametz*. Punctum nota fuit unitatis, tria *Iod*, TRINITATIS.

Sic nimirum amabilis Dei providentia illi mysterio prælùdere voluit, & antiquis illis rudia quædam ostentare lineamenta, quæ deinde perficeret, addita veluti ultima manu, à Fide expressa, divináque revelatione, quæ mysterium illud à sæculis absconditum in lucem efferet; & quidem primùm subobscurè uti fecit in umbra, noctéque annuæ Legis: deinde clarè, ut videmus in die, Soléque novæ legis, ac gratiæ, ad quam Dei beneficio vocati sumus, quod singulare Divinæ in nos beneficentiæ fuit argumentum; quod luculenniùs patebit si illius modum, & ordinem veluti sub oculos ponamus.

Erat genus omne mortalium jam inde ab æternitate in ideis Divinis, erat sub aspectu supremæ illius mentis, sub qua etiam & nos ipsi, quasi involuti, implicitique innumeræ illi multitudini, è qua paucos, hoc est Christianos, adlegit, quibus illucesceret id Fidei jubar.

Fidei dico, quæ cœleste lumen est, quæ dies alta, sine qua tenebræ, & nox æterna.

Fidei, quæ est basis, ac fundamentum cæterarum virtutum.

Fidei denique, quæ primum Dei donum est, & illud quidem gratuitum. Et hoc est, in quo mirari, atque amare debemus suaves Divinæ providentiæ Leges, quæ nos in id Gratiæ vocavit; cùm nihil essemus, unde ea nobis potius, quàm aliis conciliari posse videretur. Ideóque hoc quantum quantum, beneficii fuit, non fuit volentis, neque currentis; sed miserentis Dei.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

QUÆ SINT OLIM EDITA MIRACULA AD confirmandam in animis SS. TRINITATIS *fidem?*



Cant. c. 4. v. 4. ECCLESIA componi solet cum *turri David*, è cujus propugnaculis *pendent mille clypei, & omnis armatura fortium*: Si quæras, quæ sint illa propugnacula? audies ex D. Gregorio esse miracula; clypeos verò, qui versantur partes in omnes, esse generosos virtutum heroicarum actus; quorum usus frequens in bello spiritali, & quibus excipiuntur, ac retunduntur omnia hostium tela.

Quod in aliis religionis nostræ mysteriis usu venit; hoc & in SS. TRINITATE, cujus fidem in nobis stabiliunt, ac propugnant edita priscis sæculis miracula, è quibus pauca hic adnectemus.

I. Miraculum. Et primum quidem inter ea reponi potest, objecta quondam Isaiæ species; vidit ille apertum cœlum, atque explicari immensa Divorum atria, in quibus eminebat solium Dei judicis, ac vindicis totius Universi: ad gradus illius imos spectabantur Seraphim, qui alterna voce inclamabant illud: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Hæc beatæ mentes SS. TRIADI accinere auditæ, ut vel ex eo Prophetiæ innotesceret & personarum TRINITAS, quibus foelicet ter accinitur *Sanctus*; & naturæ unitas, cùm Dominus & Deus dicitur: in quæ verba sic Doctor Seraphicus: Cap. 6. v. 3.

Deus ter Sanctus ab Angelis proclamatur. Sanctus enim est in seipso; Sanctus in homine; Sanctus in opere bono; Sanctus in opere Creationis; Sanctus in opere Redemptionis; Sanctus in opere glorificationis. Omnia de SS. Trinit. serm. 1.

II. Miraculum. Hoc trisagium etiam apertis cœlorum valvis audiit S. Ignatius, ac deinde etiam puer Constantinopolitanus, ut ex ore quoque infantium prodiret veritas. Juvat illius meminisse temporis. Vertebatur à Christo annus quadragesimus sextus supra quadringentesimum, cùm ingens terræ motus Constantinopolim propè excussit; fortè quia terra impatiens

erroris,

erroris, Eutychetis hæresim non ferebat: cùm ecce puer veluti turbine quodam abreptus, in æthera sublimis educitur, auditque ab Angelis solemne illud trisagium, quod deinde Proclo Archiepiscopo fideliter narrat, monetque ut illud ipsum publica voce pronunciet; tum enimvero placandum Numen. Fidem probavit eventus; vix enim populus inter sacras preces usurparat illud: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis:* cùm resedit ille motus, & tellus quieti suæ reddita. Ut scilicet uni Deo, trinoque sua apud mortales constaret fides, ac veneratio.

Huic miraculo occasionem dedit infandus Eutichetis error, quod subjicio Arii hæresim arguit, damnavitque. In Nicæno Concilio contra Arium

III. Miraculum.

SS. TRINITATIS hostem acerrimum disputabat fortiter S. Nicolaus, qui ut non tantùm verbis; sed & miraculo, huic mysterio fidem astrueret, in manus sumpsit laterem, eumque deinde fusâ ad Deum prece resolvit in ignem, aquam, & terram; è quibus fictus, & compactus videbatur. Sic tria illa, quæ prius in unum; eundemque laterem coaluerant, nullo propè discrimine; postea discreta, sejunctàque apparebant. Ut sic in simili (rudi quidem illo, atque imperfecto quale solum exhibere potest natura) disceret Arius, discerent Ariani in unam Dei essentiam convenire posse personas tres: ut ignis, aqua, terra in unum laterem artificis manu coaluere. Ita de hoc prodigio Nicephorus. (L. 14. c. 46.)

Illi affine est hoc cujus meminit D. Gregorius Turonensis. (L. 1. de glor. mar. c. 13.) Cùm obsideretur urbs Bazaz à Genserico Hunnorum Rege, miraculo tandem, ac vi divina soluta est obsidio.

IV. Miraculum.

Cujus beneficii cùm Deo vindici, ac liberatori redderentur gratiæ, offerreturque solemne Sacrificium, visæ sunt in Altare delabi tres guttulæ lympidæ, cristallinæ, ejusdemque omnino molis. Novum illud prodigium demiratus Sacerdos, qui forte astabat aris, patenam objecit, easque excepit. Mirum dictu, visùque! tres illæ guttulæ primùm in unam coaluere, tum etiam in gemmam mutatæ sunt, vi nova miraculòque novo; quod dum suspicit ac veneratur Episcopus, gemmam aureæ cruci, aliis quoque gemmis ac margaritis illustri inseri voluit.

V. Miraculum.

Sed ecce portentum novum; vix enim gemma illa erat inserta cruci, cùm derepente dissilire atque diffringi aliæ omnes: diceres sensisse vim prodigiosæ illius gemmæ, lucémque suam præ illius luce, nitoréque damnasse.

Et quoniam lucis memini, non possum illud prætermittere, quod olim D. Brigittæ fuit exhibitum (Lib. 8. Rev. c. 48.) veluti symbolum aliquod SS. TRINITATIS.

Vidit illa radium luminis, miri profectò splendoris, tinctum etiam colore triplici, quali ferè solet Iris.

VI. Miraculum.

Unus erat aureus, alter rubeus, postremus albus. Color aureus, symbolum erat Æterni Patris; Rubeus Filii, qui totus ab humanitate, à sanguine rubuit; Albus, Spiritus sancti typus, & umbra fuit. Hæc fuit objecta de cœlo species, in qua & hoc mirabere, quod licet aureus color, nec rubeus, nec albus, aut contra videretur; in aureo tamen spectabatur & color albus, & rubeus; ut hoc viso proderet, quod etsi in divinis una persona non sit alia; sit tamen illis una natura.

Quod ipsum, à cœlo interprete, didicit S. Brigitta; dum enim oblatam radii hujus lucem, jubárque con-

VII. Miraculum.

templatur attentiùs, affuit illi bonus Angelus, qui SS. Triadis mysterium hac vocula latina explicuit, *Ita*; id est veritas. Nimirum ea vox è tribus litteris componitur, è quibus si vel unicam sustuleris, totam ut tollas est necesse. Ita se res habet in Divinis; unam personam si tollas, omnes ut tollas oportet. Nec enim Pater esset nisi se intelligendo infinitè fœcundus esset, adeòque perfectissimum sui Verbum exprimeret, qui Filius dicitur; nec esset Pater, & Filius nisi infinitè se amando illius amoris haberent terminum, qui Spiritus est.

His affine est illud quod B. Idæ Virgini sanctissimæ contigisse legimus: profundùm illa dormiebat, corpore quidem, & sensibus sopita: at animo vigili,

VIII. Miraculum.

& cœlesti igne succenso: hinc & lucere, & ardere cubiculum, & adeò quidem, ut etiam vicinos, quasi ad extinguendum incendium, excitet: & certè incendium erat; sed animi, sed amoris, & divini quidem, quo tota ardebat Ida: cui etiam inter hos æstus, atque ardores adfuit bonus genius, eique obtulit tres lapides pretiosos, quos dum oculis, animoque lustrat nesciaquid illi portenderent, audit ab eodem Angelo referre SS. TRINITATEM, quæ in eam (Bollandus 11. Ian.) quodammodo illabi, eique dari videbatur, inusitato ac mirabili divini amoris prodigio, à quo & illud quoque consecuta, ut dono miraculorum in paucis clareret, nam & morbos omnes è corporibus, & dæmones è malè usurpatis hospitiis depellere, & futura, longè ante quàm evenirent, certò edicere; & hoc quia SS. TRINITATIS imprimis amantior erat, atque observantior.

Et hæc prodigia faciunt, tum ad hanc Fidei veritatem in luce, ac Sole ponendam, tum etiam ad demonstrandam singularem DEI ter Opt. ter Max. erga mortales providentiam, ac miserationem: quæ subjiciam ad pœnam conducunt, ac vindictam exigendam ab iis, qui pervicaci mente huic articulo fidem detraxissent.

Anno Christi quingentesimo, Theodorico Rege, Carthagine degebat Olympius Episcopus Arianus.

IX. Miraculum.

Hic forte vel animi, vel valetudinis causa corpus balneis dum eluit, simul etiam animum infandâ in SS. TRINITATEM blasphemiâ polluit. Agebatur nimirum insano hæreseos æstu, & totus ibat in maledicas voces, quas impunè in cœlum mitti non tulit Deus, vitæ, & mortis arbiter. Mox enim visa ab irato æthere elabi tria fulmina in modum sagittarum, quæ in noxium caput illapsa, incendêre penitùs, atque exussere. Ita tribus jaculis impetitus periit ille, qui in Deum unum, trinumque linguam blasphemam acuit. Ut & simul sonti sua esset pœna, & SS. TRIADI eo prodigio fides astrueretur.

Sed hoc antiquiores est memoriæ, demus aliud recentioris. Parisiis, urbe Galliæ principe, & Academia nobili, Theologus unus aliquis, cui nomen *Simon Churnay*, cum per annos omnino decem scholas Artium feliciter rexisset, Theologiæ deinde laurea donatus, magníque inter Academicos nominis tum (Spondanus anno Christ. 1201 p. 14.) ob insitam ingenii vim, ac perspicaciam, tum ob singularem in explicando solertiam, atque facundiam etiam in quæstionibus quibusque difficillimis. Hic die quadam, cùm è pulpito de SS. TRINITATE disputasset ea in obscuris luce, quæ potuit esse maxima, & inde plausum retulisset, ac palmam, eo successu redditus insolentior, ausus est etiam in has blasphemiæ voces erumpere:

O Iesule, Iesule, quantum in hac quæstione confirmavi Legem tuam, & exaltavi: si malignando, & adversando vellem, fortioribus rationibus, & argumentis, scirem illam infirmare, & deprimendo improbare.

Hæc ille, animo impotenti, & fastu insolentiore; quem inultum abire non scivit DEUS, Unus, & Trinus: sed pœnam illico exegit: derepentè enim velut elinguis obmutuit, & eam, quam longis lucubrationibus, & annis quamplurimis sibi acquisierat sapientiam, ita exuit, ut ne de illa, & ex illa verbulum deinceps eloqui potuerit: imò, quod mireris, & stupeas, vix biennio toto, à filio edoceri prima litterarum elementa: vix memoria capere, ac retinere Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum; vix etiam ea balbutiendo pronuntiare: adeò in blasphemum vindex, & ultrix SS. TRIAS.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA THEOLOGICA.

QUÆ ADVERSUS SS. TRINITATIS MYSTERIUM enatæ hæreses, & quomodo deinde ab Ecclesia damnatæ?

Hæreses contra SS. Trinit. MULTOS vidit, luxítque Antiquitas à Fide naufragos, vel eò tantùm, quòd divina suo pede metiri, Deum intra ingenioli sui angustias quodammodo cogere, & mysterium SS. TRINITATIS ad humanas rationes revocare voluerint: cùm è contrario illud & casto silentio tegere, & pio cultu, ac debitâ submissione venerari debuissent, non curiosâ indagine perquirere: ut olim fecere hæresiarchæ, qui ideò malè perierunt. Ex iis præcipuos stylo notabo.

A Christo nato abiere centum, eóque ampliùs anni, quibus nemo (quod sciam) hoc mysterium vel maledicâ linguâ laceravit, vel calamo pupugit.

I. Hæresis. Secundo sæculo, prodiit nescio quis terræ filius Hermogenes, qui tres personas in Deo negavit; voluitque easdem esse, & officio tantùm inter se distinctas.

II. Hæresis. Tertio sæculo, in auras reluctantes emersit Sabellius, qui personas non re distinxit; sed duntaxat nomine: aiebat enim Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tria esse nomina unius, ejusdemque personæ.

III. Hæresis. Post Sabellium surrexit Arius præsbyter Ecclesiæ Alexandrinæ, qui etsi tres personas admiserit etiam realiter distinctas, Filio tamen Divinitatem ademit, censuitque similis esse cum Patre substantiæ, non ejusdem. Contra impium illud dogma coactum est Concilium Nicænum, anno Christi ter centesimo vigesimo quinto; cui interfuere Patres octodecim supra trecentos, qui omnes fortiter stetere contra Arium, & Arianos, qui Filium jactabant creaturam Patris, & Spiritum sanctum creaturam Filii.

IV. Hæresis. Anno primo quarti sæculi, in arenam venit Macedonius, & audax extulit, ac scelestum dogma, quo Spiritui sancto Divinitatem detraxit: negavit enim ejusdem cum Patre, Filióque esse naturæ, nec creatorem esse voluit; sed creaturam.

Illi consensere Græci ferè omnes, vel hoc uno ab Ecclesia, Fidéque longiùs elapsi. Hinc longum schisma, infanda hæresis & miserabilis casus mundi Sapientium. Et hæ sunt hæreses infandæ, in quas

V. Hæresis. abierunt jurati hostes SS. TRINITATIS, ad quas pro errorum, malorúmque cumulo accedet immanis Calvini in Spiritum sanctum calumnia: etsi enim apertè non impugnet hoc mysterium; attamen occultè petit, & tacitè impugnare videtur. Ait enim primò; liberè dicimus Dei nomen singulari prærogativâ attribui Patri: quo loquendi modo tacitè insinuat impropriè attribui Filio, & Spiritui sancto: quòd si fateatur illud, necessùm est agnoscat etiam Filium, & Spiritum sanctum impropriè Deum; imò nec esse Deum. Deinde docet Patrem genuisse Filium; & produxisse Spiritum sanctum, quia voluit; qua loquendi formulâ satis innuit & liberè voluisse, adeóque etiam liberè genuisse Filium, & liberè spirasse Spiritum sanctum. Quod si ita esset, consequens esset & illud, ut Filii generatio, & Spiritus sancti productio non esset necessaria, immutabilis, & æterna, adeóque nec Filius, nec Spiritus sanctus necessarius, immutabilis, æternus, & quod inde conficitur neque Deus. Et eo ferè labitur Calvinus, quamvis more suo, id est, subdolè lectorem suspendat, neque seipse satis explicet. Is nimirum hæresi solet esse genius, non prodit illa apertâ fronte; sed plerumque quibusdam verborum involucris obducta, & malè tecta, ut lectorem alliciat, non avertat.

Ad hunc Calvini errorem accedit maligna quædam in Ecclesiam calumnia. Usurpat hæc, & benè avitum illud precandi genus. Sancta TRINITAS unus Deus, miserere nobis. Hoc audire non potest Calvinus sine stomacho, graviquè nausea, quam sic aperit in epistola ad Polonos. Ista oratio communiter recepta, *S. Trinitas unus Deus, miserere nobis, non mihi placet; sapit enim suam barbariem.* Hæc ille & insulsè, & impiè. Cur enim non placeat ea oratio? Certè si in ea latens mysterium requiritur; exprimitur hoc quàm clarissimè. Si devotæ mentis ardor, si ad divina humilis submissio, & hæc in eà patescit vel maximè.

At *Barbariem*, inquis, *sapit*. Ne tu Barbarus es Calvine, ne stupidus & ameos, qui nescis in oratione desiderari cultum non verborum, sed animorum; nitorem mentis, non linguæ. Hanc Deus, qui totus spiritus est, non spectat, non attendit, sed illam. Parum, imò nihil interest, quæ sit vox orantis, quis stylus; cultúsne, an incultus; dummodo pius, & ad conciliandum Numen compositus.

Sed discedamus à Calvino, cujus linguam, calamúmque acuit insignis quædam malevolentia, & prurigo ea improbandi, quæ Romana probasset Ecclesia.

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

QUÆ SANCTORUM IN BEATISSIMAM TRINITATEM *religio? Quæ veneratio?*

VIRUM profectò, & insolens videri debet, malè sibi providos mortales vitam propè omnem terere contemplationi, studioque rerum abjectissimarum, nec assurgere ad mysterium illud SS. Triadis, quod omnium facilè princeps, quod religionis nostræ caput, quod Fidei objectum longè augustissimum, quod origo, & fons omnis Sanctitatis. Mirum, inquam, illud, atque inprimis damnandum. Et certè damnavit olim in filio bona mater S. Edmundi Archiepiscopi. E vivis illa discesserat, ævóque in cœlis fruebatur beatiore, filiúmque in terris despiciebat plus æquo disciplinis Mathematicis addictum; ut nimiam illam profanæ scientiæ I. Meditatio frequens SS. Trin.

cupidita-

cupiditatem restringeret, ei sese spectandam dedit, manum prehendit, digitósque in circini formam diducens, in mensa (cui fortè speculabundus assidebar) tres circulos descripsit; ad primum quasi pro sacro lemmate adjiciens, *Pater*; ad secundum, *Filius*; ad tertium, *Spiritus Sanctus*. Hæc ubi Filii oculis supposuit pia mater, terris excessit, & cœlo est reddita: peracta quippe erat scena, cujus ergo venerat; ut scilicet juvenem à Mathematicis, ac profanis studiis, ad sacra, divináque transferret; maximè verò ad ineffabile SS. TRINITATIS mysterium.

Ex quo hoc tibi primùm ob oculos poni velim, amice Lector, ut in mente assiduò versetur ea SS. Triadis imago, cogitatione, ceu manu, quodammodo impressa. Ita quondam animo impressa invicti Christi pugilis Gonsalvi, Silveriæ, & eorum, quos in Collegio Goano tum Rector moderabatur; è quibus inventus unus aliquis, qui SS. TRINITATEM vel uno die tantùm millies supplex adorasset; adeò frequens in intellectu de ea cogitatio, frequens in voluntate amor, devotáque submissio: & hæc erit prima nota religiosæ mentis. Alteram dabit viva vox ab hac probè animata.

II. Ejus adoratio.

In hanc venit S. Bassianus Laudensis Episcopus, cui frequens in ore, frequentior in animo SS. TRINITATIS invocatio, quam etiam cœlesti palma compensavit Deus. Juvat illius meminisse temporis.

Nocturnis vigiliis fatigatus, & propè exhaustus sopori se dederat, cùm ecce etiam in hoc audiius clara voce SS. Triadis nomen sæpiùs, ac sæpiùs ingeminare, rogaréque impensiùs, ut ad parata diligentibus se præmia evocaret.

Bollandus 19 Ian.

Dixerat, & en superna vox ad aures appulit. Gaude enimverò, atque exulta fidelis Christo miles Bassiane, nam & oratio tua apud superos audita, & parata tibi in cœli regia sedes.

Hîc te paucis volo mi Lector; si etiam in somno, sopitis altè sensibus, nihilominus Augustæ TRINITATIS nomen in ore habuit Bassianus, quid corpore, & animo vigili fecisse dicendus erit? Si cœleste, ac divinum TRINITATIS nomen etiam in somno usurpatum cœlum ipsum, ac beatitatem promereri potuit, quid soluto sopore, ac redditis sibi sensibus?

Sed hæc, inquies, privatæ orationi inserviunt, demus aliud, quod etiam publicæ. D. Damasus Pontifex ut huic etiam serviret, in Ecclesiam universam induxit, ut sacris initiati, seu in choro publicè, seu in privatis officiis, ad singulos Psalmos pro coronide adjicerent illud solemne, & SS. Triadi sacrum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Brevis oratio, sed quæ compendio breviore contineat quidquid cœlo, terrísque sanctum, adorabile, divinum. Brevis oratio, sed quæ Deo appellat quàm gratissima. Brevis oratio, sed quam in excessu mentis, patentibus superum valvis, audiit è cœli regia S. Ignatius Martyr, ac deinde ad mortales retulit, ut & ipsi beatarum mentium æmuli illis etiam quà mente, quà voce accinerent: & certè quidni accinant in terris ævo breviore, quod deinde in cœlis, ipsa quanta quanta est, æternitate? Ad quam quia te duci velim, mi Lector, etiam in hæc religionis officia trahi cupio, tum gratiâ Cœlitum, tum pia Sanctorum æmulatione, tum denique Venerabilis Bedæ exemplo, cui ut in omni vita, sic & in morte adeò familiaris fuit ea oratio, adeò in ore frequens: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, ut illud cygneâ voce concinens animam efflarit fortunato mortis genere, & bonis omnibus invidendo. Cui ut simile sortiaris, author sum ut & sæpiùs, & eo quo par est pietatis æstu repetas augustum illud acroama: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Non voce tantùm, & inani labiorum sono; sed & re etiam ipsâ exhibendo opera, quæ vel ipso numero SS. Triadem referre videantur: quale esset trina genuflexio, inclinatio capitis ac totius corporis trina, vel precatio aliqua tertiò repetita. Hæc enim perplacet superis, & SS. TRINITATI probatur in paucis. Uti docuit olim S. Metildem ipsa Deipara: cùm enim ex hâc quæreret illa, quæ Numini grata esset oratio? hæc audiit vel ipso Virginis Matris ore. Quotidie decurre ter mihi lætum *Ave*; & quidem ad primum, revoca memoriam Æterni Patris; ad secundum, Filii; ad tertium, Spiritus sancti. Tum etiam me roga, atque obtestare ut tibi sim auxilio, etiam vel solo intuitu earum gratiarum, quas à Divinis illis personis accepi. Etsi enim hæc beneficia uti & personæ semper sint in oculis mentis, & voluntatis amoribus; tamen eadem ex te, & mortalibus audire, volupe est mihi.

III. Invocatio.

IV. Beneficiorum memoria.

Et hinc mihi ingerit bona Virgo pii operis exemplum singulare; perennem scilicet, gratámque memoriam eorum beneficiorum, quæ à SS. TRINITATE acceperis.

Et quidem ab æterno Patre, gratiam Creationis; à Filio, Redemptionis; à Spiritu sancto, Justificationis.

Quibus addo & aliud, quod cuidam novum fortasse & insolens videbitur; ea vero tamen nec novum, nec insolens; sed pium & jam inde à viris Sanctis usurpatum: ut opera quæ facis bona, ter etiam facias, & ternario numero, ceu cœlesti tessera, notes. Exempli causa, danda pauperi eleëmosyna? detur tertio. Pascendi famelici? tres pascantur. Hospitio excipiendi peregrini? tres excipiantur, ut olim ab Abrahamo. Edomanda insultans aliqua passio? ter edometur. Adeunda templa? tertiò adeunto. Et idem in aliis sacratiore numero signetur.

V. Amor ternarii in operibus.

Ita signavit non ita pridem è Societate nostra R. P. Franciscus Folianus, vir notæ sanctitatis, & SS. TRINITATIS cultor eximius, cujus argumenta fuere varia, inter quæ hoc ad meum institutum, quod mihi in Philosophicis discipulo retulit R. P. Antonius Grenu, bonæ memoriæ. Hic cùm Romæ esset in Societatis nostræ tyrocinio, fortè datus est comes P. Foliano, & quidem æstu, soléque ardentiore, quem lubens declinasset adhuc in Christi schola tyro: at veteranus miles Franciscus eo distineri; imò & delectari: derepentè enim substitit, & in solem defixis oculis, diu hæsit, exclamans sibi inde refrigerium; cùm novitio contrà summus æstus, cujus tandem misertus, ubi contemplandi finem fecit, adjecit se in sole spectasse hæc tria, *esse*, *lucere*, *ardere*; & his tribus adeò delectatum, ut dies totos in eorum consideratione facilè trivisset, nisi aliò vocasset obedientia, & socio indulgens caritas. Quod in hoc genere usurpavit bonus Pater, hoc & in alio quovis, aut religionis, aut pietatis officio, quem in finem erat ei rosarium trium dumtaxat decadum, & quidem etiam tricolor; album scilicet, ceruleum, & rubrum. Cubiculum quoque triangulare. Atramentarium & Mensa triangularis; tribus asseribus pro strato utebatur; panem in mensa ter Cruce signabat, & omnia quantùm licebat triangularia habebat; ea scilicet amabat impensiùs, vel eò tantùm, quòd aliquam Triadis speciem exhiberent, ac fidelibus oculis subjicerent. Præterea ad omnem SS. Triadis commemorationem profundissimè corpus ter inclinabat, ejúsque divinum nomen nonnisi de genibus scribebat, & quidem grandioribus literis, elegantíque charactere, quod non exigui laboris fuit in eo, quod sibi ex caritate impusuit onere; nam omnia Alphonsi Salmeronis volumina ut minimum bis exscripsit, & præterea etiam aliorum, in quibus necesse fuit aut Dei, aut SS. TRINITATIS nomen quàm sæpissimè occurrere. Tenuit ea vitæ ratio triginta circiter integros annos, quibus totus fuit in cultu Augustissimæ TRIADIS, maximè verò sub sacras ejus ferias. Octiduo enim ante ejus solemnitatem geminato pœnitentiæ, & orationis penso

Bibliotheca Societatis. ſeſe comparabat; tum proin le veſperi Sacerdotalem in ſacello induebat apparatum, & ſic totâ nocte pervigil ante aram ſtabat; denique manè inter inexplicabiles animi delitias Sacrum ad horam producebat. Mitto cætera, delabórque ad exitum viri prorſus admirabilis, in quo etiam leges veſtigia quædam SS. Triadis impreſſa, vel ægro, vel mortuo.

Româ emiſſus erat in Agrum Tarquinienſem, ubi dum aratores, meſſoresque excolit, peſtilentem febrim contraxit; ex eâ æger triduo nec ampliùs decubuit, tandemque perceptis Eccleſiæ Sacramentis, cùm tres digitos cordi, forma triangulari impoſitos teneret, expiravit: ſic in moriente exhibitum quoddam amoris ſignaculum; imò etiam & in mortuo: exſecto quippe cadavere, tres in corde ſubalbeſcentes ex livido carunculæ tuberculorum inſtar inventæ, quæ parte adverſâ in unam coaleſcebant; indubiè veſtigium aliquod Dei Unius, & Trini, quem ipſe vivens, ac ſpirans adeo ſtudiosè coluerat, & quod cordi, ceu amoris ſedi, ſupra naturæ leges, ex medicorum judicio impreſſerat Deus Unus, & Trinus.

Ad hos piæ mentis æſtus accedat & ſcriptio, & calamus etiam acuatur, ut in SS. Triadis laudes totus eat. Et ita expeditus iit Stephani Leodienſis Epiſcopi calamus.

Hic (ut erat inſigni in SS. TRINITATEM religione, cultúque) altare iſtius myſterii titulo ſtruxit, & cantum compoſuit dulciſſimæ modulationis, quo in octava Pentecoſtes utimur, ut loquitur Trithemius. VI. Scriptio

Certè Petrus Roverius è Societate JESU ſcriptor eruditus, & Bartholomæus Gavantus aiunt hunc Epiſcopum concinnaſſe officium SS. TRINITATIS, quod ejus ſucceſſor Richarius duodecimo poſt anno in mores Eccleſiæ Leodienſis invexit, & univerſa deinde Eccleſia poſt quadringentos fermè annos eſt amplexata; illuſtri profectò hujus Diœceſis gloria, quæ religioſo huic inſtituto dedit initium, ut meritò gloriari poſſit à ſe in Eccleſiam univerſam duo feſta manaſſe; unum Auguſtiſſimæ TRINITATIS, alterum Auguſtiſſimi Sacramenti. *Fiſen in Flor. Eccl. Leod. 19. Maii.*

****

DOMINICA
INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI, quæ eſt ſecunda poſt Pentecoſten.



PRO ea, qua erat in genus omne noſtrum conniventiâ inſignique comitate CHRISTUS, menſæ principis Phariſæorum accubuerat; cùm ecce inter epulas ſermonem injecit de humilitate, déque eleëmoſyna. Cùm facis convivium, inquit, voca pauperes, debiles, claudos, & benè tibi erit, te enim ab illo opere manet æterna merces.

Pupugit ea vox accumbentium animos, & jucundâ quâdam titillatione commovit, à qua dum ſe non capit, unus aliquis exclamat: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Hinc Magiſter optimus cœpit occaſionem fuſiùs excurrendi, explicandíque, quæ quantáque foret ea beatitas, & quia è menſâ velut è pulpito dicebat, uſus eſt parabolâ ab epulo petitâ. *Luc. 14. 17.*

Ibidem. *Homo quidam*, inquit, *fecit cœnam magnam*, &c.

Homo ille Deus eſt, vel ſi voles, Deus-homo.

Cœna magna, cœleſte convivium, æternáque fœlicitas; ad hanc ut convocaret omnes, *ſervos ſuos* (hoc eſt Apoſtolos) emiſit, qui primùm invitarunt Iudæos: ſed hi propè omnes quaſi fœdere facto, & malè conſpirantibus animis, excuſationes prætexuerunt. Et hinc ad Gentiles declinarunt illi, & per vicos, & plateas ſparſos mortales blandè ad paratum epulum allexerunt.

Cumque adhuc ſupereſſet locus, in vias & ſepes, id eſt, in avia, & invia propè hominibus loca penetrarunt, & quâ amore, quâ etiam timore, ac minis, convivii locum, ac ſedem adire compulerunt; fœlici ſanè, atque fortunatâ neceſſitate, quæ ad optima etiam quaſi reluctantes impulit. Et hæc ſumma parabolæ. De qua hæc

---

EX D. THOMA.

PER Cœnam magnam intelligi vult S. Doctor beatitudinem cœleſtem, quæ omninò *magna* eſt *propter tria:*

I. *Propter celebrantium multiplicitatem*; & hoc quidem triplici ratione: 1. *Ratione facientium*; Ii porrò ſunt *Pater, Filius, & ſpiritus ſanctus.* 2. *Ratione miniſtran-* *term. a.*

Bar. c. 7. ministrantium; ii sunt Angeli propè innumeri: *millia quippe millium ministrant ei*. 3. *Ratione accumbentium*, qui & ipsi innumerabiles.

II *Propter ferculorum copiositatem*; quæ ferè reduci possunt *ad tria magna fercula*. 1. *Erit gaudium de omnium malorum absentia*. 2. *De omnium bonorum præ-* Lib. ult. de Civit. *sentia*: *O quanta erit illa felicitas! ubi nullum malum erit, nullum latebit bonum, vacabitur internis laudibus, & Deus erit omnia in omnibus*, inquiebat D. Augustinus.

III. *Propter ipsius Cœnæ æternitatem*; Erit autem æterna propter tria: 1. *Quia numquam terminabitur*. 2. *Quia numquam a cœnando*, id est, *laudando cessabitur*. 3. *Quia tota simul manducabitur*, dicitur enim æternitas vitæ beatæ possessio tota simul; ut rectè Boetius: *Beati, qui ad cœnam illam nuptiarum Agni vocati sunt*, & Apoc. c. 19. qui alieni à brevi cœna hujus ævi mortalis, quæ & citò terminatur, & in qua a cœnando post horula, cessatur, & quæ nunquam tota simul manducatur.

EX D. BONAVENTURA.

Pauca notanda duxi, & quidem: Primò, Deum ter Opt. ter Max. quosdam ad cœnam seu gratiæ, seu gloriæ vocare; alios autem compellere, & Dom. 2 post Pent. ser. 2. hoc alio, atque alio modo. *Deus enim vocat per se, vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat per Pastores, vocat per miracula, vocat per flagella.*

Quos per hæc vocat, compellit intrare, dura quidem, sed amabili, utilique necessitate; ut enim D. Gregorius, *Mala, quæ nos hic premunt ad cœlum ire compellunt*: Ita nimirum, ut piè Seraphicus Doctor: *Converva hujus mundi vocandi sunt, compellendi sunt, introducendi sunt, implendi sunt; vocantur, in prædicatione; compelluntur, in tribulatione; introducuntur, in evolatione; implentur, in rivuerum cœlestium impletione.*

At quomodo, inquies, *in templum gloriæ intrabit, qui est cæcus in intellectu, vel claudus in affectu? vel qui cæcus in Fide, vel claudus in moribus?*

Respondet ille ipse S. Doctor; si sanetur priùs; ut enim S. Augustinus: *Anima primò sanatur, sanata introducitur, introducta reficitur.*

Parata quippe sunt omnia; paratum convivium gloriæ in cælo, & in eo animi, spiritùsque fercula, deliciæque ejusmodi, quas nec lingua explicare, nec gustus percipere, nec mens intelligere possit: intelligat porrò, & aliquousque assequatur ex iis, quæ illi etiam in hac vita paravit indulgens Deus, conjiciatque, quæ deinde in altera.

Pensa nunc homo, si tanta bona à Deo habes in mensa tua, in carcere, in exilio; quanta bona habebis in mensa Dei, in Regno? In patria ipsa quomodo saturabit, qui in peregrinatione sic pavit? inquit D. Augustinus: & hæc ad aliquam Parabolæ explicationem; descendo ad nonnullas de eadem quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Lucæ c. 14. vers. 16.

QUÆ SIT ILLA COENA MAGNA?

Sententiæ variæ. Divi Patres in diversas abière sententias, quia res illa adhuc est in occulto, & sub judice; nec enim, quæ esset illa cœna explicuit Magister optimus, sed posteris evolvendam reliquit.

Theophilactus existimat cœnam illam esse Evangelicum epulum, in quo fercula cœlo petita; videlicet Fides, Spes, Charitas, Gratiaque, quibus Prima. veluti spiritali cibo reficitur, ac recreatur anima. Dicitur porro Evangelium, Domini cœna, quia parata mundo jam senescenti; & ad eam vocati quà Judæi, quà Gentiles, imò & Orbis universus.

Hom. 36. D. Gregorius ab illa cœna vult intelligi beatitatem & gloriam cœlestem, quæ meritò cœna appellatur, Secunda. quia conceditur occiduo jam vitæ Sole, dieque.

Et hanc quoque Numine propitio paratam sibi longè ante præsensit, edixitque Sancta Virgo Lutgardis. Quippe annis ante obitum quinque cum inter Missarum solemnia prælegeretur hoc ipsum Evangelium: *Homo quidam fecit cœnam magnam*. Prophetico afflata spiritu Dominæ Sybillæ de Gagia Henriquez in Lilio Cist. Dist. 10. c. 11. sibi in paucis familiari, prædixit futurum, ut illo ipso die, quo hoc Evangelium legeretur, emigraret ad cœnam nuptiarum Agni.

Prædictioni respondit eventus, nam & ea ipsa Dominica luce, terris vivere desiit, & cœlo cœpit, à sponso scilicet suo invitata ad cœnam magnam, cœnam Agni, cœnam gloriæ, ac fœlicitatis.

D. Bonaventura duplicem agnoscit cœnam, videlicet gratiæ, & gloriæ. Prima est, Ecclesiæ militantis; In Dom. 2. post Pent. secunda, triumphantis.

S. Cyrillus amat Eucharisticum epulum, & cœnam vocat; quæ sententia etsi videri possit minùs In catena. consona instituto, scopoque Salvatoris; pietati tamen consentanea est, & huic tempori, quo prælegitur, accommoda. Tertia.

Idcoque ut huic diei, ac solemnitati serviam, in eam in præsenti abire me sinam; ostendámque oblatam nobis cœlo benigniore Eucharistiam, cœnam esse, eamque magnam, atque mirabilem.

Cœna vocatur, quia à Christo præparata pridie Eucharistia Passionis, ac mortis quàm acerbissimæ; hoc est cùm cœna magna. inclinaret ad occasum Sol ille novus, qui Orbi lucem, diemque dare venerat nunquam interituram.

Si paraphraste Chaldeo habenda fides, Jobo viro quàm optimo, in ipsa vigilia impendentium afflictionum, & panis quo vesci solitus erat, in carnem abiit, & vinum in sanguinem, inaudito apud mortales prodigio, cujus meminisse creditur ipse Jobus, dum ait: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de* Cap. 30. *carnibus ejus ut saturemur*. Insolens illa metamorphosis, si vera; typus fuit illius, quæ longè verissima est, qua & panis in Christi corpus mutatur, & vinum in sanguinem, amoris miraculo post homines natos nunquam viso; à quo dictum epulum illud cœna, eaque magna.

Quatuor cœnam magnam faciunt.

Quatuor omnino sunt, quæ cœnam magnam faciunt & apud pusillos mortales illustrem.

Primum dignitas, & majestas illius, qui convivium parat, atque instruit. Tum ipsa fercula si rara, si exquisita, si ingentis pretii, si saporis suavissimi, si ab ultimo orbe petita. Tum etiam convivæ, si videlicet aut à genere, avitaque nobilitate; aut recondita rerum præstantissimarum scientia; aut denique rebus præclarè gestis, illustres. Tum denique ipsa convivii protrahendi ratio: si non tantùm in seram noctem duret illud; sed & in dies quàm plurimos, & quid[...]ue nausea, sine fastidio, & stumacho. [...] inquam, omnia cœnam magnam osten[...] pr[...]bant, maximè si ad ea accesserit indul[...] singularis in convivas affectus, soper[...] a vu[...]s si placuere boni. Ad singula descen[...]mus, videamúsque quomodo ea omnia in cœnam [...]ram cadant quàm optimè.

[...]ospes qui convivium apparat est Salvator totius universi, Christus JESUS, Verbum caro factum, Deus homo; *in cujus femore scriptum Rex regum, & Dominus dominantium.* Christus est, *qui appendit fundamenta terræ*, & hanc quà portamur molem, digito sustinet. Christus est, qui *librat fontes aquarum*, qui maria frænat, & terminum ponit insolenti, atque indomito elemento. Christus est, qui *æthera firmat sursum*, qui cœlestium orbium motus attemperat, qui fulmina rotat, iratóque demittit æthere, & in scelesta capita devolvit. Christus est, in cujus conspectu *columnæ cœli pavent*, & tremunt etiam ad solum nutum imperantis; & hinc mirum quantum augetur epuli illius sacratioris dignitas, ac majestas; cui gratiam addit ipsa ferculi natura, raritas, sapor, & pretium planè cœleste, atque Divinum.

[...]culum.

Jactavit olim stulta Antiquitas Clodii Æsopi filii prodigam liberalitatem, qui singulis convivis uniones singulos dedit exsorbendos. Ostentavit Cleopatræ unius sponsionem propè insolentem, qua cum Marco Antonio convenit, adpromisitque se centies sestertium una cœna absumpturam: & verò etiam absumpsit; unionem enim summi pretii aceto mersit, dissolvit, & sorbendum dedit.

Sed amabo te, mi Lector, cujusmodi fercula sunt isthæc? uniones? at maris excrementa, at concharum fœtus, quibus pretium fecit, vel ipsa raritas, vel etiam stulta mortalium opinio, quæ justum cuique pretium vix unquam appendit.

At ferculum, quod in Eucharistico præbetur epulo, dignitatis est & valoris, mirum quantum altioris. *Panis* est, sed *Angelorum*; vel ut ex Hebræo Hieronymus, *panis* est *fortium*, vim nimirum, vigorémque tribuens. — Ps 77. v. 25.

Panis est, de quo magnificè Tertullianus: *Caro, Corpore, & Sanguine Christi vescitur; ut & anima de Deo saginetur. Hunc Panem non aratio, non satio, non agricolarum opus effecit; sed terra intacta, terra virgo*: ut scitè D. Gregorius Nyssenus. — [...] Resurr. [...] 5

Panis est, *in castu Deiparæ visceribus igne Sancti Spiritus coctus*: ut piè D. Bernardus. — Serm. 2. de Nat. Dom.

Panis est, sed homini pusillo datus secundùm ipsam Dei altitudinem: de quo David prophetico spiritu: *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*; vel ut ad institutum ex hebræa origine Genebrardus: *Secundum altitudinem tuam epulatio filiis hominum.* Ita nimirum Eucharistia *epulatio* est; sed cœlestis; sed Divina; sed tanta quanta vel ipsa Dei ter Opt. ter Max. altitudo. — Ps 11. v 10.

Panis est, & quidem *vitæ*; tum quia vitam in seipse continet; tum quia etiam eam aliis donat, & inde factum arbitror, ut apud veteres Christianos *Eucharistia* quasi proprio vocabulo *vita* appellaretur, idémque esset ire ad vitam, adorare vitam, suscipere vitam, atque ire ad Eucharistiam, eámque aut suscipere, aut adorare; ut mihi testis est Baronius, qui id — [Io]an. c. 6 v. 48. — Tom. c. a. 160.

hausit ex D. Augustino, cujus hoc de avito sensu luculentum est testimonium: *Punici Christiani, baptismum ipsum nihil aliud quam salutem; & Sacramentum Corporis Christi nihil aliud quam vitam vocant.* — Lib. 1. de pecc. remiss.

Panis est, & quidem concordiæ, inquit Augustinus, *qui manducant talem panem, non litigant. Ideò litigabant Iudæi, quia panem concordiæ non intelligebant, nec sumere volebant.* — Tract. 26. in Ioan.

Panis est, sed *facierum*. Fuerunt olim Panes Propositionis, Hebræo idiomate dicti *Panes facierum*, quòd ut minimùm duas haberent facies, non sine arcano quodam mysterio, quo Panis Eucharisticus audit ex vero *Panis facierum*, quòd duas exhibeat facies; unam bonis, quibus dat vitam; malis alteram, quibus cœlo vindice, mortem infligit.

Ita quondam in prima sui institutione cœnáque, quæ Christo cum Discipulis fuit ultima, Apostolis vitam donavit, & infando proditori Judæ mortem: nam & *post buccellam introivit in eum Satanas*: malus omninò hospes, & mortis author. Quod dum æqua lance expendit B. Petrus Damianus: *Nunquid aut buccella illa, quam Iudæ Dominus porrexit bona non fuit?* bona omninò; imò & quàm optima: *Sed quod erat causa salutis, illi factum est materia condemnationis. Quia instrumentum pacis non pacatus accepit.* — Ioan c. 13. v. 26. — In libello Gratis. c. 6.

E contra quia cæteri pacem acceperunt; & pace donati sunt, & vita. Quid enim aliud à symbolo pacis expectes nisi pacem? Quid à vita nisi vitam? Certè à pane vitæ nemo moritur, nisi Filius mortis. *Quomodo* enim, ut doctè Ambrosius, *morietur, cui cibus vita est?* — Serm. 18. in Ps 118.

Neque solùm cibus, sed & potus de vite, seu uva expressus; de uva, inquam, quæ dici potest *uva primitiarum*; vel ut Septuaginta, *uva sanctificationis.* — Levit. c 19. v. 5.

Fœlix uva, miranda, cœlestis, longè exuperans parnassiam illam veterum monumentis celebrem, quam Euripides *botrum quotidianum* appellabat, quòd ad libandũ Baccho quotidie racemum unum ferret. — In Phœnis.

Vincit, inquam, hæc Catholicæ religionis uva, quæ quotidie erogatur, & non minuitur; dat vitam, & non amittit; sacrificat, & sacrificatur; Deum placat, & bonis cœlestibus mundum implet; vivis prodest, imò quod mirere etiam mortuis. Et hoc ferculum est, quod in Eucharistico datur epulo; non solùm ad necessitatem, verùm etiam ad delitias.

Divinam in pusillos mortales beneficentiam ex eo commendabat Senecà, quòd ab illa *non necessitatibus tantummodò nostris provisum esset; sed & usque in delitias amaremur.* — Lib 4. de Benef. c 5.

Quod si verum est de ea bonorum largitate, quæ intra naturæ terminos est: multò magis de hac, quæ omnes illius fines excedit, quæ insigni miraculo, Christi Corpus in cibum, Sanguinem dat in potum: ab hoc epulo verissimè à Deo *usque in delitias amamur.*

Has secum ipse dum expendit D. Ambrosius quasi à se alienus exclamat: *Habeo cœlestium Sacramentorum veneranda commercia: jam Mensæ cœlestis honore suscipior; epulis meis non pluvia undatur, non terræ partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina quærenda, non fontes: Christus mihi cibus, Christus mihi potus: Caro Dei cibus mihi, & Dei Sanguis est potus. Non jam ad satietatem meri annuos expecto proventus. Christus mihi quotidie ministratur.* — In Psal. 118.

Hæc S. Præsul de sacro Eucharistiæ ferculo, cujus suavitatem, ac delitias expertus aliquando B. Hermannus, primùm monachus Hemenrodensis, deinde Abbas S. Mariæ.

Hic ad aras cùm faceret, è Conversis unus aliquis notæ sanctitatis, cùm jam ad sacrum canonem venisset, columbam vidit nivei candoris calici imminentem: testem utique inter illa divina fercula illabentis Spiritus sancti. Ac deinde cùm ad sacratioris hostiæ sumptionem ventum est, puellulum — Henrique[z] l. 1 [...] c. 1

aspect

aspexit formâ mirè amabilem, qui è sacrificantis manibus ascendere, ac mox descenderè videbatur, & sub blandi panis specie abscondi, ac sumi.

Ecce novum, cœleste, ac divinum ferculum, ecce panem Eucharisticum, à quo admiranda ad animum appellat suavitas: vis etiam quæ à calice Eucharistico? attende quæ aliquando B. Wielmo Abbati ordinis Cisterciensis. Non sic ulli nectar, aut ambrosia sapiebat, atque calix ille Eucharisticus.

Appello, audax illud quidem, sed tamen pium facinus. Fortè in sacrificantis calicem inciderat aranea, præsenti utique veneno gravida. Quid hic pius

Henriquez. l. 1. Dist. 29. c. 3. Præsul? si calicem haurit, haurit & toxicum, haurit & mortem: at Dominici calicis suavitas & toxico, & ipsa morte fortior: vicit enim verò, vicit illa, & calicem exhaurire fecit, & quidem intrepidè. Crederes cum illo mortem exhausisse: at contrà vitam ebibit, & sanitatem; quæ etiam novo prodigio firmata, ut inde nosces calicem Domini, calicem esse vitæ, ac sanctitatis. Anno quippe elapso sensit S. Præsul in digito enasci pustulam, non sine aliquo pruritu; quam dum effringit, ecce ex illa erumpit aranea vivens, intactáque, & quidem sine ulla sanie, ac doloris sensu. Nempe datum istud est calici Domini, calici amoris, calici vitæ, ac sanitatis, calici omnis omninò suavitatis, à quo transeo ad Convivas: nam & ab his cœna magna.

III Convivæ. Ad eam quippe evocati, non unus dumtaxat aliquis, non pauci, non una de gente, aut urbe, non viri Principes, Reges, Cæsares; sed omnes omninò quotquot aut Sol aspicit, aut terra portat, & in hoc enim net Dei nostri miseratio, effusáque in hoc epulo liberalitas.

Dicebat olim Lucius Verus Imperator, convivio non plures interesse debere quàm septem, ex quo

Lib. 13. c. 11. manavit in vulgus ea parœmia: *Septem convivium, novem convitium faciunt.* Varro apud Gellium, aiebat, debere tot esse convivas, quot Gratiæ, quótve Musæ: hoc est non pauciores quàm tres; non plures, quàm novem. Fortè is numerus Gratiarum, & Musarum placuit, quod in convivis suæ quoque debeant esse Gratiæ, suæque Musæ; hoc est & grati convivæ, & sui hospitis laudatores facundi.

Longè alia Servatori fuit convivii ratio, liberalior in convivas animus; nec enim epulum sui corporis ad tres restringi, aut ad septem revocari voluit: sed ad omnes omninò derivari; & hinc ex vero cœna Eucharistica magna audit, audiétque in ævum omne.

IV. Tempus. Venio ad postremum, quod mihi initio proposui: est illud tempus, ac modus sacrationis istius epuli.

Celebravit Antiquitas Assueri convivium etiam ex eo, quòd ad octoginta dies supra centum protractum fuerit, insigni sane munificentia, & prodigo sumptu. At quæ est illa temporis portio, si cum ea conferatur, quam occupat parata omnibus cœna Eucharistica? parata, inquam, jam inde ab ipsis Ecclesiæ cunis, primáque veluti infantia ad extremam usque illius ætatem. *Ego* (inquiebat eò loci, ac temporis Christus) *vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Vobiscum dico, non amore tantùm, paternáque in vos providentia; non ea, quæ mihi à natura Divina est immensitate: sed ipso corpore, quod vobis pro esca; sed sanguine, qui pro potu; sed & Anima, quæ & Corpus hoc informat, & Sanguini insidet; illis, inquam, vobiscum sum, & ero non anno, non sæculo tantùm uno; sed quotquot fluent ad extrema usque mundi confinia. Ecce, quæ, quantáque illius epuli duratio, & quàm ab hac etiam, cœna magna. Sed longè maxima ab effectu, & propenso in convivas amore. Eminet hic in Eucharistia.

Refert Athenæus apud Antiquos fuisse convivium vulgò dictum τέλος φιλίας, *Finis amicitiæ.*

In eo hospes primùm sanguinem è vena elicere, & paterâ fluentem excipere; tum ex eo ipse bibere; denique convivis libandum dare. Fuit illud insolentis amicitiæ (ne quid gravius dicam) argumentum. At in Christo & novum, & pium amoris indicium fuit, quod fuit Eucharisticum epulum.

Juvat illius meminisse temporis. Aderat Servatori quàm optimo ultima vitæ periodus, instabat mors acerba; obeunda, scilicet, per extrema supplicia, quorum amaritiem ut quodammodo dilueret, Discipulos sibi longè carissimos in cœnam vocat, & Corpus dat in cibum, Sanguinem in potum; ex hoc largiter bibit ipse, tum aliis bibendum præbuit. Ecce ferculum amoris, ecce veneris amicitiæ finem τέλος φιλίας. Nimirum eò loci verum illud quod deinde jactavit unus aliquis Discipulus: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Cap. 13. Dilexit, inquam, & suaviter & fortiter; suaviter quidem, quàm magis quàm filium indulgens mater: hæc enim illi lac propinat ubere pleno; ille verò sanguinem præbet largiter epotandum: & in hoc quædam est amoris suavitas; imò & vis immensa, qualis scilicet, esse solet amantium.

Quippe *fortis ut mors dilectio.* In quo dices fortis? in eo certè quòd quantumvis fortes abjiciat, faciátque ut sint esca vermium. Vidisti adolescentem in primo vernantis ætatulæ flore vegetum, fortem, robustum: eum solo insternit mors, atque ad vermes abjicit, ut sit etiam eorum esca. Spectasti virum principem, sit ille militaris animi, sit in acie formidandus, irato Marte tonet, ac fulminet, ingentésque exercitus sternat, ut æstate messor segetes solet: sit, inquam, ejusmodi; sit omnium si voles victor; at morte vincetur, ac prosternabitur, & eò quidem ut sit esca vermium.

Et in hoc est vis prodiga mortis, vis etiam dilectionis, quæ *fortis ut mors;* imò longè hac fortior: mors enim tantùm facit, ut homo sit esca vermium; at dilectio facit ut JESUS, imò ut Deus ipse sit *esca vermium*, id est, hominum. Hoc est prodigium amoris, quod ipsa, quanta quanta est, mirabitur æternitas, & à quo potissimùm cœna Eucharistica longè maxima potest appellari. Fecit nimirum magister optimus JESUS, quod boni oratores, quod comœdi, quod tragœdi solent.

Peritus orator omnem eloquentiæ suæ vim, omnes facundæ linguæ nervos, omne robur disertæ mentis explicat, atque exerit in epilogo. Bonus actor id unum ferè spectat, ut ultimus actus sit quàm optimus: hinc comœdus in postrema scena risum movet, hilarémque plausum. Contra tragœdus rejicit in extremum actum quidquid triste, acerbum, funestum est, & hoc ad lacrymas, gemitúsque ex auditorum cordibus excitandos.

Dicamus hîc quod dici potest, ac debet. Orator fuit JESUS, & mirum quantum facundus. Ejus vita, quanta quanta fuit, oratio fuit, eáque facta ad persuasionem, amorémque conciliandum. In hac Eucharistica cœna epilogus fuit; in ea quippe oravit, peroravit, illudque vel maximè persuasit, quod hominem amaret quàm ardentissimè. Actor fuit JESUS, cujus vita omnis tragœdia fuit, & in hac ultimus ferè actus, epulum Eucharisticum; in eóque argumentum amoris, prodigiúmque caritatis, cui evenit, quod à natura corporibus gravioribus accidere solet. Hæc enim & deorsum feruntur, & eò celeriùs, quò centro fuerint propiora. Motus quippe naturalis in fine velocissimus, in quo distinguitur à violento, qui tum tardissimus.

Erat in Christo grave pondus amoris, quod inclinavit, traxitque eò fortiùs, quò magis ad extrema vergebat; tum enim vim quasi omnem explicuit, ut ad hominem sese demitteret, eique jungeretur quàm arctissimè; quod factum amamus, ac demiramur

ramur in hac cœna magna, in qua mortales sunt convivæ; ferculum autem ac cibus & potus, Dei hominis Caro, & Sanguis, insolito prodigio caritatis, quâ ut gauderent Christiani in Ecclesia Primitiva quotidie illo frui solebant.

Juvat illius meminisse temporis, ac modi, quo ad illud epulum accedebant.

V. Sacerdos Eucharistiam impertiens, quâ din illa sacratiore mensa distribueret, contestabatur dicens *Corpus Christi*; tum is, qui sumebat, respondebat *Amen*, ut id ipsum verum esse profiteretur. Hinc illud D. Ambrosii: *Dicit tibi Sacerdos, Corpus Christi; & tu dicis Amen, id est verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.*

Ratio convivii.

De Sacrom. l. 4. c. 5.

Ubi autem Eucharistiam sumpturus dixerat usitatum illud *Amen*, tum eam manu excipiebat, ori deinde admoturus ipsemet venerabundus; quod dum attendit S. Cyrillus præscribit modum quo ambæ manus componi deberent.

Accedens, inquit, *ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque disjunctis digitis. sed sinistram veluti sedem quandam, subjicias dextræ, quæ tantum Regem suscepturа est, & concava manu suscipe Corpus Christi, dicens Amen.*

In Mystag. 5.

Et hinc jubebantur manus ritè proluere, aut linteamina munda afferre; propter discrimen quod erat viros inter, & fœminas; illi enim Eucharistiam nuda manu excipiebant; hæ autem linteata, idcóque jubebantur exhibere nitidum linteamen, quod *Dominicale* appellabant. Et hæc de modo ac ratione, qua panis Eucharisticus excipi solebat, de loco, ac tempore etiam pauca.

Si ingrueret persecutio, venia dabatur ut in ædibus propriis eum servarent, sumerentque quotidie horis antemeridianis. Præterea cùm peregrè eundum esset seu terra, seu etiam mari, efferre etiam illum licebat in usus quotidianos, à quibus verum ad fructus illius cibi Eucharistici, ii ferè sunt propulsatio omnis mali, & omnis boni proventus uberrimi, quos deduco ex illustri prodigio; quod refert Cæsarius, & ex eo Bozius de signis Ecclesiæ. VI.

Convivii fructus.

Lib. 14. c. 5.

Pia quædam mulier, sed ingenio simplici, suasu alterius mulieris ejusdem notæ, tum ut luem apum suarum persanaret, quas persenserat tabescere, ac perire, tum ut uberiorem mellis proventum perciperet: in eàrum alveare sacram hostiam injecerat, quam ideò ex Synaxi extulerat secum: nec sine fructu; mox enim & Apum lues cessavit, & deinceps alvearia melle redundarunt.

Neque tamen hîc stetit illa prodigii magnitudo, siquidem ea mulier tempore suo alvearis patefactu, ut mel erueret, intus deprehendit templum esse ab Apibus extructum cum altari, in quo etiam erat Eucharistia. Exsurgebant undique parietes miro architecturæ opificio, & speculæ etiam in iis lucem admittebant, & patens ad ingressum visebatur ostiolum; nec turris deerat, & in ejus fastigio eoam tintinnabula. Apes verò ipsæ obstrepere cum susurro, veluti concentu musico, & circum Eucharistiam circumvolitare, quasi venerabundæ. Hoc spectaculum mulier attonita Sacerdotem adiit, ingenuèque fassa est quod patraverat: hic verò & linteatus accessit, & sacram Eucharistiam in templum reportavit.

Quod illi fœminæ datum est; imò quod Apum alveariis: hoc & mortalibus, qui ab Eucharistica cœna, & peccati luem ex animis ejiciunt, & suavi virtutum omnium melle replentur, atque exundant.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Lucæ c. 14. vers. 16.

AN IDEO MAGNA, QUIA ET NOVA, ET PRODIGIOSA?

PRIMUM quod natura pro miraculo suspexit, amavitque, fuit illud, uno Dei verbo produisse omnia: *Dixit & facta sunt.* Fiat lux, Sol, Luna, & stellæ omnes, ceu cœlestes quidam oculi, & factæ sunt, steterúntque suis infixæ orbibus, vel ad unam Dei vocem, ceu vigiles in suis stationibus. Fiant aquæ & maria, & immensa illa aquarum eluvies, & illicò facta est. Fiat hæc terræ moles, mediúmque teneat Universi, & ecce statim illud occupavit, fuitque quasi centrum hujus Orbis aspectabilis. Et hoc quidem ab uno Dei verbo, una vocula, *Fiat*; tantùm in illa momenti fuit. Et hoc magnum est naturæ miraculum.

Miracula in SS. Eucharistia.

I. At majus istud, ad pauculas voces, cásque non Dei; sed mortalis cujuspiam: Deum hominem sub speciebus panis, & vini illicò sisti. Et hoc gratiæ miraculum magnum, hæc cœna magna, quia nova & prodigiosa. Ecquid enim si mirum videretur illud homini parere Solem, Lunam, ac sidera, surgeréque, ac mergi ad illius nutum; si ad illius vocem laxari, frœnarique ventos, ac maria; si terra, lutúmque informe formari tamen, & verbo uno abire in quas vellet imagines: si animalia omnia vocem hominis audire, & imperia sequi: si tota quanta quanta est natura parere; si, inquam, id haberet mirabilitatem; qualem necesse est obtineat illud, si ipse naturæ, ac Universi author obedit voci hominis? si ad illam comparet, ac sistitur speciebus panis ac vini velut quodam velo tectus? & hoc non semel tantùm, non uno duntaxat die, aut loco: sed quotidie, quovis tempore, ac loco, ut fieri suspicimus in cœna magna Eucharistica.

A forma Consecrationis, quæ practica est

Certè semel tantùm, idque in prima Orbis molitione auditæ eæ voces: *Fiat, & factum est.* At verba sacrosancta, quibus usus est ad aras, & Missæ solemnia; verba, inquam, illa *practica*; ut loquuntur Theologi; *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus*; jam inde à multis retro sæculis audita, & ad ea visus obedire Deus homo, ac reparator Universi: & hoc primum est prodigium, quod adeò novum, & insoleos visum est, ut ei fidem omnem negarint Capharnaitæ, nequicquam id eis asserente Christo. Jactarat ille pro concione has voces: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex duriusculæ acciderunt, hinc auditum illicò istud dubiæ Fidei: *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* Ioan. c. 6.

Ecce qui primùm aberrant à Fide, qui extulerunt petulans illud, & insanum in materia Fidei, *Quomodo*. Hi, inquam, fuerunt Capharnaitæ: post quos secundus hæresiarcha prodiit infamis Judas, Domini desertor, ac proditor, quem stylo notavit Christus cùm ad Discipulos ait: *Sunt inter vos, qui non credunt.*

Ecce

Ecce quos authores, quos erroris sui parentes, ac patronos habeant hujus ævi hæretici, secuti infandum dogma Berengarii, qui anno Christi millesimo centesimo trigesimo primo, hanc Fidei nostræ veritatem primùm impugnavit; deinde sibi redditus, & saniori menti, agnovit, ac reveritus est, coram Innocentio III. Pontifice maximo, Patriarchis duobus, Archiepiscopis decem, Episcopis quadringentis, Abbatibus duodecim; qui Concilio Lateranensi interfuerant. Quem ut errantem secuti sunt longè consequentes hæretici; ita utinam & resipiscentem sequerentur? Sed proh dolor! Berengario pejores illi, & calamo in scholis, & verbo in pulpitis, & ferro in campis, hunc avitæ Fidei, & Religionis articulum impetunt; quos inter sæculo hoc nostro fuit Thomas Muncerus, qui Sacramentarios in Germania excitavit è rusticorum turba, è ganeonibus, è popinis, è quibus variis in prælis ceciderunt quinquaginta supra centum millia, miserabiles erroris sui victimæ. Et hæ in Germania clades, cædésque hominum; in Gallia regno florentissimo, Templorum incendia, mæstique cineres, ad quos in odium cœnæ Eucharisticæ redacta sunt ædium sacrarum ad decem, & ampliùs millia. Ecce quo rapuit insanus furor, & cœcus ab errore tumultuantis plebeculæ impetus. Ita nimirum hæreticos furentes armavit, & in odia vertit, quod amorem, ac venerationem conciliare debuisset prodigium caritatis. A quo descendo ad aliud miraculum.

II.
A Transubstantiatione

Est illud hujusmodi; ubi Sacerdos quasi Christi voce, atque oraculo protulit illa verba: *Hoc est Corpus meum. Hic est calix Sanguinis mei*; mox eodem ipso instanti substantia panis, & vini definit, ipsáque & hujus, & illius materia, cæteroquin ingenerabilis, atque incorruptibilis, in nihilum abit; & tam huic, quàm illi supponitur substantia Corporis, & Sanguinis Christi. Et hoc ingens est in natura miraculum.

Certum illud apud Philosophos pronuntiatum, sicut naturæ vi ex nihilo nihil fit, ita nihil creatum abit in nihilum.

Demus omnia conjurare elementa, demus efferam, seu belluarum, seu hominum vim conspirare; demus astra, & cœlestes illas influentias; demus & motrices cœlorum Intelligentias; denique demus ex Erebo dæmones omnes in campum educi, atque in unum conniti, ut vel unicam substantiam creatam, vel unum materiæ punctum in nihilum redigant, numquam id assequentur, quantovis incumbant molimine, etiam ipsa si voles æternitate: adeò verum illud. Naturæ vi nihil transit in nihilum.

Et tamen hic præter naturæ leges, & pacta, præter vim omnem Universi, præter Philosophiæ placita in nihilum illius definit substantia panis, ac vini. Ex quo necessum est & aliud sequi, quod pro miraculo habet natura, & verior Philosophia; nimirum accidentia & esse, & permanere sine subjecto.

III.
Ab accidentibus sine subjecto.

Fuit olim illud, estque modò etiam in Aristotelis schola pronuntiatum: *Accidentis esse est inesse.*

Ideoque censuere prisci accidens esse non posse nisi alteri insit, ac veluti insideat. Hic autem omninò secùs accidit; nam & species Sacramentales, hoc est albedo, quæ usurpatur oculis; figura sphærica, quæ tangitur; sapor, qui gustum afficit, ac recreat est sine subjecto, quod illis substernatur. Si oculis, si manibus, si linguæ foret habenda Fides, crederes iis accidentibus substerni panem, ac vinum: at errant sensus, & incautos fallunt quàm maximè.

IV.
A corpore simul diversis in locis.

Si enim audiatur Fides (ut profectò sola audiri debet) nec panis, nec vinum est, sed tantùm hujus, atque illius accidentia; quibus tegitur, & sacrum Christi Corpus, & Sanguis.

Atque hinc emergit & alterum miraculum, quod prisca non novit Philosophia; quod scilicet unum, idémque Corpus simul existat diversis in locis, & quidem vel maximè dissitis, qualis Oriens & Occidens, Meridies & Aquilo, imò cœlum, & terra: nam idem Christi Corpus & in cœlo est ad dexteram Æterni Patris, & simul in Sacramento inter unius Mystæ manus, & Aras sacratiores.

Et hic est lapis ad quem offendit Calvinus, hic scopulus ad quem hæret, imò & illiditur hæresis; qui nimirum fiat ut & in cœlo sit Christi Corpus, & unà etiam in Sacramento. Quod quia non capit mens pusilla, non videt debilis acies, non percipit sensus, hinc jactat antiquum & petulans illud: *Quomodo? Quomodo?* exclamat enim naturam id non pati, experientiam reclamare; hæc quippe docet unum deseri locum, dum acquiritur alter: & hoc verum est naturâ duce, comite Philosophia; at supra hanc, & illam est vis Divina, quæ corpus unum hîc, & ibi simul locat; quod docet, probátque fides, subscribit Philosophia Christiana ab illâ probè edocta.

V.
Quod definitivè.

Secundùm hujus placita, Corpus aliquod potest esse duobus in locis: in uno circumscriptivè (ut loquuntur Theologi) hoc est cum proportione, & commensuratione ad locum, cúmque situ, atque extensione. In altero verò Sacramentaliter, ac definitivè: eo ferè modo, quo spiritus, quo anima, quæ tota est in toto, & tota in qualibet parte illius; & ita Corpus Christi in sacra Eucharistia esse Fides docet, & avita Religio, quæ etiam hîc aliud agnoscit, suspicitque miraculum, in quo non minùs hæret, stupetque Philosophia nostra, quàm in aliis.

VI.
Quod vi formæ.

Christi Corpus est in Sacramento sub speciebus panis, & hoc ex vi formæ, & verborum, quibus usus est in Consecratione: est, inquam, sub illis Corpus directè, ac *per se* (ut inquiunt Theologi) Sanguis autem, Anima ac Divinitas *per concomitantiam.*

Similiter sub speciebus vini ponitur Christi Sanguis, & hoc virtute formæ *per se* ac directè; Corpus autem, Anima, & Divinitas etiam *per concomitantiam.*

Hujus ea ratio est, quod *verba* formæ *practica* sint, & effectiva ejus, quod significant. Unde hæc Sanguinem sub speciebus ponunt, & illa Corpus: Et quidem, ut antea priùs insinuavi, modo quidem reali; ac Sacramentali, & quasi spiritali, ac indivisibili.

Et hinc aliud miraculum, quo piè capta mens Christiana exclamare potest cum Psalmista: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus.* (Psal. 110.) Ecquid enim an non istud mirabile, ac stupendum? Corpus, quod jam habet suam molem, ac quantitatem, carere tamen omni extensione, ac commensuratione ad locum; & ad modum rei spiritualis totum esse in toto, & totum in qualibet illius parte? adeóque etiam velut in puncto? In quo mirabens, atque amabis singularem Dei hominis demissionem.

Certè Deum hominem fieri, Verbum Æternum à cœlo quodammodo delabi, & humanæ naturæ necti vinculo, nexúque personali, humilitatis magnum fuit argumentum. Majus fortè ad supplicia, ad Crucem, ad mortem rapi.

VII.
Quod quasi in punctum

At longè maximum in Eucharistiæ Sacramento ad punctum quasi redigi.

Si infans aliquando, si deinde puer, si denique vir fuit: at retinuit eam corporis molem, quæ infantis, quæ pueri, quæ viri fuit. At in Sacramento exuit se omni mole, omni magnitudine, & ad punctum veluti se restringit. Ita se contraxit Deus homo, & ipsa quodammodo Divina immensitas. Nè sit injuria Verbo, nè summo Numini detractum puta, benevole Lector; sed audi qui fiat istud, & quid isto loquendi modo explicatum velim.

Si daremus (quod tamen dari non potest) Verbum Divinum desinere esse alibi, imò desinere ubique

ubique esse? vt tamen Sacramentum adhuc esset in parte minimâ, & puncto si voles. Ecce quàm augusta simul, & angusta quodammodo esset immensitas, & quàm contractus Deus; quem cœli non capiunt, caperet vel unicum punctum.

Et nos abjecti homunciones aliquid esse, ac videri volumus; dilatamus fimbrias, & animo ambitioso complectimur Universum, ut in nos quoque cadat illud Poëtæ:

Vnus Pellæo juveni non sufficit Orbis.

Sed nè longiùs. Discamus à Christo parvi esse in oculis nostris, imo & in conspectu Dei, cui nihil magnum nisi parvum.

VIII. Quod nexum cum speciebus. Descendo ad aliud miraculum quod è priore consequens, estque nexus aliquis Corporis Christi cum speciebus, quo fit ut si moveantur hæ, & illud moveatur; si persistant hæ, & illud persistat: ut è contrario si corrupantur hæ, & esse desinant; desinat & illud his subesse. Imò si dividantur species, atque ab invicem separetur pars à parte, etiam Christi Corpus, quod in iis priùs unitis semel tantùm erat, jam bis erit; imò toties, quot in partes species ipsas dividi contingerit.

Qui autem fiat illud, adhuc est sub judice. Sunt qui credant ex eo fieri, quòd & species, & Christi Corpus sint in loco per idem ubi. Sunt qui velint inde, quod eâdem actione, quâ reproducitur Corpus, conserventur & ipsæ species: & hinc ille nexus amabilis, in quo mirari licet singularem Christi obedientiam, ac demissionem, qui non tantùm pariter sisti se ad vocem hominis; sed tamdiu latet sub speciebus, quasi insepultus, quamdiu illas esse contigerit. Et hæc paucis dicta sint de miraculis Cœnæ Eucharisticæ, de qua fusiùs in scholis Theologi.

QUÆSTIO TERTIA
HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba : *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.* vers. 18.

QUOMODO ETIAM RUSTICA VILLA à Cœli regia avocet, ac retrahat?

Vocatio ad Cœnam magnam, ATER Æternus pro ea, qua jam inde ab orbe condito fuit beneficentia, Cœnam magnam apparavit in Cœli Regia, ad illamque pauperculos mortales evocavit: Primùm per Fidem ac

Ad gratiam gratiam, quam etiam ultro obtulit: Deinde, etiam

Ad gloriam per gloriam, quam paravit. Sed, ô nefas! ô malum! ut invitentur quàm plurimi; imò & omnes quotquot Orbe sparsi; paucissimi tamen epulo illi se sistunt; sed alias, atque alias excusationes prætexunt.

Hom. 36. in Evang. Unus ait: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam; Rogo te habe me excusatum. Humilitas sonat in voce, superbia in actione*, inquit D. Gregorius.

Verè superbia sonat, & altùm quidem. Ecquid enim, Deus est, qui annuit; homuncio qui renuit.

Cœli Regia, quæ aperitur, & patescit: & magis arridet rustica casa.

Cœna est, lauta quidem, quæ proponitur: & illi præponitur propè canina fames.

Deliciæ sunt, quæ ingeruntur, & quidem cœlestes: & his spretis placent siliquæ porcorum.

Gratia est, quæ offertur, & veluti delibata quædam Divinæ naturæ portio, & in creatis propè summum bonum; & huic scelus præeligitur.

Divitiæ sunt eæque æternæ quæ reconduntur in cœlis, ipsáque æternitate: & magis arridet paupertas.

Beatitudo est, & quidem summa, atque interminata, ad quam vocantur: & eligitur summa, æternáque miseria. Atque rationum instar omnium obtruditur illud: *Villam emi, & necesse habeo exire.*

Exire, inquam, à meipso, à ratione, à Deo *& videre illam*; illâ oculos, illâ animum pascere.

Exire à Fide, à gratiâ, à charitate, cæterisque virtutum pulcherrimarum ornamentis.

Ab ea ut avocant terrena. Exire à gloria, à beatitate in quam propè pes immissus: nimirum tantum ab unica villa, à terrenarum rerum possessione malum est; retinet hæc terris affixum hominis animum, & à Cœlis revocat; etiam quod lugebis in ipsa miserabilis ævi meta, cùm jam abituriens anima luctabitur cum corpore, cum morbus, cum ipsa morte.

Refert P. Paulus Barry in lib. cui titulus Solitudo, Auri fabrum quemdam in ipsa agonia, & inter extremos anhelitus, cùm offerretur ad sacrum osculum Crucifixi argentei simulacrum; illicò quasi resumpta voce spirituque, petiisse quod illi pondus? quotque unciis esset grave? Probatur exemplo Aurifabri.

Ecce ut morienti in voce, in memoria, in amoribus est illud ipsum; quod olim benè sano fuit.

Ecce ut de mercimonio cogitat, de lucro loquitur, de auro, argentove laborat anxius, etiam in ipsis mortis faucibus, à quibus jam jam hauriendus cùm sit, adhuc tamen Villam & aurum emit, & propè exit è lectulo, exit certè à salutis curâ, à studio beatæ æternitatis comparandæ.

Quod ipsum liquidò apparebit, etiam in alio, cujus meminit idem Author. Præsul erat cujus nomini parcit, & familiæ. Is emoriens supellectilem omnem suam argenteam, & vasa fusilia auro multo nitentia ad se deferri jussit, atque in lectulum deponi, ut illis deficientes, & in ipsa morte natantes oculos pasceret; ut manus languidulas, ac frigescentes eorum attactu veluti recrearet; & sanè visus est iis pasci, atque oblectari usque ad extremos miserabilis animæ spiritus; nam cùm & vox, & oculorum lumen & calor propè omnis toto corpore defecisset, quamdiu manibus aliquis superfuit motus, vasa sua palpare, contrectare, versaréque usque ad mortem. Præsulis.

Evocabatur infœlix Præsul ad Cœnam magnam, ad nuptias Agni, ad beatitatem; at obtrusit etiam insulsum, atque insolens illud: *Villam emi*, argentum mihi paravi, & aurea vasa, & necesse habeo exire à te, ô Deus meus! & illa etiam moriens potiùs aspicere quàm te, ô spes mea, summúmque bonum!

Necesse, inquit; est enim morienti imposita propè necessitas ea videndi, tractandi, amandi, quæ in ipso vitæ cursu videris, tractaris, amaris: dura profectò, & fatalis necessitas, in quam venerunt *viri divitiarum*: Rectè viri divitiarum, qui non tam divitias possident, quàm ab iis possidentur; ut eleganter annotavit D. Ambrosius: *Benè viros divitiarum appellavit, non divitias virorum; ut ostenderet eos non possessores divitiarum, sed à suis divitiis possideri*; & ita quidem, ut durum Virorum divitiarum. In Psal. 75. v. 6.

ut durum in eos exerceant imperium. Sub hoc gemunt, ac fatiscunt stulti mortales; excutiunt autem illud sapientes, quos inter & illos interest; quòd, ut rectè advertit Seneca: *Divitiæ apud sapientem virum in servitute sint, apud stultum in imperio.* Quod qui admiserit etiam Dei vocantis aut outum, aut etiam imperium facilè excutiet.

De vit. beat. c. 16.

Adolescentus.

Illius exemplum dabit adolescens ille, qui cùm Salvatori hanc quæstionem movisset: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Audissetque: *Vade, & vende quæ habes, & da pauperibus;* Illico contraxit humeros, & à Christo, ejusque consiliis longiùs abiit. Causam si quæras, ea manibus tenetur, exprimiturque vel ipso sacræ Scripturæ oraculo: *Erat enim habens multas possessiones*, sub quarum erat imperio, & ita quidem ut Christum ad altiora vocantem non audiret. Quod malum dum in illo, aliisque videt, ac deplorat Magister optimus, hæc ad Discipulos suos: *Amen dico vobis quia dives difficilè intrabit in Regnum Cœlorum.*

Matthæi 19 vers. 16.

Vers. 22.

Quod ut in aperto esset ad majorem lucem adjecit & illud: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in Regnum Cœlorum.*

Vers. 24.

Meritò petitur similitudo à Camelo, quem ingens moles carnea, quam maximè excludit ab angustiis exigui foraminis, quod in acu videmus, & quo liquidò ostenditur opulentum aliquem, & à divitiis, multóque ære tumidum, vix ac nè vix quidem ad regnum Cœlorum, hoc est Ecclesiam, ac beatitatem admitti; & si fortè admittatur, esse singulare beneficium miserentis, ac propè impellentis Dei.

Hinc Pelagiani (perperam quidem, ac præter, imò contra Christi mentem) docuerunt nullum divitem salvari posse, nisi sua divenderet, daret pauperibus, & re etiam ipsa ad paupertatis angustias deveniret.

Error est, cui nec à Christo, nec ab hoc Scripturæ loco patrocinium peti potest; nec enim eo loci Servator usus est præcepto, sed consilio, ut dilucidè ostendit D. Augustinus ad Hilarium: verùm ut ita fit, innuitur tamen ingens quædam difficultas, quæ ab opibus, & divitiis ad animum emanare solet, & eum ab iis, quæ Dei sunt, ac salutis avocare.

Epist. 89.

Ita quondam avocavit divitem Epulonem, qui dum in albescentes à segetibus agros exit, messemque opimam oculis, ac spe devorat; hæc ad animam suam: Destruam horrea mea, & illa dilatabo, reponámque uberes terræ fœtus in annos plurimos. Ecce ut à seipso exit infamis Epulo: audi qui etiam exeat ab officiis debitæ charitatis. Erat ad januam Lazarus, pauperculus ille mendicus, & fame propè enectus, & sua egestate, ac macie divitem provocabat, ut modica profusione viam sibi faceret ad Cœli regiam, ac beatitatem: orabat Lazarus, sed non exorabat; nimirum ut scitè D. Chrysologus: *Purpura, bysso, delicatus vestibus, epulis blandus, ferrea viscera crudelis animæ nutriebat.*

Epulonis.

Crudelis, inquam, & illi mendico, & sibi; cùm enim vel aquæ haustu, vel panis frusto sibi aperire posset aditum ad Cœnam magnam, ad quam invitabatur, maluit infœlix abire in agros, spectare segetes, & avarâ mente oculóque haurire, quæ sibi, ut rebatur, tellus ferret; nec aspexit unquam quæ cœlum ostenderet, quæ offerret præmia benignæ largitatis. Nimirum avaro imponitur quædam necessitas videndi ea, quæ sibi congessit.

Invitet charitas ad officia pietatis, respondebit: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.*

Invitet natura, & insita cuique etiam ferreo lex, adjiciet etiam ille: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.*

Invitet Cœlum, & suos orbes explicet, repositáque in eis præmia, & his objiciet istud: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.*

Invitet denique vel ipse Deus, & sinus aperiat suarum miserationum, & his obtrudet impium illud: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.*

QUÆSTIO QUARTA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* V. 19.

QUÆ SINT ILLA IUGA BOUM?
Et quàm insanus ille, qui iis collum subjicit?

Juga boum quæ?

MENS hominis lucri nimis cupida, & propensa ad augendas opes, eas olim repositas habuit in pecoribus, in gregibus atque armentis; quæ dum quærit, augetque impensiùs etiam avaritiæ notam incurrit; & hanc notat Magister optimus, dum eum producit, qui emit quinque juga boum, hoc est qui parandis opibus studet impensiùs, adeóque & oculos, & animum, & pedem, hoc est affectum, avocat à Cœna magna, à Christi doctrina, Regnóque cœlesti; ita Theophilactus.

I. Opes, quæ olim in pecoribus.

D. Gregorius aliò sententiam flectit, ut qui per quinque juga boum, quinque sensus intelligat; sic enim ait: *Quid in quinque jugis boum, nisi quinque corporis sensus accipiamus.*

Hom. 36.

Dicuntur illi juga; quia in homine sexum utrumque jungunt, & miserabili premunt servitute. Quia nimirum, ut ille ipse S. Præsul, ab internis animum avocant, & trahunt ad externa, damnanda scilicet ac perniciosa curiositate.

II. Quinque Sensus.

Ab hac quippe homo, qui secum esse debuit, & quasi domi, secum loqui, secúmque agere; semper est foris, vagus, extorris & quasi exul à seipso; imò & à Deo suo, summóque bono.

D. Gregorio consentit D. Bernardus, qui acri stylo pungit misellum istum, qui cùm amabile Christi jugum, & quidem unicum ultrò oblatum induere potuerit, emit sibi etiam ingenti pretio quinque juga boum, dum quinque sensuum jugo, atque servituti sese addicit. Quod malum quantum sit D. Bernardus ex variis capitibus ostendit:

Primùm, quod insani jumento deterior sit, *qui sibi juga emerit jumentorum*; illud enim juga subit necessitate; at homo voluntate: *illi natura est; huic culpa* esse sub jugo, subque eo curvari.

Serm. de Verb. Evãg. dixit Simon Petrus.

Deinde arguitur *stoliditatis miserandæ, & extremæ dementiæ*: ut qui jugum emit pacto etiam pretio, quod accipere potiùs debuit, quàm dare.

Quid enim, inquit, *juga emit, & juga boum, cui jugum suave gratis offertur?* Et quidem *jugum hominis: siquidem & Christus homo*: at infœlix peccator jumenti jugum eligit, & despicit Christi: In quo summæ

Horum jugum quàm grave.

arguitur insciti, maximè cùm pro jugo Christi etiam suadetur merces; pro jugis boum nil nisi pœna; quam dum attendit S. Abbas, sic stultum illum mercatorem compellat.

Quid miser pro jugo boum distrahis animam tuam, qui jugum Christi suscipiens emere poteras Regnum Dei, mercari vitam, lucrifacere Christum?

Denique extremæ damnat imprudentiæ, ex eo quòd eligat potiùs quinque juga, quàm unum: & in his etiam quinque dominos, imò tyrannos, & prædones.

Qui porrò sint illi ex eo si quæras, audies esse sensus quinque; quibus qui servit, nè ille duris dominis, ac tyrannis servit. Ambit enim unusquisque sensus præripere alteri dominatum, & suo subjicere imperio.

Oculus, inquit, *deprædatur animam: gula aliud exigit; ad aliud pruritus aurium vocat. Odoratus & tactus diversa imperant, interdum forsitan & adversa, dum uterque communem gestit præripere sensum & trahit sua quemque voluptas.*

Ecce juga quinque boum, hoc est, sensuum quinque, qui instar jumenti abjiciuntur ad corpusculi voluptates, & hominem cui insident, etiam abjiciunt, & quà onere, quà labore propè frangunt.

Hoc malum ubi deploravit Bernardus, tum longiùs elabitur ad alia juga propemodum innumerabilia, sub quibus premitur, ac fatiscit peccator.

III
Vitia omnia

Sunt autem illa tot, quot vitia morum, *ut invenire sit euntes non modò quinque, sed plusquam quinquaginta quinque, non planè jumentorum juga, sed dæmonum.*

Ne mireris, amice Lector, si vitiorum juga, dæmonum appellet juga pius Præsul; ut qui apprimè noverint ipsa vitia pejora esse dæmonibus: nec enim dæmones vitia fecere; sed vitia ex Angelis dæmones reddidere; stupenda sanè, ac deplorabili metamorphosi, à qua discedo ut veniam ad quinque juga sensuum, ostendámque paucis quàm gravia sint, & quàm miserandæ subjiciant servituti; servituti, inquam, non quæ Deo nostro reddatur; sed quæ pendatur Diis alienis, quod piè & eleganter demonstrat Guilielmus Abbas, ubi aperit quantum intersit, inter Christi jugum & mundi.

Juga quinque sensuũ.

In Medit.

Jugum, inquit, *tuum ô Christe suave! & onus leve imposuisti mihi; at cùm ostendis servitutis tuæ distantiam, & servitutis sæculi, blandè, & leniter me interrogas, utrum malim servire tibi Deo viventi; an Diis alienis? Ego manum imponentis adoro, jugum deosculor, onus amplector, & multum mihi suave est sub illo desudare. Multi enim, & multo tempore possederunt me Domini, absque te, quorum jugum non est suave, nec onus leve. Tui juris esse cupio, tuum jugum recognosco, & onus leve, quod sublevat, non premit.*

Hæc Pius Præsul, ex quo notari velim:

Primò, quòd Christi jugum sublevet, non premat, non dejiciat; at sæculi jugum, & premit, & dejicit.

Deinde Christi jugo humeros qui submittit, servit ille Deo viventi; qui autem carni, & sensibus, Diis alienis; puta Veneri, Baccho, Plutoni; aliisque diris ex Erebo monstris, potiùs quàm Diis, quod in præsentia aperire nostri erit laboris, atque instituti. & quidem

1.
Oculorum.

Primum jugum oculorum, ac visus subjicit Veneri, atque Cupidini, subjicit Baccho & gulæ. Recurre animo ad ipsas mundi cunas, & in iis Evam primam generis nostri parentem contemplare. Quid illa in amœna Paradisi sede? vidit illa pomum pulchrum oculis, aspectúque delectabile; vidit, concupivit, decerpsit, comedit; *dedit viro suo qui comedit*, & periit, unáque etiam genus omne mortalium. Ecce ab oculis & gulæ & peccati jugum humeris nostris impositum.

Gen. 3. 6.

A mundi infantia delabere ad illius adolescentiam, & hæc ab oculis infandam passa servitutem. Dina filia Liæ *egressa est ut videret mulieres regionis illius*; vidit & periit; rapta enim, & stuprum passa: adeò periculosum & videre, & videri. Gen. 34.

At inquies imbelle est, ac fœmineum genus quod oculis malè capitur, non sic fortè virilis animus & martium robur.

Falleris enimverò, falleris; quid Sampsone fortius? quid Davide generosius? hic Ursos, ille Leones edomuit; hic Saulem, ille Philistæos prostravit; & tamen hic à Bersabea, ille à Dalila captus, vel potiùs ab oculis suis & hic, & ille captus.

Levavit David oculos ad aliena mœnia, ad aliena solaria; vidit istam in qua captus est: mulier longè, libido propè. Alibi erat quod videret, in illo unde caderet, inquit Augustinus. Nimirum ut rectè D. Ambrosius: *Ipsi nobis nostri oculi sunt retia*, quibus implexa libertas omnis pereat. In Psal. 50.

L. de Pœnit. c. 14.

Machinæ sunt, quibus impetatur omne animi robur, & fatiscat.

Arces sunt, & castella, è quibus nos oppugnet tartareus hostis; sic enim oculos appellavit Philostratus, dumus non solùm dedit intelligentiam; sed & præsidium veluti militare, quo moveatur atrox pugna, sed amoris: Cupidine duce, duce Venere, quæ ab oculis seu arce sublimiori tela demittit; & quidem multo illita veneno: *Oculus fœminæ viru est telum*. Et *prima adulteræ oculorum tela sunt: secunda verborum*, ait Ambrosius: ab his & illis immania vulnera, quæ in seipso sensit Aristenes licèt profanus homo, qui sic ad mulierem, quam fortè curiosiùs usurparat oculis: *Conversus ad te*, inquit, *simul ut vidi, me forma sauciavit tua.* Adeò verum illud quod vulgò jactari solet: *Multi per oculus animo accipiunt vulnera.* Ne porrò accipiant, oculos probè muniant oportet; exemplo, imò & præcepto B. Nili, cujus hoc effatum: *Auditum & oculos munito; per illa enim omnia malitiæ tela ingrediuntur.* Ita munivit adolescens Hispalensis, qui dum piè diem suum obiret, Parthenia Sodalitatis præfectus, sanctè affirmavit illud, annis omninò novem, quibus sibi degerat nunquam in mulieris faciem oculos conjecisse. Nimirum pepigerat ille fœdus cum oculis suis, tanquam cum hostibus domesticis, ut ne cogitarent quidem de virgine: & tu pangas oportet, si modò victor esse velis, & tui juris; nec alienæ obnoxius servituti; ut sunt ii qui liberiùs oculis dum fræna laxant jugum induunt miserabile, à quo descendo ad aliud, quod est ab auditu.

In Epist.

L. de Ioseph c. 5.

Lib. 2. Ep. 8.

Orat. 7.

II.
Aurium.

Diogenes apud Stobæum: *Irridebat eos qui cellas promptuarias obserant vectibus & seris, & signaculis; corpus autem suum multis fenestris, & januis aperiunt per aures, & oculos.* Serm. 6. de Intemper.

Nimirum aures, & oculi sunt januæ, sunt fenestræ, per quas in animum illabuntur & imagines obscœnæ, & verba impudica, quibus illicò occupatur ille, & sub Veneris alicujus, ac cupidinis jugum mittitur. Quidni enim mirtatur, ut qui ab illis stuprum quodammodo pati videatur?

Ipsum aerem qui incubat scelestis vocibus constupratum affirmabat Septonius. Lib. de Prod. c. 25.

Quod si aër & vita, & sensu carens excitatur quodammodo ad sensum libidinis, quam cum voce, sonoque haurit; quantò magis infirmos homines & vasa carnea excitari necesse est, atque impuris sermonibus conspurcari?

Certè innoxius Joseph totus purus, & castus ut dominæ suæ verba audiit, verba nuda, nefanda, incesta; etsi animo integro, atque illibato exceperit, aures tamen ab illis malè affici, atque violari sensit; ubi enim audiit, *dormi mecum*; tum hæc ipse secum: *Hac voce haud aliter aures mihi verberantur quam gladio? Quomodo agam? Quomodo constupratas aures medicabor?* Gen. c. 39.

medicabor? Quomodo tuorum verborum abstergam inquinamenta?

Hæc secum agitare, secum loqui castus adolescens, quem impudicæ voces non secùs feriebant ac stricti ferri acies; quam ut declinet, anxiè modum quærit, ac viam, qua effugiat; qua medeatur cæsis auribus; qua sordes detergat; qua deferat infanda illa, ac cænosa verborum inquinamenta. Verùm enim illud, etsi purus evadat animus, etsi intactum reliquum corpus; at certè quodammodo conquinatæ aures; imò & graviter vulneratæ, & eo quidem vulnere, quod servitutis indicium sit, atque argumentum.

Exod. c. 21. vers. 6. Si quis olim sese in servum mancipare voluisset perforabatur ei auris subula, *& sic erat servus in sæculum.*

Jactantur in aëra impudicæ voces, ad aures tuas appellunt, eas penetrant, atque perfodiunt, unáque etiam te miserandæ addicunt servituti, seu eam Cupidinis esse voles, seu Veneris, seu alicujus infamis mulierculæ, cui aures dedisti: Ecce quantum ab his malum, & jugum quàm grave.

Epist. 1. ad Aprum. Ne porrò eo premaris aliquando, qui hæc legis; author tibi sum, imo potiùs author est ipse Deus, ut *aures tuas sepias spinis*, hoc est interprete S. Paulino; *Dei verbo, & Fide*; ne scilicet verba mollia, verba nuda aures tuas subire possint.

Deinde si fortè à spinis adhuc auribus sit minùs cautum, imiteris Athletas, quibus sua erant aurium integumenta; nè scilicet ictuum sono, ac stridore vapularent.

Pro integumentis illis tibi erunt ad manum Dei timor, & horror fœdæ libidinis, quæ per aures ad animum pervadit.

Denique cave & ipse sedulò, ne lingua tua aliquando sese explicet in obscœna verba, quæ Guilielmus Peraldus appellat *Diaboli sputa*.

In Psal. 37. Ita cavit olim casta Susanna, quæ ut bellè notat Ambrosius: *Accusabatur, & tacebat; ducebatur ad mortem, & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem.*

Potuisset enimverò Susanna & senum impudicorum verba, & lenonum voces proferre, testes & innocentiæ suæ, & indices servilis nequitiæ: Noluit tamen; sed alto silentio eas pressit; scilicet pudori metuit, quæ mortem non metuit; silentio se tegit, ne nudet pudorem.

Ita teipse tege, mi Lector, si fortè te etiam invito, ac reluctante contingat ejusmodi jactari verba, silentio tuo ea tacitus damna, & teipsum probè tegeris: sed ne longiùs.

III. Gustus. Transeamus ad alium corporis humani sensum; is est Gustus, qui longè plurimos habet sub jugo.

Dixit olim S. Nilus, & verè; luxuriam cùm in hominem bellum pararet, sibi comitem ac commilitonem gulam sumpsisse, ut junctis quasi viribus, factóque agmine eum impeteret, mitteretque sub jugo.

Orat. 2. de Luxur. *Libido*, inquit, *gulam sibi sociam assumit in bello, ut ejus auxilio atque insidiis tandem expugnet adversarios*; & suam in servitutem redigat.

Et quidem jure belli; sed in quod se misellus peccator induit, dum à gula ad luxuriam, à Baccho ad Venerem transit; iam hujus, quàm illius futurus mancipium; imò & jumentum. Sic enim eum appellandum censuit D. Chrysologus, qui discrimen ponit inter eos qui Dominum expectant redeuntem à nuptiis: ex illis enim quidam homines sunt, quidam jumenta.

Serm. 22. *Homines*, inquit, *sunt qui more debitæ servitutis indefessi excubiis adventum sui Domini præstolantur: qui verò sui ventris serviunt, ut Divinam nesciant servitutem, & de calinis voluptate sollicitis, sollicitudinem occursus Dominici perdiderunt, homines non vocandi sunt; sed Jumenta.*

Ratio in promptu est, quia belluarum instar ad pastum abjecti sunt, adeóque non homines dicendi; sed Jumenta.

D. Ambrosius, pro ea, qua fuit solertia magnæ mentis, advertit, quod sexto die bestiæ sunt creatæ, & cum bestiis orta edendi potestas, & usus escarum. *Lib. de Eliâ & Jejun. c. 3.*

Tum addit illud dignum, quod stylo notetur & fideli mente teneatur; *Ubi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi*: quod scilicet, *per cibos mundus haberet diminui, per quos debuit augeri.*

Quòd si per cibos, & finis, & imminutio quædam mundi hujus aspectabilis; at multò magis mundi rationalis, id est, hominis, qui per ingluviem ad belluam defecit, atque degeneravit, & cujus *venter* (ut scitè dixit Philo) *nihil aliud est quàm præsepe brutæ concupiscentiæ.* *De Sacerd. honor.* Ad præsepe alligantur jumenta, & illi incubant, incumbúntque tota ut corpora impleant, & saginent. Et hoc facit gulosus homo, cui quia venter est præsepe, illi pronus incumbit, atque inclinatur totus; quod malum dum deplorat, lugétque D. Ambrosius, sic hominem compellat, si fortè assurgere, & sibi reddi possit.

L. 6. Hexam. c. 1. *Si sola animalia*, inquit, *prona pascuntur, cur te in edendo sternis ipse, quem natura non stravit? cur eo delectaris in quo naturæ injuria est? cur noctes & dies cibo intentus porcorum more terrena depasceris?*

Hæc S. Præsul acri stylo, quo pungit, stimulátque bellunos illos homines qui dum gulæ, genióque plus æquo indulgent, vilis eduli preno sibi emunt jugum boum; uti & illi qui odores venantur impensiùs, & inde sensui blandiuntur improbè. **IV. Odoratus.**

Lib. 33. c. 6. Teste Plinio ex argenti fodinis emanat odor inimicus animalibus omnibus, exhalant nimirum illæ pestilentem aliquem anhelitum, quo necesse est illum infici, qui liberiùs eum hauserit.

Sed hic odor corpori, ille, de quo agimus, animo nocet: est ille, qui ex pigmentis petitur aviditer, & qui non benè semper olet, qui benè semper olet. Hunc Clemens Alexandrinus censet suffitibus, unguentis, atque odoribus trahi adinstar Jumenti, cui odor est quod circulus aureus in naribus suis, quo circumducatur: *Sicut boves*, inquit, *funibus; ita etiam intemperans suffitibus, & unguentis, & suaveolentibus coronarum odoribus trahitur.* *Mart. l. 11. Epist. 16.* *Lib. 2. Pædag. c. 8.*

Trahitur, inquam, in cœnum, & volutabrum vitiorum propè omnium, & quidem; Primò ad mollitiem quandam, & luxum muliebrem, quo diffluat totus.

Supra. Hinc rectè Civitates nonnullæ unguentarios suis à mœnibus repulerunt: *ne virilitatem ipsam effœminarent*; ut notat Clemens Alexandrinus. Et D. Gregorius Nazianzenus, eum, qui hujusmodi est partim carpit, partim opportunè monet, ut resipiscat: *Odoratus*, inquit, *te effœminavit, odorum suavitates fuge*; utpote, quæ ad libidinem, veneremque alliciant; & hoc alterum est malum quod stylo notat D. Hieronymus: *Odores*, inquit, *& diversa Thimiamata, & muscus, & peregrini muris pellicula, quod dissolutis, & amatoribus conveniant, nemo, nisi dissolutus negat.* *Orat. 43.* *Lib. 2. adv. Iovin.*

Hieronymo subscribit D. Ambrosius; sic enim ait: *Unguento se ungunt, qui corpori odoris gratiam quærunt. Sed & illa unguenta libidinis illecebras movere consueverunt*: nec libidinis tantùm; sed & aliorum propè omnium vitiorum, ut post illos Patres advertit D. Chrysostomus, qui aureo ore hæc pronuntiat. *Lib. de Helia & jejun. c. 10.*

Conc. 1. de Lazaro. Primùm, *nihil immundius animâ*, cujus corpus odores illos aspirat.

Deinde sub corporis, & vestium fragrantia intus latere animum graveolentem.

Tum etiam ejusmodi diaboli nidum esse: *Cùm*, inquit, *Diabolus aggressus evitaverit animam, omnique vitiorum genere compleverit, tum in corpore suæ corruptionis lectum oblinit unguentis.*

Corpus unguentis malè delibutum, imbutúmque odoribus, lectum appellat mali dæmonis, pessimi utique hospitis, qui in eo, ceu nido, ceu strato conquiescit, omnique vitiorum corruptioni obnoxium facit, unáque etiam peccatorum jugo, quod gravius sit jugo boum, ac jumentorum; quod nè subeas aliquando, amice Lector, Diogenem audi, profanus sit licèt, oportunus tamen est monitor. Hæc ille quondam adolescenti calamistrato, & odoribus diffluenti, hæc etiam in præsentia tibi: *Cave ne capitis odor, sit vita fœtor.*

V. Tactus. *Epist. 50. ad Pommachium*

Descendo ad ultimum sensum, qui est Tactus, & hic quoque sæpiùs hominem habet sub jugo, dum ad ea manum explicat, à quibus retrahere debuit quàm maximè; huic ego pro remedio exhibitum esse velim tum Apostoli monitum, tum exemplum castissimi adolescentis Josephi. Ab hoc, & illo discet, quid opus facto, & quid illi sensui debeat esse pro fræno

Benè censuit, benè monuit Apostolus dum ait: *Bonum est homini mulierem non tangere*; quia ut scitè explicat D. Hieronymus: *In tactu periculum est, & qui mulierem tetigerit, non evadet. Hinc Ioseph quia illum tangere volebat Ægyptia, fugiens de manibus ejus, pallium abjecit.* *Lib. 1. Offic. c. 19.*

Ioseph, inquam, *humilis usque ad servitutem, verecundus usque ad fugam, patiens usque ad carcerem*; quem intravit ne intraret in vincula, in manus, in jugum mulieris impudicæ, & tactus petulantioris, à quo sibi caveat est necesse, qui animæ volet esse benè cautum.

QUÆSTIO QUINTA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* V. 20.

AN VXOR VIRO IMPEDIMENTO sit ne DEUM *vocantem sequatur?*

Prima expositio est



E uxore multi multa; ego hîc pauca, quæ lucem afferent illi quæstioni, quæ subobscura esse videtur.

Uxor quæ dicitur:

D. Gregorius Nazianzenus uxorem dixit esse, *pondus honoratum*; sic enim ad Nicobulum:

I. Pondus.

Non mihi sunt etiam connubia splendida curæ,
Pondus honoratum.

Quòd si pondus uxor; certè homini ceu viatori impedimento esse potest, ne citato pede Deum vocantem sequatur.

II. Impedimentum.

D. Augustino, uxor viri, *Impedimentum est.*

Serm. 86. de Temp.

Inde Moysi in Ægyptum ituro obstitit Angelus, & ferrum, ac mortem intentavit; *Forsitan*, inquit Augustinus, *quia mirabilia facturus; uxoris impedimentum secum ducere volebat.*

III. Vinculum. *In Ps. 118.*

D. Ambrosio, uxor, *Vinculum est*, quo plerumque tenetur vir, nè ad ardua impellenti Deo pareat; dum scilicet plus æquo uxori paret. De hoc vinculo ita S. Præsul: *Vincula complura sunt in hoc sæculo; vincula sunt desideria vivendi; vincula sunt oblectamenta voluptatum; vincula sunt honorum; vincula conjugii*: Ad quæ allusisse visus Apostolus, dum ait: *Alligatus es uxori.* *1. Cor. 7.*

IV. Rete.

Apud Arabes uxor dicebatur *Rete*. hinc illa paræmia: *Si habueris rete, trahe illud; ne fortè traharis ab illo*: id est, si habes uxorem, illam tibi subjice, nec illi unquam subjiciaris.

V. Jugum.

D. Ambrosio (ad quem redeo) uxor viro pro *jugo* est, & vir vicissim uxori, indéque audit *conjugium*: *Bonum conjugium*, inquit, *sed tamen à jugo tractum, & jugo mundi*; quod qui induit sanè Dei jugum inducere difficiliùs potest.

VI. Fovea.

Alii uxorem dixêre veluti *Foveam*, in quam ubi vir incidit, difficiliùs ad cœlestia emergit; hoc tamen intelligi velim si nimis uxorius sit, & plus carni det, quàm virtuti.

Joanni Marando celeberrimo Medico prædixerat Astrologus in fovea periturum; vitabat proinde Marandus etiam superstitiosè fossas, scrobes, ac foveas omnes, quoad ductâ uxore juvenculâ periit. Hinc Poëticus ille jocus apud Jovium:

In foveâ, qui te periturum dixit Aruspex,
Vates verus erat; conjugis illa fuit.

Nolim tamen hanc appellationem, utpote uxori fortè injuriam derivari in omnes; sed in eas tantùm, quæ viris occasionem dant lapsus, ac ruinæ; & hoc vitio suo, non autem ex ipsa connubii lege, ac natura; quam Deus Opt. Max. alia appellatione notatam voluit in ipsis mundi cunis.

VII. Adjutorium.

Vocavit enim uxorem *Adjutorium viri*, tum ad honestam liberorum susceptionem, atque educationem; tum ad onera familiæ, ac vitæ toleranda; & talis fuit uxor ex prima authoris institutione: at alia planè vitio suo; ex hoc enim *adjutorium* fuit *Diaboli*, quia juvit, ac promovit ad sternendum hominem.

Sic Eva Adamo fuit; adjuvit enim Serpentem ut virum ab ingluvie, fructúque vetito perderet, & posteros omnes.

Sic deinde lapsis longè sæculis, uxor patientis Jobi adjutorium Diaboli fuit; dum & marito insultavit, & suasit ut ipse Deo insultaret. De illa sic D. Chrysostomus:

Vastabat Iobum Dei inimicus, apertè suadet inimica uxor Iob, adjutorium Diaboli, non mariti: Eva scilicet nova.

Et hoc Jobo ab uxore malum, non impar plerisque viris ab uxoribus suis, quas dum stultè depereunt, dum audiunt malè suadentes, Deo ad meliora vocanti respondent: *uxorem duxi, & ideò non possum venire.*

VIII. Caro.

Postrema appellatio, quæ ad institutum meum facit, est quòd uxor dicatur *Caro*. Ita audit apud Joannem, qui Christo fuit à secretis.

Dum enim recenset eos, qui credunt in nomine Domini, ait eos esse, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis; hoc est uxoris: sed ex Deo nati sunt. *Ioan. 1. v. 13.*

Ponitur caro pro uxore, quo modo & aliquando, spiritus pro marito; quia ille regit, hæc regitur; ille imperat, hæc servit, inquit Augustinus. *Tract. 1. in Ioan. c. 1.*

Et hoc quidem ex naturæ lege, ex rationis, Deique placito, quod quia plerumque non servatur; fit ut uxor regat, & vir regatur; uxor imperet, & vir serviat: & hinc alterum malum; dum enim ita præposterè servit, ac regitur, carnem molliter blandientem audit, non Deum severè vocantem, & hinc jactat etiam petulans istud: *Vxorem duxi, & ideò non possum venire.*

Et hæc est prima illius loci expositio, cui subjicio alteram, quam deduco ex Hugone Folliensi, cur caro

Secunda expositio: Uxor est caro.

est spiritui pro uxore; eam enim despondit sibi naturali quodam connubio, è quo nascitur necessitudo quædam & nexus individui amoris, qui si cum ratione, cum virtute connexus sit, ad Deum vocat; si cum vitio ab eodem revocat, muta quadam voce, de qua ille ipse Hugo Folliensis: *Vox uxoris, vox carnis; vox autem carnis, voluptas.*

In alleg. Tilman. in Gen.

Ex corruptæ naturæ vitio: *Vox uxoris* (ut ante dixi) plerumque est *vox carnis.* Dum enim immodicè illius amori indulget maritus, non loquitur, non audit nisi ea, quæ carnis sunt: ad illa verò, quæ sunt spiritus, totus obsurdescit, atque obdurescit. Et hæc prima vox.

Altera est vox ipsiusmet carnis, ceu uxoris animæ, quam etiam qui audient, Deum nunquam audiet, quia ejus spiritus divino spiritui planè adversatur.

D. Bernardus piâ, ut assolet eloquentiâ, distinguit quatuor spiritus, vel si mavis voces, quæ ad hominis cor allabuntur; una est Diaboli, altera Mundi; alia Carnis; postrema Christi.

L. de Consc. c. de 4. Spir.

Diabolus, inquit, *clamat, ego decipiam; Mundus clamat, ego deficiam; Caro clamat, ego inficiam; Christus clamat, ego reficiam.* Ecce quàm pugnantes inter se clamores, & quàm pugnantia sint ea, quæ auribus ingerunt.

Diabolus clamat, ego decipiam. Præfert fraudes, & malos dolos, quibus fallat, irretiat ac perdat; & tamen auditur ille, & mirum quàm multos sui sequaces habet.

Mundus clamat, ego deficiam; ea quippe lege conditus sum, & quidquid in me est ex se deficit, corrumpitur, ac perit; & tamen unà cum Mundo deficere, corrumpi, ac perire malunt quàmplurimi, quàm unius virtutis beneficio seros in annos perennare.

Caro clamat, ego inficiam; est enim mihi congenita maligna quædam lues, qua infici possit homo, ac perdi, etsi vel maximè sanus, ac robustus: & tamen eam putidæ carnis tabem amant plerique, & eà se contaminari gaudent, atque interire.

Christus verò *clamat, ego reficiam;* & quidem cœlesti cibo, ac delitiis nunquam perituris; & tamen omninò pauci sont, qui his refici se, satiari, ac saginari patiantur.

Invitati quippe ad Cœnam magnam, obtrudunt improbum illud: *Non possum venire.* Et hoc quia carnis, ceu pessimæ conjugis vocem audiunt.

Caro apud Hebræos dicitur *Basar*, ex cujus litteris tribus Rabbi Jochanan deducit tria verba, *Busah*, id est, *Pudor; Sebol*, id est *Fovea*; & *Rimah*, id est *Vermis*. ut vel nudum carnis nomen doceat, quæ deinde parturiat ipsa, videlicet pudorem à peccato; deinde foveam ac sepulchrum, ad quod ducit; denique vermes, quos ea seipsa gignit, & quorum miserabile pabulum est.

Et hæc sunt malorum agmina, quæ vel à carne, ceu uxore pessima, in nos emittuntur, ut proinde meritò in eam sic invectus olim Idiota:

C. 2. de conflictu carn. & anim.

O misera caro quid te movet, ut meam animam velis spoliare virtutibus, & dejicere in infernum? tu namq; omnibus virtutibus denudata es, ideóque diceris caro à carendo, quia cares omni bono. Et quod pejus est, etiam abundas omni malo. Es ènim ut Petri Blesensis verbis utar:

Epist. 11.

Es, inquam, *contradictionibus hispida, rebellis, superba, murmurosa, querulosa, contumax, inquieta in tuum & animæ conjuras exitium. Nec potest satisfieri tibi donec & te, & animam præcipites in æternæ damnationis abyssum.*

Ecce ô misella animula! ecce uxoris tuæ, hoc est carnis, vitia.

Primùm contradicit Cœlo, & Deo vocanti; deinde rationi; imò & tibi rebellis est: tum etiam aliis insultat superbè; tum in querimonias abit, & de spiritu suo, hoc est, conjuge, malè conqueritur, & impudenti ausu, ac contumacia ejus jussa repellit omnia; tum in tuum, ac suum conspirat exitium, cujus initium dat à repulsa divinæ vocationis, dum insolenter ad nuptias, ad Cœnam magnam evocanti Deo, objicit pudendum illud: *Non possum venire.*

Imò nec potes ipse spiritus, & hoc quia carnem, hoc est uxorem, malè duxisti. Id est, ut clariùs eloquar, quia carni nimiùm indulges tuæ, quia ejus affectiones sequeris, ejus vocem audis, & eam stultè deperis. Quod dum facis, Deum tuum (qui tamen & solus, & summè est amabilis) amare non potes?

Ut porrò ames & quidem bono tuo, author tibi sum ut carnem tuam oderis. Sic enim & teipse, & Deum tuum benè amaveris. Quod ipsum vel sola duce ratione agnovit Mercurius Trismegistus, cujus hæc verba digna posteris:

Si tuum corpus primitùs non oderis, ô fili, teipsum amare non potes! Nec enim inter se convenire possunt nec in eadem sede morari, amor carnis & animæ; hanc si amas, illam oderis necesse est, & contrà.

Et hæc dicta sint de secunda uxore, hoc est, carne, quam qui audit, Deum non audit. Delabor ad tertiam uxorem, ea est voluptas interprete D. Gregorio Pontifice Maximo.

Quid per uxorem, inquit, *nisi voluptas carnis accipitur.* *Hom. 36.*

Tertia expositio: Uxor est voluptas.

Philo Judæus duas ait in Universo eastare uxores, quarum alteram ut ducat homo est necesse: una, quæ plerisque omnibus amori est, dicitur voluptas; alia, quæ plurimis odio est, virtus appellatur.

Duas, inquit, *unusquisque nostrûm uxores habet in suo contubernio, easque infensas sibi invicem, & animæ domum replentes contentionibus Zelotypiæ: harum alteram diligimus, quasi amicam, blandam, & familiarem, quæ voluptas dicitur; alteram odio prosequimur, ut immitem ac tetricam, hæc virtus nominatur.*

Ita de sui temporis hominibus philosophatus olim Philo, quæ ego ad nostram hanc ætatem traduci posse credo.

Pauci enim sunt, qui fortunato fœdere virtutem sibi vitæ comitem, ac velut uxorem ducant; at longè plurimi, qui infœlici connubio voluptatem, cujus ortum, speciem ac naturam oculis subjicere mihi est animus.

Finxerunt Scythæ Virginem ex terra apud se natam, cujus habitudo oris, cingulo tenus fœminam; inferiùs viperam repræsentaret. *Diodo. Sicul. l. 2. Par. 127.* Informe profectò, atque immane monstrum, sed quod voluptatem adumbrat quàm optimè; hæc enim primùm è terra nascitur, & terrenis bonis: deinde ore tenus exhibet Virginem quamdam, atque amabilem venustatem, quæ blando, atque amœno vultu oculos alliciat, animum invadat, & molli quadam titillatione prurit; at cave quisquis ea incautus malè caperis: venusta videtur; at ejusmodi est quæ desinit in draconem aspectu horridum, & veneno multo formidabilem. Hunc si spectarent mortales, à voluptate fugerent quàm longissimè: at quia mentis, & intelligentiæ oculos conjiciont in ipsum voluptatis caput, quod fœminam mentitur; hinc fit ut illà trahantur: non traherentur autem si caudam sagaci lumine attenderent.

Verùm hoc mortalibus vitium est, à sensibos sibi illud patiuntur improbè, & ea ferè tantùm aspectant, quæ foris parent, neque pervadunt ad ea, quæ malo dolo absconduntur.

A Plinio dicitur Cleopatra, *Scelerata, & notissima pellex*, quæ Antonium malè perdidit: metuebat ille *L. 21. c. 3.* sibi à veneno, indéque non sumebat cibos nisi prægustatos; ut ejus timorem falleret Cleopatra, primùm extremos coronæ flores veneno illinere cœpit, deinde capiti imponere, tum etiam procedente hilaritate, invitare Antonium *ut coronas biberet.* *Qui-*

ita timere insidias? inquit Plinius. Non timuit Antonius, & inde in floribus, & calice venenum hausit, ac periit.

Quod Antonio Cleopatra; hoc mortalibus voluptas; nam & hæc scelerata, ac notissima pellex: si videt unum aliquem, qui sibi cavet, metuitque à peccati toxico, ut eum circumveniat, ut capiat aliquâ, seu oculorum, seu gulæ illecebrâ, flores offert, mollia, ridentia, amantia proponit omnia, coronas texit & vanæ gloriæ serta, tum calicem libandum proponit, verbo uno seipsam sistit voluptas: at cave, flosculus est, sed cujus extrema veneno illita; calix est, sed multo veneno madidus. Et hunc & illum si capis, periisti.

Ita periit olim Hannibal, luxuriâ, largis dapibus, unguentorum fragrantia, & lascivientis Veneris blanditiis; tractus his nimirum cessit, qui Romano ferro numquam cesserat: adeò verumetiam in militares animos, martiáque pectora plus posse voluptatem, quàm armorum robur.

Ita periit Xerxes, qui inter lautitias, opésque florentissimi Regni, eò usque luxuriâ delectatus est, ut publico etiam edicto præmia proposuerit ei, qui novum voluptatis genus, ingeniosâ, ut aiebat, solertiâ peperisset: sed magno ei stetit sic empta voluptas; nam & regno spoliatus est, & vita, ut qui tam hanc, quàm illud infami luxu deturpasset.

Ita periit Attila, Orbis terror, & Dei vindicis flagellum, qui Gallis, Italis, Gothis, aliisque nationibus expugnatis, victoris ferox, Universum propè totum populabundus invasit, vastavitque; sed tandem ipse patriæ suæ redditus voluptati præda fuit: cùm enim uxorem adamasset, cui nomen Hildicon, in ipso nuptiali convivio, vel ut alii credunt thalamo, inter optatos conjugis amplexus, emissa ingenti vi sanguinis, acerbâ morte sublatus, suo funere docuit bellis invictum ducem non alio hoste, quàm voluptate necari. Adeò barbara, immitisque conjux voluptas; adeò infida, noxiáque pellex, cui animum, amorésque suos quisquis inclinant, indubiè etiam Deo vocanti, ac cœlum spondenti dicet: *Uxorem duxi, & ideò non possum venire.*

****

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Occasio Parabolæ.



CUm ipse CHRISTUS pro sua in miseros indulgentia, & liberiùs, & frequentiùs cum publicanis, ac peccatoribus ageret; incurrit in invidiam, & maledicas Pharisæorum voces Affectabant hi nomen sanctitatis, vel ex hoc uno quòd publicanorum convivia, peccatorum societatem fugerent; sive illud in Lege, sive in more tantùm positum esset.

CHRISTUS è contrario, & in eorum consortia sese inferre, & adire convivia; ea scilicet mente, finéque, ut inter mensas Divinos injiceret sermones, epulisque melioribus pasceret, Cúmque illud ipsum iniquo animo, & oculis transversa tuentibus paterentur Pharisæi, calumniásque jacerent; eas Salvator noster hac Parabolâ eluendas putavit. De qua hæc

EX D. THOMA.

Serm. 2. IN his verbis: *Angelis Dei*, notat Angelicus Doctor. Primò dici *Angelos Dei*, quia Deo assistunt, & hoc tripliciter. 1. *Contemplando.* 2. *Amando.* 3. *Laudando.*

Secundò, dici etiam *Angelos nostros*, quia nobis ministrant. 1. *Purgando.* 2. *Illuminando.* 3. *Perficiendo*, id est ad bonum evehendo.

Luc. 2. 15. Tertiò, Gaudium Angelorum *super uno peccatore pœnitentiam agente.* Gaudii porrò materia triplex est: 1. *Propter ministerii sui impletionem*; ideò enim Hebr. 1. omnes sunt *administratorii spiritus*, ut nos ad pœnitentiam permoveant. 2. *Propter dæmonum confusionem*: pœnitentia quippe peccatoris dæmonis est confusio. 3. *Propter Dei honorem*; est enim conversio peccatoris Dei gloria. Quod dum agnoscit Josue, Cap. 7. v. 19. sic olim ad Achan furti reum: *Fili mi da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, nè abscondas.* Quod illi quondam Josue; hoc ego in præsentia cuique peccatori; quæ si audiat, meliore sanè fato peccatum fatebitur, quàm olim infœlix Achan; qui in culpæ pœnam lapidibus obrutus periit, & igne omnis ejus furtiva supellex.

EX D. BONAVENTURA.

DIvus Bonaventura primùm amat, & suspicatur infinitam Divinæ bonitatis inclinationem, quæ hominem, ceu ovem perditam quærit, in humeros tollit, ad ovile reducit. Dom. 3. post Pent. ser. 1.

Inveni, inquit, *ovem quam perdideram: bonus inventor est Dominus; benè enim scit invenire electos ad justificandum; servientes ad remunerandum; odientes ad perdendum; mortuos ad resuscitandum*; Ita nimirum sagax est, & ferax ad inveniendum.

Primò enim electos invenit: at ubi, inquies, *invenit? quosdam in cloaca fetidorum peccatorum; quosdam in ore Leonis, id est, Diaboli per obstinationem; quosdam in pro-*

in profundo maris per peccatorum multitudinem; à qua eos perdiderat: *at per gratiam invenit ad justificandum.*

Secundò, invenit *ad remunerandum*, & hoc quandoque in *prima vigilia*, *quæ pueritia est*; quandoque in *secunda*, quæ *Iuventutis*; quandoque etiam in *tertia*, quæ *senectutis*: beati illi, quos sic invenerit Dominus vigilantes: at infœlices illi, quos aut dormientes, aut etiam odientes: hos quippe etiam invenit Deus; sed *ad perdendum.*

Ioan. 15. At qui, inquies, sunt illi? *Certè peccatores*, de quibus Christus, *oderunt me*, *& Patrem meum*; nec mirum, *qui enim diligit mendacium*, *odit veritatem*; *qui diligit mortem*, *odit vitam*; *qui diligit tenebras*, *odit lucem*; *qui diligit adulterium*, *odit sponsam*; & quia sic odit, & gratias odit, invenitur *ad perdendum*: sed longiùs abeo, cum D. Bonaventura.

Venio ad gaudium Angelorum, quod est etiam in Cœli regia, *super uno peccatore pœnitentiam agente*; & hoc est secundum caput Divinæ in nos miserationis; quod dum attentiùs expendit D. Bonaventura, sic monet, urgétque peccatorem: *Eia*, inquit, *si vis cœlestem curiam lætificare*, *pœnitentiam age*; *ad pœnitentiam autem te movere potest periculi immensitas*, *loci opportunitas*, *Dei benignitas*, *pœnitendi utilitas.* De quibus, videri potest S. Doctor: Ego bonâ illius veniâ, descendo ad quæstiones. Serm. 3.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quis ex vobis homo habet centum oves, & si perdidit ex illis unam?* Lucæ c. 15. v. 4.

QVIS ILLE HOMO, QVÆ CENTVM OVES, Quæ Vna?

Serm. 168. ANC quæstionem solvam ipsis sancti Chrysologi verbis, qui ea qua solet ingenii perspicacia, & styli nitore, recondita in iis mysteria notat, & quidem

I. Pharisæi arguuntur. Primò, acriùs pungit Scribas, & Pharisæos, qui ex eo quòd Servator optimus cum peccatoribus ageret, scandalum patiebantur, & altùm immurmurabant.

Non minùs invidi, inquit, *quàm superbi malitiam de Dominica bonitate capiebant*; *de pietate Dei impii reddebantur*, *fiebant de Christi miseratione crudeles*: *sumebant de cœlesti curatione languorem*, *& pœnitentium veniam vertebant Iudicis in reatum.* Nimirum *sic videt invidus*, *sic superbus sentit*, *avarus sic sapit*, *intelligit sic malignus.*

Hæc ubi Pharisæorum vitia notavit, tum accuratiùs excutit voculas illas, *peccatores recipit*: Et quidem primò hanc, *recipit*, nempè quod amiserat. Ex vero enim fatendum illud non sine gemitu, & lachrymis: Deum peccatorem amisisse, quem deinde, *recipit*, dum paterna miseratione *donat culpas*, *iram vertit in gaudium*, *dolorem mutat in gratiam*, *invenit quod amisit.*

At quem invenit? utique peccatorem; sed peccatorem à se non dimittit.

Recipit peccatores Deus; *sed Deus peccatores esse non sinit*, *quos recipit*; *peccator Deum non violat appropinquans*; *Deus peccatorem sanctificat dum propinquat.*

Hæc ubi acutiore stylo notavit, tum Pharisæos sic extimulat.

Pharisæe, *Christus peccata non recipit*, *cùm recipit peccatorem*; *quia Deus non criminis*, *sed hominis est receptor*; *unde Pharisæus non quales venerant*, *sed quales redibant videre debuit peccatores.* *Certè Paulum*, *quem persecutorem miserant*, *Prædicatorem videant mox rediisse.*

II. Explicatur Parabola. Sed non vident, quia eos excæcavit invidia, livor extinxit; sed nè longiùs. Attendamus quis ille homo? quæ ovis una? qui amici, àc vicini qui vocantur in partem lætitiæ? Et sic *cœlestis Parabolæ pandamus secretum.*

Homo ille habens centum oves, *Christus est.* *Pastor bonus*, *Pastor pius*: *qui in una ove*, *hoc est*, *in Adam*, *posuerat totum gregem generis humani*; *hanc inter amœna Paradisi*, *hanc in regione vitalis pascua collocarat*; *sed illa vocem Pastoris oblita dum lupinis ululatibus credit*, *& caulas perdidit salutares*, *& tota lethalibus est sauciata vulneribus.* *Hanc ergo Christus veniens quærere in mundum*, *in utero Virginea regionis invenit*; *venit sua Nativitatis in carne*, *& in Crucem levans humeris sua imposuit Passionis*, *& gaudens toto Resurrectionis gaudio*, *per Ascensum ad cœlestem tulit*, *& pertulit mansionem.*

Hic vocavit amicos, *& vicinos*, *hoc est Angelos*, qui & à gratia, & à caritate amici, & ab hac, & illa Deo vicini; tum sic ad illos:

Congratulamini mihi, *quia inveni ovem meam*, *quæ perierat.* Et verò *congratulantur*, *& congaudent Christo Angeli*, *super ovis Dominicæ reditu*, *nec indignantur in toto sibi præsidere solio Majestatis*, *quia de cœlestibus invidia cum Diabolo fuerat jam fugata*; *nec poterat per Agnum*, *qui peccatum mundi tulerat*, *in superna ampliùs invidia penetrare peccatum.*

Hactenus S. Præsul, qui à Cœli Regia, quò ovem receptam induxit bonus Pastor, descendit ad nos ipsos, quos adhuc in hac ora mortali errantes dereliquit, & sic ore aureo alloquitur:

Fratres ille nos quæsivit in terra, *nos illum quæramus in Cœlis*; *ille nos portavit suæ Divinitatis ad gloriam*, *nos illum sanctitate tota nostro portemus in corpore.* III. Fit ad oves exhortatio.

Hoc enim urget, ac perurget Apostolus: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* 1. Cor. 6.

At qui inquies portabimus? quî Deum Immensum, & Immortalem, pusillus, & mortalis portet homuncio? Respondet S. Doctor:

Ille Deum in corpore suo portat, *qui nullum portat in sua carnis operatione peccatum.*

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat.* vers. 4.

QVÆ SINT ILLÆ OVES NONAGINTA novem? Et quæ una?

I. Quæstio.

PHARISÆI (superbum, & insolens hominum genus) illud in more positum habuere, ut publicanos, ac peccatores odissent, aversarentur, fugeréntque. Et inde dicti Pharisæi, idest *separati*; ab hebræo *Pharats*, id est, *separare*, quòd se à peccatorum turbâ secernerent, non studio virtutis; sed affectatione quadam Sanctitatis, & insolenti fastu: Christus contra & publicanis, & peccatoribus sese inmiscere, tum humilitatis amore, tum ardore caritatis.

Hom. 34. Sic nimirum à Pharisæis dissentire Christus: & benè; quia ut advertit D. Gregorius: *Vera Iustitia* (qualis erat Christi) *compassionem habet; Falsa Iustitia* (qualis Pharisæorum) *detestationem.* Ut hanc fugiendam, & amplectendam illam doceret Magister optimus, eo loci, ac temporis tres illis Parabolas sub oculos posuit. Una fuit ovis perditæ, atque inventæ; Altera drachmæ amissæ, ac recuperatæ; Postrema Filii prodigi. Omnium unus est finis, unáque veritas in aperto ponenda; studiosè scilicet, atque operosè quærendos peccatores, ne malè pereant. Utque ad primam descendat

Luc. 15. vers. 4. *Quis*, inquit, *ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?*

Variæ sententiæ. Hic incurrit quæstio, quæ sint illæ oves nonaginta novem? quæ una?

SS. Patres in varias discedunt opiniones.

L. 2 Quæst. Evang. D. Augustinus credit nonaginta novem oves in deserto, esse superbos qui dicuntur relinqui in solitudine, quia à superbia sua, & insolenti fastu soli

Prima. esse, ac videri volunt. Una autem ovis, quæ quæritur, est peccator, quem admissi sceleris pœnitet, & quem pastori proximum facit insignis animi demissio.

Secunda. Theophilactus per oves nonaginta novem intelligit homines justos, quos Deus sibi quodammodo relinquit, & qui sua virtute se involvunt. Per unam verò, peccatorem, qui per immane scelus à Deo suo discessit, abiitque longiùs.

Hom. 34. in Evang. D. Gregorius, aliò stylum, mentémque vertit; ait enim Deum, in prima bujus Universi molitione, habuisse centum oves, è quibus nonaginta novem,

Tertia. hoc est, bonos Angelos in Cœli regia, ac sede beatitatis reliquit, ut unicam ovem, id est, hominem in terris errantem quæreret, tolleret in humeros, ovilíque, ac pascuis cœlestibus redderet.

Quarta. Alii denique per oves nonaginta novem censent intelligi oportere malos Angelos, quos magnus ille Pastor sibi, suo sceleri, suisque suppliciis immersos reliquit, & quidem ad annos æternos; hominem autem, ceu oviculam unam errantem, ac vagabundam quæsivit, retulitque in ovile.

Sed hinc movetur alia quæstio, cur Angeli dicantur etiam oraculo primæ veritatis, oves nonaginta novem; & totum genus hominum quantum quantum est, ovis unica appelletur? An quia numerus hominum ad numerum Angelorum sic se habet ut unum ad nonaginta novem? hic est cardo quæstionis, qui in eo vertitur; quis, quantúsve sit Angelorum numerus? quis deinde hominum, si cum illo componatur?

Priusquam huic quæstioni fiat satis, pauca ex SS. Patribus visum est annotare. II. Quæstio.

D. Dionysius, qui animo, ac cogitatione pervasit cœlestes illas Hierarchias; eas distinguit in ordines omninò novem; docétque ex iis aliquos esse assistentes, alios ministrantes. Lib. 14. de Cœlest. Hier.

Assistentes partitur in quatuor choros, videlicet Seraphinos, Cherubinos, Thronos, Dominationes.

Dicuntur autem assistentes, quia Deo ter Opt. ter Max. semper assistunt, nec adhibentur ad aliqua hujus Universi ministeria.

Alii sunt ministrantes, quos dividit in ordines quinque, & hi inferioris naturæ sunt, ac dignitatis: & ii sunt Virtutes, Principatus, Potestates, Archangeli, Angeli.

Appellantur hi omnes ministrantes, quia vacant aliis, atque aliis ministeriis ad bonum Universi, prout æternæ illi, ac Divinæ Providentiæ visum fuerit.

Et hæc ex Areopago magnus Præsul, & Lumen augustum nascentis Ecclesiæ, qui postquam cœlestes illos spiritus, sic officiis distinxit; hoc addit pro coronide.

Ordines superiores non tantùm naturæ dignitate inferiores vincere, sed & numero superare. Itaque plures Archangeli, quàm Angeli; plures Potestates quàm Archangeli, & ita de aliis ad alios gradum faciendo, ut ordine, ita multitudine multis partibus excedere.

D. Dionysio consentiunt SS. Patres, quos inter Angelicus Doctor, è quo pauca deducemus, & quidem

Primùm cœlestes illos, ac beatos Spiritus numero longè vincere omnem eam hominum multitudinem, quæ fuit ab Orbe condito ad usque extrema illius confinia. Quantum autem excedat, adhuc in occulto. Ex hoc conjice, benevole Lector. D. Brigitta in excessu, mentis à Deo didicit tot esse in Cœli Regia Angelos, ut hominibus singulis decem ad custodiam designari possint. Conjice inde quot Archangeli, quot Potestates, Principatus, Virtutes, quot Dominationes, Thronos, Cherubinos, Seraphinos esse necesse sit. Si enim Angeli, iíque soli multitudine homines decuplo excedant, & Archangeli Angelos numero vincent etiam decuplo; & idem de aliis erit judicium.

Ex quo rursum colliges, per nonaginta novem oves rectè intelligi beatos illos Spiritus; per unicam autem oviculam hominem denotari; quia si numerum spectes, ita ferè se habet homo ad cœlestes Spiritus, sicut unum ad centum. Quod ipsum annotasse visus Athanasius libro quæstionum ad Antiochum; à quo discedo ut redeam ad D. Thomam. Quæst. 2.

Ubi ille quæstionem movet de numero Angelorum, statuit non solùm natura; sed & numero excedere substantias omnes *materiales quasi incomparabiliter.* 1. Part. Q. 50. art. 3.

Utitur

Utitur S. Doctor eâ voce, ut innuat quis, quantùsve sit excessus, quem ut probet utitur ratione è Philosophia petita.

Sic, inquit, à natura comparatum est, in hoc Orbe elementari, ac cœlesti: ea corpora, quæ dignitate præstant, etiam præstant magnitudine. Ita, ut ab elementis ordiamur; aqua quæ terram antecellit, eam etiam magnitudine, moleque corporis superat; major quippe aquæ circumferentia, quàm terræ; & major circulus aëris quàm aquæ, majorque sphæra ignis, quàm aëris. Tum etiam major orbis cœli, quàm ignis. Quod si cum Aristotele statuantur Cœli undecim, quò illi fuerint alii aliis altiores, eò major erit eorum circumferentia.

Ita nimirum natura, Deúsque statuit ut corpora elementaria, ac cœlestia, quæ dignitate alia excedunt, excedant & mole.

Hæc ubi ex melioris Philosophiæ placitis docuit S. Doctor, tum assurgit altiùs, atque elabitur ad substantias corporis expertes, quales Angeli, & cœlestes illæ Intelligentiæ, de quibus ita philosophatur:

Sicut, inquit, in hoc mundo aspectabili corpora, quò naturâ superiora sunt, eò etiam sunt magnitudine: ita substantiæ incorporeæ, cùm alias magnitudine excedere non possint, necessum est excedere numero, ac multitudine; quod enim in corporibus est moles, ac magnitudo; hoc in Spiritibus numerus, & multitudo.

Ex quibus altioris Philosophiæ principiis, hoc primùm confice, & quidem generatim; cœlestes illos Spiritus multitudine superare non homines tantùm; sed & substantias omnes corporeas. Et inde speciatim

Confice, si colligerentur omnes homines Orbe toto sparsi, omniáque hominum sæcula, ætatésque omnes in unum veluti cumulum cogerentur; & hos multitudine superant cœlestes illi genii.

Confice deinde & alterum, in unúmque compelle animantia omnia, seu ea, quæ terris adrepunt, aut inambulant; seu ea quæ liquido æquore, aquisque merguntur, ac natant; seu ea quæ libero feruntur aëre: verbo uno animantium genus omne, species omnes collige, & in unum veluti gregem evoca: & his numero superiores sunt cœlestes Intelligentiæ.

Confice denique & hoc postremum, addéque quidquid vivit, ac vegetatur in plantis; imò quidquid est expers vitæ, & hoc Orbe ceu sinu clauditur, & cum puris illis Spiritibus compone; & numero; & multitudine vinci fateberis.

Quantum autem vincatur, non ita liquet; in re ancipiti, atque obscura, accipe quod Philosophi. Docent hi, inter corpora hujus Universi, eam in mole, ac magnitudine servari proportionem, ut quod naturâ, & loco superius est, decuplo sit majus eo, quod est inferius. Sic sphæra aëris decuplo major aquæ sphærâ, & circulus ignis decuplo amplior aëris circumferentiâ. Et hic excessus in corporibus penes magnitudinem sumitur; in spiritibus autem penes multitudinem, in qua iisdem insistendo principiis Angeli utpote hominibus superiores, eos decuplo excedunt numero, & Archangeli Angelos etiam decuplo; & idem esto judicium de Virtutibus, Principatibus, Potestatibus, Dominationibus, Thronis, Cherubinis, Seraphinis, qui ut gradu alii aliis superiores, ita & numero.

Quod aliquando D. Mechtildi ostendit Deus in mentis excessu, in quo illi exhibita species aliqua montis aurei, qui in altum assurgebat novem gradibus, tot scilicet quot sunt Ordines beatorum Spirituum, quorum singuli suo in gradu, seu statione consistebant, alii aliis superiores, ut naturâ ac dignitate; ita & numero.

Quos dum explicato mentis oculo intuetur S. Virgo in miros abit æstus, seu reverentiæ, seu stuporis amabilis, seu observantiæ, seu debitæ submissionis in beatos illos Sanctorum Spirituum Ordines, quos etiam ipsi mirari, revereri, colere, atque amare debemus impensiùs, & in eorum præsidio spem nostram reponere.

Ita reposuit olim Elisæus, nec spe frustratus est sua; cùm enim ingentibus copiis instaret Rex Syriæ, Deo plenus Propheta, cœlestes illos Spiritus, ceu summi Numinis acies in apertum campum evocavit, 4. Reg.
viditque in edito monte adventantem Cœli equitatum in suas turmas distributum. Adeò in promptu est militia illa cœlestis, ad quam etiam confugit Abbas Moses in summo tentationum æstu, incursúque, à quo dum sibi malè metueret, jussus est ab Abbate Isidoro in cœlum oculos conjicere, viditque patenti æthere explicatas veluti acies, & in iis multitudinem cœlestium Spirituum propè infinitam, expeditam in opem etiam unius animulæ periclitantis.

QUÆSTIO TERTIA

LITTERALIS ET THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, & cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* vers. 4.

QUID SIT IRE AD PERDITAM OVEM Quid eam invenire? Quid in humeros imponere? Et cur ad unam vadit, unam in humeros tollit, & non etiam alias nonaginta novem?

I. Quæstio. PERDITAM ovem, quam requirit bonus Pastor, diximus esse humanum genus; oves autem nonaginta novem, malos Angelos, qui à sua superbia, insolentíque fastu Cœli regiâ exciderunt, ac beatitate, quæ illos proximè manebat.

Ad ovem unicam venit Deus, non corporis gressu; sed spiritu, gratiâ, miseratione, quia impulsus sese homini perituro inclinavit, ad eumque itá venit: non autem ad Angelos, quos in culpa, pœnáque sua reliquit. Et hoc fuit ad hominem venire; hoc est illum, non autem hos redimere. Et hoc ad primum quæstionis caput.

Ad secundum, ovem, id est hominem, invenire; II. Quæstio.
est gratiæ reddere: *Quod Dominus perdidit, diabolus invenit per culpam: Deus autem invenit per gratiam. Bonus inventor Dominus, qui benè scit invenire electos ad justificandum, servientes ad remunerandum, & hoc quidem* D. Bonav. Dom. 3 post Pent. Ser. 2.

prima vigilia, quæ cuſtodia pueritiæ eſt; ſecunda, quæ juventutis; & tertia, quæ ſenectutis. in his ſi vigilantem ſervum invenerit, ſalvabit: ſin minùs, inveniet *ad perdendum.*

III. Quæſtio. Ad tertium, ovem unam, id eſt, hominem, in humeros impoſuiſſe; ſuit hominem aſſumpſiſſe, & naturam humanam in Divinæ perſonæ unionem vocaſſe.

Quod beneficium datum puſillo homini, ceu perditæ oviculæ; non autem nonaginta novem, id eſt, Angelis: Nec enim *Angelos aſſumpſit Deus; ſed ſemen Abrahæ.*

Impoſuit deinde in humeros oviculam, cùm ejus peccata in ſe quodammodo extulit, graviq́ue illorum ſarcina ſeſe oneravit; de qua ſic Apoſtolorum Princeps: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* 1. Pet c. 1. Noſtra, inquam, non verò Angelorum. Quæ cauſa?

Agitari ſolet à Theologis ea quæſtio, aliis quidem terminis; ſed qui idipſum ſonent: Cur ſcilicet unum hominem aſſumpſit Deus? Cur non Angelos? Cur illum redemerit: non autem hos?

Primùm caput hujuſce quæſtionis agitatum creditur in Cœlis, in Empyrei ſede, Deiq́ue foro: conſet enim Rupertus, cùm omnes Angeli ſui adhuc eſſent, ac Dei; cùm omnes in gratia, omnes in via; Divina revelatione propoſitum, aliquando fore ut Verbum hominem aſſumeret.

Hìc primùm ſtupor omnes invaſit, atque ex rei novitate admiratio; dein in duas veluti factiones diviſit: Una quæ Luciferi fuit, ægriùs ferre, indignari, fremere à Deo aſſumi naturam humanam, quæ ex parte lutea eſt, ac mortalis; ac non potiùs Angelicam, quæ tota ſpiritus eſt, atque immortalis. Certè ſi aliqua natura vocanda fuit in communionem Divinæ Perſonæ, ea Angelica eſſe debuit. Hæc mali Angeli, ſuperbi, atque inſolentes ſpiritus, qui inde defectionis ſuæ occaſionem ſumpſere: contra ſtetere boni Angeli, diviniſq́ue placitis ſeſe ſubmiſere; iis enim rationum inſtar omnium fuit una Dei voluntas, cui acquieſcendum.

Et hæc de Angelorum inter ſe diſſenſione, lite, & pugna judiciorum, ac voluntatum in ipſa Empyrei ſede, à qua deſcendo ad aliud caput quæſtionis; Cur ſcilicet Deus malos Angelos non redemerit? Cur non quæſierit oves illas nonaginta novem, quæ à ſe, & Paſtore ſummo abierant quàm longiſſimè? Dum huic quæſtioni fiet ſatis, fiet etiam alteri.

Receſſerat à Deo ſuo hinc Angelus, purus ille ſpiritus, & cœleſtis genius; receſſerat inde puſillus homo, lutea progenies, pulvis, ac cinis.

Hominem ſequitur, aſſequitur, in humeros extollit, & in ovile reportat Deus. Angelum nec ſequitur, nec tollit in humeros, nec reddit ovili ſuo; ſed ſuo ſceleri, pœniſque patitur æternum ingemiſcere. Et hoc eſt prodigium altioris illius Providentiæ, quæ per miſerationem homini ſeſe inclinat; non autem Angelo. Quæ cauſa?

Pro ratione eſſe poteſt una Dei voluntas, quæ ſumma ratio eſt. Alias tamen huic addunt Theologi.

Prima Ratio. Prima, quòd genus humanum, quantum quantum eſt, periiſſet: non videtur autem conſentaneum Divinæ Providentiæ, ac bonitati, ut ſpeciem aliquam univerſam patiatur perire.

Probat illud Angelicus Doctor gradu facto per omnes ſpecies, omniáque rerum creatarum genera. Ex iis enim ne unum quidem hactenus penitùs periit: periere quidem individua quædam, alia atque alia; at ſpecies ipſa in ævum permanſit, jam inde à prima Univerſi molitione, permanebítque ad uſque extrema illius confinia. Quòd ſi ea Divinæ Providentiæ ratio, ea cura etiam in res ſpiritu, ſenſu, & animâ vacuas; quantò magis erga hominem invigilare debuit, nè penitùs occideret ille: at occidiſſet, niſi cœleſtis miſeratio cadentem excepiſſet, levaſſétque.

Secunda. Secunda ratio ſuccurrit, eſtq́ue ejuſmodi, quòd Angeli, ex pura, putáque malitia peccarint & quidem ſcelere (ut Theologi loquuntur) perſonali. At homo lapſus eſt ex aliqua naturæ conniventia, atque imbecillitate; & licèt in Adamo peccatum fuerit perſonale, in aliis originale fuit, ab uno transfuſum in poſteros omnes infœlici ſanè propagine; ſic enim ut ait D. Auguſtinus: *Damnati hi prius, quàm nati.* Et hinc divina, ſummáque bonitas homini veniam dedit, non Angelo.

Tertia. Tertia huic accedit ratio, eáque petita ex Angeli genio; qui is eſſe dicitur, ut ſi ſemel ſe flectat in malum, illi adeò tenaciter adhæret, ut via, ac ne vix quidem ab illo dimoveri poſſit. Secus eſt in homine; etſi enim hic in bono minùs conſtans, at in malo minùs tenax, ab hoc quippe revocari ſe facilè patitur. Et hinc ad hominem ſeſe quodammodo abjecit divina miſeratio; non autem ad Angelum, quia illi mollis, ac cerea mens, flectiq́ue facilis; huic autem dura, ferrea, indomita.

Et hæ rationes ſuadent congruum fuiſſe ſummæ, atque infinitæ bonitati, ut homo lapſus erigeretur; non ita Angelus. Verùm ut ingenuè dicamus, quod res eſt, non evincunt debuiſſe fieri quod potuit, ac decuit, ideóque omnis humana ratio, omniúmque cauſarum momenta, ad unum illud revocari eſt neceſſe, ut pronuntiemus Deo Opt. Max. ita viſum, ita placitum, nec quæri, nec haberi debere rationem aliam præter nutum Divinæ voluntatis. In Deo ſit pro ratione voluntas; quæ cùm abjecto homini ſeſe inclinaverit, habet in ea, quod ſuſpiciat, amétque æternos in annos, habet etiam quod imitetur, ſi fortè ex ratione officii ſui ſit animarum Paſtor; tum oves errantes quærat pede ſollicito Paſtoris ſummi vel exemplo, vel etiam præcepto.

Errabat olim David, atque à Deo ſuo, à ſeipſo, ab æquitate longiùs abierat; quæſivit illum Deus, emiſitq́ue Prophetam Nathan, qui palantem oviculam in viam revocaret; quam Dei benignè conniventis charitatem dum ambit David, exclamat: *Erravi ſicut ovis, quæ periit, quære ſervum tuum.* Pſal. 118.

Errabat Saulus, & inſtar lupi rapacis inſequebatur novellum gregem; errantem quoque inſequitur Chriſtus, aſſequitur, ducitq́ue in ovile. Quod Paſtoris ſui beneficium dum agnoſcit, non ſine amoris æſtu, ingeminat illud: *Comprehenſus ſum à Chriſto* Ad Phil c. 3. JESU; quaſi diceret, fugiebam ego infœlix, vaga, perditáque ovicula, & à ſummo animarum Paſtore comprehenſus ſum ne abirem longiùs. Nimirum hæc cura fuit, hic amor Chriſti JESU, quem ut imitarentur ſacri Paſtores, ac Sacerdotes, notat Tertullianus jam inde ab Eccleſia naſcente receptum fuiſſe morem illum, ut in calice effingeretur figura Paſtoris ovem humeris geſtantis, ut hac tacitè moneretur Sacerdos, qui Deo litabat, ovem & ipſe in humeros efferre, hoc eſt animas ſibi concreditas in ovile Chriſti reducere, deferréque ſi fortè aberrarint.

Eodémque vocari poteſt, quod doctè animadvertit Iſidorus Peluſiota, Sacerdoti veſtem fuiſſe lineam, & laneam; interior quidem linea, index puritatis, ac caſtimoniæ; exterior autem lanea ad inſtar pallii, quod humeros tegebat; ut eo ovis vellere, atque exuviis admoneretur humeris ſuis validiſque lacertis ovem perditam eò referre, unde exceſſerat.

Et huc quoque traduci poteſt illud, quòd Canonici in ſuo habitu, vel humeros onerent, vel ornent ſacris pellibus; imò & brachium iis tegant: ut doceantur, & humeros, & lacertos, & brachium, hoc eſt omne corporis, & animi robur impendere; ut oviola perdita ſuo ovili reſtituatur.

Ita impendit cæteros inter B. Franciscus Borgia ex Duce Gandiæ III. Societatis Jesu Generalis. Orationi vacabat is in secreto cubiculi, & hoc coram pio Crucifixi simulacro, cùm ecce ab hoc auditæ sunt istæ ad illum voces. Vade Francisce ad moribundum (is erat nobilis primæ notæ, quem etiam de nomine signabat Christus) vade, inquit, & illum mone, urge, obsecra, ut illicò confessione animum expiet; est quippe brevi moriendum, ego tibi comes ero, meque etiam ægroto sistam in assumpta Infirmarii, & Medici veste; hanc enim induam ad illum seu amoris, seu misericordiæ scenam; in qua & ipse partes meas agam, hortabórque ut confessione salutari peccata diluat. Ivit illicò Franciscus, monuit, urgit, obsecravit, & per quidquid sanctum erat obtestatus est, ut benè monenti pareret: Opportunis Francisci monitionibus, suas adjecit & ipse Christus, supremus animarum medicus: sed surdo cecinit & hic, & ille. Fixum, firmúmque moribundo non parere, non confiteri. Abit Franciscus, & ex oculis abit etiam Christus. Ut cubiculo suo redditus Franciscus, adoratorium suum, & Crucifixi pedes sese abjecit; & pro moribundo, pervicaci quidem illo, atque obstinato, Christum rogare, atque obtestari cœpit: tum iterum et articulata voce hæc è simulacro Crucis audita verba. Vade, & me tecum defer, & rursus ægrum mone, ut resipiscat: ego probè monenti adero è Cruce, ceu amoris spectaculo. Paruit Franciscus. & rursus sic ad moribundum: Per illum quem vides è Cruce pendulum, per illius vulnera, per lacrymas, per sudores, per ipsam denique mortem oro ut tandem sapias, & confessionis lavacro animam mundes, & cœlo mundatam pares. Sed & hæc incassum omnia: adeò obduratus in malo animus. Quid deinde? Mirum dictu, visuque! Ipsum Crucis simulacrum, veluti sudare, & per manus, pedésque, pérque latus, & vulnera copiosum sanguinem effundere. Tum hic Franciscus, per sudores illos, perque sanguinem illum obtestari, ut tandem optima suadenti seu sibi, seu etiam Christo manus daret. Sed & hæc frustra. Tum ipse Christus ægrum de Cruce alloqui, & commendare quanti stetisset illi anima: quidque pro ea passus esset: sed cum & hoc frustra: ipsum Crucis simulacrum visum est à Cruce brachium dextrum revellere, atque è latere haustum sanguinem in faciem ægri conjicere, adjiciens & hæc verborum fulmina: Hic sanguis, qui tibi pro salute esse potuit, erit pro condemnatione. Et verò etiam fuit: hic quippe pejerans, & blasphemans spiritum erebo dedit, & malo dæmoni.

Novembr. qui ex actis pro Canonizatione B. Borgiæ.

Et hæc quidem eò à me prolata, ut liquidò appareat etiamnum ad ovienlam perditam ire Christum, & è cœlis quodammodo delabi; ut & ipse eodem ire, eodem delabi discas.

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Gaudium majus erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente; quàm super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia.* vers. 7.

QVOMODO, ET VNDE GAVDIVM MAIVS?

Peccator inferis gaudium.



INTER eum qui à peccato surgit, & alium qui ubi surrexit rursum relabitur, hoc interest; quod ille Cœlis ipsis Deoque gaudio sit; hic autem stygis, & mali Dæmonis exultatio. Quod disertè advertit, explicuitque Tertullianus:

Lib. de pœnitent. c. 5.

In Dominum peccat, inquit, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renuntiasset; & hoc nomine illum Domino subjecisset: verum eundem regressu suo erigit, & exultationem ejus seipsum facit. Hæc ille, è quo nonnulla paulò fusiùs notare, huic loco erit opportunum.

Primùm Dei æmulum esse cacodæmonem, & quidem longè acerrimum.

Deinde Diabolo renuntiare eos omnes quos sceleris admissi tangit pœnitentia.

Tum denique Domino subjicere, & quasi sub pedibus ponere. Et hæc quàm optima sunt; at pessimum istud quod eundem dæmonem regressu suo ad peccatum erigat, & seipsum illius exultationem faciat; quod malum est multò gravissimum.

Ecquid enim infœlix animula? te enim hîc compello. Ecquid agis? quò laberis miserarum? quò devolveris insaniæ? à pœnitentia, in quam fœlici pede ieras, jacebat prostratus dæmon: ad scelera pristina redis, & illum erigis, imò illius ludus es, illius exultatio, & ludibrium. Ut contra dum à peccato surgis, & cœli, & Angelorum, imò & ipsius Dei gaudium es; quod probabit objecta recens à superis imago, quam ut à viro omni fide digno accepi, sic eadem reddo, iisdemque ferè verbis:

Pœnitens superis.

Cùm Perpiniani, locisque adjacentibus acerba sæviret fames, & inde etiam pestilens lues, aliáque irati Cœli flagella: indictæ primùm preces; deinde jejunia, aliaque opera pia opportuna placando Numini, quibus tamen cùm non annueret, tandem à Patribus Societatis per pagos, per oppida, per urbes instituta solemnis Missio: tenuit ea triginta omninò dies, quibus omnes de seriò ineunda pœnitentia moniti: huic Cœlum annuit, Angeli, Dei Mater, Deus ipse; ut ostendit viro in paucis religioso, exhibita species, ultima Missionis illius die, veluti pro laborum, & operæ benè impensæ coronide.

Ex litteris Perpiniano datis.

Anno 1650. 30. Novemb.

Cùm in regali parœcia, post habitam ab uno de Societate concionem, cantari cœptæ essent Litaniæ, visa Dei Mater Aræ principi insidere cœlesti luce circumfusa, & divina quadam Majestate veneranda. Hinc & inde S. Ignatius, & S. Xaverius, & longè, latéque diffusa Angelorum corona, qui liquidò testabantur eximium quoddam, & singulare gaudium, vel ex eo natum, quod potissimum octo ultimis Missionis illius diebus animæ quamplurimæ cœlesti gratiæ essent redditæ; & insuper aliæ in ea confirmatæ, unáque in sancto proposito Deo ter Opt. ter Max. in posterum serviendi zelo majore, ardentiorique charitate.

Angelis.

Hos inter æstus, & gaudia beati illi genii, & instrumenta pulsare musica, & voces, cantusque edere in laudem, cultúmque Divæ Matris; necnon & SS. Ignatii, & Xaverii, eo concentu & harmonia, quæ non homines tantùm; sed & animantia; sed & saxa, rupesque raperet. Sacræ porrò illius cantionis hoc erat argumentum.

Angelorum Reginæ.

Gaude, atque exulta Augusta Cœli, Angelorum Regina; gaude & tu ô Ignati; gaude & tu ô Xaveri. Hæc enim tua laus, tua gloria, ô suprema Paradisi Imperatrix. Et vestra quoque laus, vestra gloria, ô Ignati, ô Xaveri, qui Reginæ nostræ amore gaudetis, gaudeus & savore.

Sanctis.

O te Beatum Ignati, qui eos nactus es filios, qui tot animas è peccati vinculis infamíque servitute eripiunt, & laboribus his verè Apostolicis Cœlos implent, tot, tantisque animarum manipulis. Quæ porrò fœlicitas, quæ beatitas ex illa esse Societate; quæ adeò constanter, atque operosè hominum saluti, ac perfectioni incumbit, unde tantam in Deum gloriam, tantam in Sanctissimam ejus Matrem necesse est derivari.

O generosi Societatis illius Missionarii, ite læti, ite alacres, vel hac una spe læti: cùm vobis aderit ultima brevis ævi meta, cùm mors in oculis; aderunt & è cœlesti Curia tot Angeli, quot animas Cœlo, Deóque reddidistis. Aderunt & potenti præsidio vos munient, inducentque in possessionem gloriosæ Æternitatis.

Ipsi Deo.

Quoties enim vel unicam animam Deo per gratiam reconciliatis, toties & SS. TRINITATEM ineffabili gaudio afficitis, & Virginem Matrem maxima gloria, & universam Cœli Curiam inenarrabili lætitia cumulatis.

Et hinc Æternus Pater singulari cura, studióque vos protegit; & Deus Filius oculo aspicit, aspectúque benigniore; & ipse gloriosus S. Spiritus vos amore, ac charitate prosequitur planè singulari; & ipsa MARIA, Augusta nostrum omnium Regina, sub sua vos habet productione, velut eductos è materno suo sinu filios; velut alumnos suos, ac nutritios; velut illustriora suæ corunæ decora, atque ornamenta.

Quod autem ad nos attinet, qui Cœli sumus incolæ, & summi Numinis Angeli, & vobis imprimis amici sumus, & semper expediti, ut & adversus hostes tueamur, & omnia à capitibus vestris mala propulsemus.

O gloriose Ignati gaude, enimverò gaude, qui filios habes, quibus vel maximè favet cœlestis Pater, quos complectitur Dei Filius, quos impensiùs amat Spiritus Sanctus, & potentissima Cœli, nostrúmque omnium Regina.

Et tu gaude, ô gloriose noster Seraphim Xaveri, enimverò gaude, qui ad Divina illa animarum lucra & dux fuisti, & lumen ipse prætulisti. Tibi debetur illa laus, illa gloria, qui aliis ad sacras illas expeditiones exemplo illustriore præfuisti. Gaude ergo, gaude, magne Seraphim Xaveri, gaude.

MARIÆ verò sua gloria, quæ ad pios illos ausus & animos fecit, & consilia saniora suggessit.

Gloria quoque & Ignatio, ejusmodi Missionariorum Apostolicorum parenti.

Gloria & Xaverio fortissimorum istorum pugilum duci, atque antesignano.

Gloria MARIÆ, gloria Ignatio, gloria Xaverio; gloria, gloria, gloria, in æternum, in æternum.

Hæc inter plausus, & gaudia cœlestes genii; quorum aspectu, cantúque per mediam horam recreatus ille, de quo superiùs.

Ex quibus omnibus, id conficies, amice Lector, quàm verum illud primæ Veritatis oraculum: *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis.* Quod quia nonnullis & novum, & mirum videri poterit; ideò paucis, qui fiat illud, docebimus.

Rationes.

Duo hic proponit Magister optimus. Primò gaudium in Cœlis fore; si à scelere cui indormivit, atque insepultus est peccator, resurgat: deinde majus quàm de justo, qui firmo pede consistit in via virtutis.

I. Cur cœlo gaudium.

Quod attinet ad primum. Gaudium est in Cœli Regia, quia peccator ab ea quasi extorris, atque exul, ad eam redit, & Patriæ cœlesti redditur. Inferis jam jam erat addicendus, & mancipandus æterno carceri; à pœnitentia fit Cœli hæres, & futurus incola beatæ Sedis.

II. Cur Angelis?

Gaudium est Angelis, tum quia in homines illi propendent benigniore quodam affectu, à quo dum illis est bene, exultant omni gaudio: tum quia pœnitentia duce venit homo in aliquam communionem Angelicæ puritatis; tum denique quia sic parantur Cœlo bonæ mentes, quæ illatam quodammodo illi stragem, ac vastitatem à ruina rebellium Spirituum reparent, & sedes vacuas repleant: Hinc ut piè D. Bernardus: *Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum.*

Dom. 3 post Pent. Ser 4.

Has rationes simplici quidem, sed candido stylo notavit D. Bonaventura: *Gaudent*, inquit, *& lætantur superni cives de salute peccatoris hominis, propter rationem triplicem. Primò, propter benevolentiæ charitatis latitudinem. Secundò, propter Angelici casus restaurationem. Tertiò, propter præmii actualis augmentationem:* cuilibet enim *sua gloria crescit* ex multitudine beatorum. ideóque etiam suum gaudium; quod etiam est ipsi Deo ter Opt. ter Max. quia hominem agnoscit, & amat velut opus manuum suarum; velut expressam sui imaginem, & vivum, ac spirans in terris Divinitatis simulacrum. Et hinc gaudium.

III. Cur Deo?

At quomodo majus, quàm de justis nonaginta novem? Hic est nodus quæstionis, qui ex eo difficilior redditur, quòd justi novem supra nonaginta, uti numero, sic & dignitate, & justitia, & gratia excedant, adeóque ipsi Deo videantur esse debere & magis in amoribus, & magis in pretio, quàm pœnitens unus aliquis, qui etsi gratia donatus, ac justitiæ redditus sit; at tam hàc, quàm illâ cedit justis nonaginta novem. Et hæc ratio militare videtur contra illud Dei hominis placitum. Non militat tamen, sed cum hoc bellè conciliari potest.

Cur majus?

Dici enim debet primò majus esse gaudium de pœnitente, quia novum illud; at de justis & vetus, & perenne: nova autem & magis afficere videntur, & ferire vehementiùs, quàm antiqua, & perennia; subitum enim gaudium magis pulsat, vel sui novitate, vel inexpectata quadam dulcedine: & ita Angelis usu venire potest, imò & ipsi Deo, qui hic (ut aliàs in Parabolis) hominum ad morem, modúmque & sentire, & loqui solet. Itaque (ut cum Theologis loquar) majus est gaudium *actualiter*, ac *sensibiliter*. non autem *appretiativè*. Apud Deum enim majori sunt in pretio, & plus in amoris pondere, atque æstimatione justi nonaginta novem, quàm unicus dumtaxar pœnitens. Quamquam & de hoc majus esse possit subinde gaudium, quàm de illis; quia fieri potest, imò & fit quandoque ut pœnitentis unius major postmodum sit fervor, major æstus amoris, adeóque & amplior gratia, quàm justorum nonaginta novem, qui etsi justi sint, ac Sancti; hærent tamen in gradu modico justitiæ, ac Sanctitatis, cùm è contrario pœnitens assurgat quàm altissimè.

Et quomodo?

Ita ut D. Gregorii verbis utar: *Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia.*

Hic hom 34.

Quod ipsum declarat aliâ, atque aliâ similitudine; una petitur è duce, qui *plus eum militem diligit qui post fugam reversus hostem fortiter premit, sternit, vincit: quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit.*

Altera similitudo ducitur ex agricola, qui *illam ampliùs terram amat, quæ post spinas, uberes fruges profert, quàm quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem produxit.*

Sacræ militiæ nomen dedisti, quisquis & nomine, & re enim ipsa Christianus es; at o nefas! ô malum!

fugisti

fugisti è prælio, terga vertisti, hosti cessisti, ô inglorie, & ignave miles! & hinc mali dæmonis ludus es, & jocus: at si redis in castra, si animosus in hostem vadis, si ferro premis, si agis in fugam, si fodicas, si cædis, si sternis, ac vincis; mihi crede, Deo tuo, Duci tuo magis es in amoribus, magis in pretio, quàm si semper in castris mansisses, si hæsisses ad sarcinas, nunquam martio pulvere sordidus, nunquam à re benè gesta nominatus.

Terra es, si nescis, ô homo! ô pœnitens animula! spinas primùm dedisti, & tribulos, & infœlix lolium; hoc est peccatum: at mihi crede, si expurgato conscientiæ sulo, evulsis spinis, eradicatóque lolio, in fruges, bonámque sementem abiisti, Deo tuo, Christo tuo, qui agricola est, gratior es, quàm esset illa, quæ nec unquam spinas tulit peccatorum, nec tamen etiam aliquam virtutum sementem.

Quod ipsum aliis similitudinibus expressit, ostenditque D. Ambrosius: *Ipse Sol post noctem*, inquit, *gratior, ipsa lux post tenebras splendidior, ipsa salus post ægritudinis tentamenta jucundior.* (Lib. de Elia & jejun. c. 9)

In alta peccati nocte tenebrisque latuisti, ô peccator, emergis inde ad gratiæ lucem, solémque, & inde hominum oculis, ipsique Deo & gratior es, & splendidior appares: ægritudine gravi, imò & lethali tentatus es, debilitatus, fœdéque prostratus; verùm, quæ cœlestis medici peritia (quæ divina ars fuit) ad sanitatem pristinam reduisti, & hinc & tibi ipsi, & superis es jucundior. Amant nimirum hi gratiæ lucem, diémque, amant perfectam, absolutámque suis numeris sanitatem; amant opera vitæ, hoc est, magnarum virtutum exempla; & quia hæc plerumque exhibere solent pœnitentes; hinc illud in cœlo gaudium, illa exultatio in Sede beatitatis.

Hæc omnia S. Pontifex sub oculos ponit allato exemplo Victorini. Hic enim (quæ malignioris naturæ conniventia fuit) in putidæ carnis vitium fœdè lapsus erat; at resipuit illicò, & mundo valere jusso, sese in Monasterium recepit, ibíque effrænes carnis appetitus edomare, jejuniis macerare, orationibus vincere, vigiliis prævenire, lacrymis eluere, ac mergere cœpit. Et verò sic eluit, mersitque, ut nulla vitæ anteactæ superesset macula, labes omninò nulla; sed purus, atque illibatus sanctimoniæ nitor, qui & superos caperet, & Deum ipsum oblectaret.

(Et hinc zelus animarum.) Et quia sic capi superos, Deúmque oblectari summi semper visum est momenti; hinc animæ longè sanctissimæ, in unum illud incubuerunt totæ, ut peccatores scelerum suorum cœno immersos ad purius vitæ genus salutari pœnitentiâ transferrent.

D. Theresia religiosum Ordinem instituit, non alio ferè fine, quàm ut sceleratos, quà prece, quà lacrymis, quà corporis afflictationibus gratiæ redderet, ac sanctitati.

S. Dominicus diebus omninò singulis tertiò corpusculum catenâ ferreâ diverberare, vix alio fine quàm ut peccatores ad pœnitentiam adduceret.

Alfonsus Rodriguez è Societate nostra, religiosus notæ sanctitatis, seipse ad tempus longissimum inferorum pœnis lubens addicere, ut vel unicam miselli hominis animulam peccatis eriperet, gratiæque restitueret: tanti nimirum faciebat illud gaudium, quod inde vel Angelis, vel maximè ipsi Deo accederet.

S. Serapion Sidonita primùm pagano cuipiam comico sese in mancipium vendidit, [illegible] etiam Manichæo Lacedemoniensi, non alia de cau[illegible] ut ille Paganismum; hic autem hæresim exueret: quod factum est, & factum benè, ingenti cœlitum gaudio Deique approbatione; cui certè tribui potest, ac debet ea peccatoris mutatio.

Augustus Cæsar cùm urbem Romam pro Majestate Imperii exornasset, gloriabatur marmoream se reliquisse eam urbem, quam lateritiam à majoribus accepisset; gloriabatur, inquam, non sine aliquo nævo vanitatis; at ex veritate gloriari potest summus Imperator Deus, quòd animam à suo vitio luteam, ac lateritiam, infusâ per pœnitentiam gratiâ, ac charitate, marmoream reddiderit, hoc est firmam, constantem, & in malum flecti nesciam. (Sueton. in Octav.)

Eras, ô infœlix anima! si nescis, eras Israëli similis, cùm olim gemeret in Ægypti servitute, occupabaris tota in operibus luti, ac lateris; eras inter scelerum sordes: at Dei tui manu educta es è vitiorum cœno, & instar duri marmoris erecta & decretis stabilita firmissimis.

Ita nimirum tuo beneficio factum est, ô Deus! tuâ gratiâ, imbréque cœlesti: *Pluviam* enim *voluntariam segregasti hæreditati tuæ, infirmata est: tu verò perfecisti eam*: quasi ab infirmitate firmitas nasceretur amabili Divinæ Providentiæ lege, quam dum attonitus spectat D. Augustinus: (Psal. 67. v. 10.)

Ipsa hæreditas, inquit, *non firmaretur, si non infirmaretur.* (Serm. 13 in Matth.)

Non firmaretur, inquam, eo robore cœlestis constantiæ, quam Dominus à pœnitentia infundere solet, nisi præcessisset aliqua peccati infirmitas, quæ majoris deinde firmitatis occasionem visa est dedisse.

Sic ut rectè notavit D. Gregorius Pontifex: *Etiam culpa fortium occasio virtutis fit.* Et hinc in Superum Regia gaudium, atque exultatio. (In cap. 42. Ezech.)

QUÆSTIO QUINTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quæ mulier habens drachmas decem, & si perdiderit unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum?* vers. 8.

QVÆ SIT MVLIER? QVÆ DRACHMA VNA? Quæ decem? Quæ domus? Quæ lucerna?

(Serm. 169.) Hanc ipsam quæstionem movet, & solvit D. Chrysologus: ex illo pauca tibi reddam, Amice Lector.

Ecce, inquit, postquam Pastor superius perditam centenarii gregis ovem perquisivit, invenit, & cœleste jam retulit ad ovile: mulier Evangelica producitur in figuram, quæ lumine accenso de decem drachmis unam drachmam perditam sic requirit, ut inventâ hac, de lucro suo, de suo gaudio causam pariat cœlestium gaudiorum.

(Quæ mulier?) At quæ illa mulier? est Ecclesia.

(Quæ lucerna?) Quæ lucerna? *est internus cordis obtutus, quem supernus*

per ... igne; ... jam ..., qui postquam se flammeo super Apostolos imbre diffudit, non minus frigida, quàm terra mortalium corda toto igne suo calore succendit.

Q[uæ] Domus? Quæ domus? Est Synagoga, *Judaica domus, domus tenebrosa, domus ignorantiæ, quam cæcam tenebris mulier Evangelica everrit Apostolicum post laborem, donec jam de decem drachmis, hoc est, Decalogo Legis drachmam perditam reperiret in Christo.*

QuæDrachma una? Sed quæ Drachma? *Christus*; nimirum ut elatè, & aure S. Præsul: *Christus est plenum Deitatis numisma; Christus est drachma nostra Redemptionis, & pretii; Christus est, qui [...] in Legis Decalogo, & latebat; Christus est, quem habebat Synagoga, & tenebris impugnantibus non videt.*

QuæDrachmæ decem? Cap. 1. [illegible] ies *drachmæ decem? Decem legis verba;* [illegible] *verbum unum perdiderat Synagoga:* illud dico *Verbum*, de quo Joannes: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

At quomodo perdiderat? sua scilicet infidelitate, duritie cordis, atque immanitate. *Dum enim Synagoga Deum non videt in Filio, amittit in Patre; & dum non credit in Christo, Christum lethaliter crucifigit.*

Sic nimirum in præceps ruit, *sic per gradus cadit in abyssum scelerum, qui de scalis labitur, & corruit præceptorum; nam si Dominum Deum credidisset unum, ad hoc ruinarum barathrum non venisset.*

Infœlix illa quidem: at fortunatæ gentium Ecclesiæ, quas ut amicas, ac vicinas evocavit illa mulier Evangelica; hujus *lucernam jam sequamur, & ambulantes in lumine Dominici vultus, Christi perveniamus ad drachmam.*

Quod si fortunato cursu perveniamus, *super hoc lætabitur & cælum, quia in uno peccatore pœnitentiam agente totius Christiani populi claruit plenitudo, & tota Deitatis forma Christi nostram refulsit in drachmam.* Quod Gaudium?

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Silvester Petra Sancta Taumasia Tom. 3. c. 12.

MULTA hic proponit sacer Historicus. Primùm confertam hominum turbam aviditate quadam audiendi irruisse in CHRISTUM. Deinde stetisse secus stagnum Genesareth, in quo & illud ad omnem posterorum memoriam extitit, extatque modo prodigium; videlicet signa pedum CHRISTI Domini duriore saxo ad littus impressa; veluti vestigium aliquod illius amoris piæque indulgentiæ, qua in discipulos ea nocte tota incassum laborantes ferri est visus: tum etiam in Petri navim ascendisse, ex eáque frequentem concionem docuisse: tum eduxisse navim in altum mare, & retia laxasse, nec infœliciter, tanta quippè vis piscium venit in retia, ut hæc propè frangerentur. Denique ob oculos ponit & Petri stuporem, & submissionem ad genua CHRISTI, & tam illius, quàm Iacobi, & Ioannis admirandam vocationem. Et hæc est series Evangelicæ Historiæ, quæ cùm plana sit, atque aperta, si sensum Litteralem spectes; ad Moralem, atque Allegoricum per pauculas quæstiones deflectemus; ubi tamen prius

EX D. THOMA.

Luc. 5. 3. AD illa Evangelistæ verba: *Docebat de navicula turbas*; ostendit per naviculam intelligi moraliter sanctitatem vitæ, in qua sedere debet qui alios docet.

Dom. 3. post Epiph. Ser. 3. Primò, *Ratione materiæ*; constat enim *Navis ex Ligno, in quo per Christum fit Institia. Ex ferro*, quo notatur *Fortitudo*; è *stuppa*, qua *Temperantia*: ut enim stuppa alligantur vulnera; sic vulnus concupiscentiæ carnalis Temperantiâ. *Ex pice*, qua signatur *Charitas*, velut *animarum nexus.*

Secundò, *Ratione formæ*, in qua videtur: 1. *Arctitudo principii*; hac notatur *dolor de peccatis præteritis*, qui animam in arctum cogit. 2. *Latitudo medii*; hac de *æternis gaudiis* spes signatur bona, quæ animam dilatat. 3 *Altitudo finis*, & hæc est *timor de æternis supplicin.* 4. *Strictitudo fundi*, & ista est *Humilitas* nata est fundo, id est, origine hominis, ac miseria. 5. *Amplitudo oris*, quæ etiam est in navi; & hæc in homine est *consideratio summæ Bonitatis*, quæ animam dilatat.

Tertiò, *Ratione finis*, qui in navi quadruplex. 1. Est *mercimonia portare*, id est, fructus bonorum operum, quæ cœlo dignæ merces. 2. *Belligerare*, id est, pugnare contra dæmones, ceu piratas in hoc vitæ oceano. 3. *Pisces capere*, id est homines, Deo, cœlóque lucrari; tanquam *piscatores hominum.* Matth. 4.
4. *Trans mare ferre*, id est, de mundo ad Deum, de terra in cœlos efferre, quod consummatæ virtutis est, ac sanctitatis.

EX D. BONAVENTURA.

Dom 4. post Pent. Ser. 1. *Illi Navis Simonis est Ecclesia Simoni commissa; imò quadruplex navis:*

Videlicet Crux Triumphalis, Mens rationalis, Pœnitentia salutaris, Ecclesia universalis.

Navicula est Crux Christi, cujus beneficio ad littus patriæ venimus, inquit Glossa. *In hac navi Christus obdormivit moriendo.*

Navis altera est, *Mens*, & vita, de qua Jobus: Iob. c. 9. *Dies mei transierunt sicut naves poma portantes; Dies, & naves sunt mentes; poma sunt virtutes, & opera redolentia.*

In c. 3. Isai. Navis tertia est *Pœnitentia*, quæ D. Hieronymo est *secunda post naufragium tabula.*

Denique postrema *navis* est *Ecclesia*, quæ *facta est* Prov. 31. *quasi navis institoris*; ejus *gubernaculum* est *Fides; Spes anchora; velum Charitas; pisces sunt homines; rete Fidei conclusio.*

Serm. 2. *Hi capiuntur à Diabolo, à Deo, à proximo*: Et hoc tribus modis; *Retibus, Dentibus, Manibus.*

Retia, sunt malæ cogitationes: *Diabolus capit homines retibus malarum cogitationum; irretitur* enim *homo cogitationibus, capitur consensu.*

Dentes, sunt *malæ locutiones*, quibus homo alterius nomen, famámque carpit, ac lacerat, *sicut lupus, vel leo prædans; quid enim sunt detractiones, contentiones, blasphemiæ, perjuria, mendacia vel verba luxuriosa, nisi dentes Diaboli?* inquit Seraphicus Doctor.

Manus denique, sunt *malæ operationes*: *Qui viventes capiuntur manu diaboli ad culpam; ipsi morientes capientur manu Diaboli ad gehennam.*

Homo etiam *hominem capit tripliciter*: Primò laqueis; *Laquei, sunt lasciva mulieres, hæretici, mali consiliarii, iniqui socii, adulatores, omnes ad peccatum trahentes*: hi capiunt ad cædem, & mortem; alii verò ad vitam, & quidem æternam. Et hi, vel dentibus, & *verbo prædicationis*, vel manibus, & exemplo vitæ sanctioris.

Denique etiam *Dominus capit homines tripliciter:*

In inferno, per animam suam eò descendentem: Cæpisti captivitatem, inquiebat Isaias. Cap. 57.

In mundo, per gratiam attrahentem.

In judicio, per sententiam constringentem. Hæc S. Doctor.

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Ascendens in unam navim, quæ erat Simonis: dixit, Duc in altum.* Lucæ c. 5. v. 3. 4.

CUR IN PETRI NAVIM CONSCENDERIT IESUS? *Cur in altum educi jusserit? & quod illud?*



EGYPTII quondam inter sua symbola, illud habuere non inferioris notæ Solis effigiem pulchra radiorum luce circumfusam collocabant in navi, quæ adverso flumine raperetur remis, velísque incitata. Huic autem se substernere videbatur Crocodilus, & blando quodam famulatu, ingenii mitescente sævitia per undas deportare.

Hoc symbolo exhibere voluerunt Ægyptii suavem effusam, clarámque Divinæ providentiæ lucem, quæ hunc mundum regit, ut navim solet gubernator. Crocodilo autem, qui illi substernitur, ostendere omnia quantumvis effera, atque truculenta eidem Providentiæ sese submittere, atque famulari.

Petri Navis Ecclesia. Dicamus aliquid ampliùs ab Ægyptiis, navim Ecclesiam esse; solem verò Christum, qui illam regit inter undas, & tumultuantes fluctus, & ea quidem arte, ac fœlicitate, quam nec interturbare possit etiam ex inferis eductus Crocodilus, hoc est, malus dæmon: qui enim interturbaret? Si densam, aut ignorantiæ, aut erroris nubem effundit; eam illicò dissipat Sol Divinæ Sapientiæ, qui navi nostræ (hoc est Ecclesiæ insidet) si ventos excitet, ac fœdas tempestates, & has componit, sedátque Christus, qui ventis imperat, & mari; qui divinioris Sapientiæ lumina è Petri navicula, ceu Cœlo novo diffundit: è qua enim potiùs?

Erant eò loci, ac temporis, in eodem littore binæ naves, non sine amabili Dei Providentia, occultóque mysterio.

Ambros. Serm. 11. Earum enim una symbolum erat Synagogæ; altera Ecclesiæ. Hanc quæ Petri erat conscendit, ex eáque velut è pulpito docuit; illam non conscendit, nec ex illa ad populum dixit. Nimirum à Synagoga discedere venerat, & antiquam Legem abrogare: novámque instituere, ac propalare. Quod & fecit, Ex ea docet Christus. sed è Petri navicula, è qua SS. Patres luculentum pro Ecclesia, & Petri sede testimonium petunt. Ex hac enim docuit Magister optimus, ex eáque posteros omnes docere voluit per Vicarios suos; Petri scilicet, in eadem Ecclesiæ navi rectores, ac moderatores. Non autem ex alterius, aut Pelagii, aut Arii, aut Lutheri, aut Calvini, aut cujusquam similis farinæ homuncionis. Et hæc prima ratio cur è navicula Petri docuerit Christus. Alteram addit ille ipse, quo hìc utor D. Ambrosius.

Navim ascendit Christus, ut non tantùm è terra doctrinæ suæ, ac miserationum fluenta diffunderet, sed ex ipso quoque aquæ elemento.

In terra positus, per tactum languores corporum sanat: Serm. 11. *in mari constitutus per doctrinam vulnera curat animarum,* inquit Ambrosius. Et hinc ad Petrum ait, *Duc in altum.*

Paucula verba edita oraculo Incarnatæ Sapientiæ; Docet & Petrus. sed plena recondito, cœlestíque Mysterio, quod evolvam SS. Patrum sententiis, ceu manu meliore.

Duc ergo Petre, *duc in altum* annuente, imò jubente, maris, elementorúmque Domino; hoc comite, Et ducit in altum. imò duce, ac rectore, elabere in altum, hoc est, in profundum mysteriorum Dei.

Ita certè abiit Petrus, cùm latentem sub humanitate Divinitatem agnovit, & confessus est; cùm erupit in ea verba fidei plena: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Et hæc prima istorum verborum interpretatio, ut per

I. Mysteriorũ Fidei

ut per *altum* intelligantur profunda fidæi nostræ mysteria, ad quæ progressus Petrus, ejusque in eadem navi successores.

II. Cõversionis Universi

Altera est D. Augustini, quo interprete dum ait Christus: *Duc in altum*, idem est, ac si diceret, hactenus littora rasimus, hæsimus in stagno angustióre, in exiguis Judiceæ finibus; modò Petre *duc in altum*, elabere in extera maria, regiones alias, alios Orbes pete, & eos sacra Evangelii luce perfunde. Et hæc interpretatio favet Gentilium vocationi, & Orbis universi conversioni.

III. Perfectionis.

Alia, quam subjicio, ad unicum Petrum spectat, aut si vules etiam ad alios in eadem Sede, aut officio Apostolico successores, ad quos ita Christus; *Duc in altum*, hoc est, ad magnam aspira perfectionem, & favente cœlesti aura ascende, virtutesque assequere dignas Ecclesiæ Principatu, dignas Petri Sede, & Apostolica vocatione, ad quam Dei beneficio eductus es.

Lib. 3. de Virgin.

Ita Interpretes nonnulli, à quibus discedo, redeoque ad D. Ambrosium, à quo paululùm discessi. Hoc authore dum Petrus à Magistro audit: *Duc in altum*, & hoc etiam audit: duc in cor hominis, quod ex vero altum est, ac profundum, de quo istud Isaiæ.

IV. Cordis humani.

Pravum est cor hominis & inscrutabile. Septuaginta *profundum*. Hebraicè, *acob*, tortunsum, anfractuosum, quale solet esse vel ipsum mare, dum pugnantibus hinc, & inde ventis fluctus fluctui, unda undis alliditur, & seipsum quodammodo absorbet, eructatque Oceanus.

Quod altæ mari, hoc & cordi hominis; suos illud habet turbines, suos æstus patitur; imò & naufragia, nisi vel gubernatorem admittat, qui æstus aut temperet, aut frangat, aut anchorali fune religetur, ne rapiatur in adversum. Synesius Poëta Græcus eleganti emblemate exhibebat cor humanum; sed æstuans; sed etiam anchorali fune revinctum. Ne scilicet æstu gravinre, hoc est, passionibus insurgentibus abriperetur.

Quis ille funis si quæris, audies esse Dei legem; nutumque Divinæ voluntatis, quem sequi debet, & quo uno trahi, retrahique, si fortè efferveścat. Ita fiet ut velit nihil, nihil sequatur, aut fugiat, nisi quod Divinæ consonum erit voluntati.

Hoc fune, hoc vinculo cor suum illigarat Propheta Regius, qui hæc olim ad Deum suum:

Psal. 107. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.*

In quæ verba piè, ut assolet, commentatur D. Bernardus, notâtque geminari eam prompti animi vocem: *Paratum cor meum*, quia scilicet: *Paratum erat in mente; Paratum in executione; Paratum ad adversa; Paratum ad prospera; Paratum ad humilia; Paratum ad sublimia; Paratum tibi vacare; Paratum tibi ministrare; Paratum ad omnia quæcumque præcipis.*

Hæc de Davide Bernardus, hæc etiam de iis, qui omnes impetus animi, omnes cordis æstus, cogitationes omnes ac desideria vinculis Divinæ voluntatis, ceu fune anchorali illigarunt.

Quibus etsi cor sit altum mare, pacatum tamen est, ac tranquillum, & hoc quia cor est hominis, hoc est, qui rationem, eamque primam, ac summam sequitur, eáque se regi sinit, ac teneri. Ut proinde de illo verum quoque sit illud Davidis:

Psal. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.*

Ne mireris, amice Lector; nevè me damnes, si dixero quod in altum cor evadat Deus, imò in hoc quasi exalteiur. Vastum enim est, & mirum quantum capax cor hominis. de illo sic olim D. Macarius:

Cor vasculum quidem parvum, sed in quo reperiuntur omnia. Ibi Deus, ibi Angeli, ibi vita, ibi regnum, ibi cœlestes urbes, ibi thesauri gratiarum. *Hom. 43.* Ecce boni cordis vastitas, ecce capacitas propè immensa, ut quæ regna capiat, quæ cœlestes urbes, & orbes; imò quæ Deum ipsum toto etiam Universo capi, ac comprehendi nescium.

Alia planè, alia est perversi cordis vorago, de qua sic etiam S. Macarius: *Ibi præcipitia, ibi thesauri vitiorum, ibi turbines ventorum.*

Quot enim in corde passiones, tot veluti turbines ventorum inter se pugnantes; quot peccatorum illecebræ, occasiones, tot præcipitia; quot vitia, & immania scelera, tot ea erebo velut eruti thesauri, quibus venalis fit animus ille, quem Deus etiam Sanguine Filii sui emptum voluit. Sed nè longiùs.

V. Sæculi hujus.

Descendo ad aliam explicationem ejusdem loci: *Duc in altum.* D. Basilius credit intelligi mare, non fluidum illud, aqueúmque elementum; sed hoc sæculum, quod etiam mare dici potest, ac debet, ex quadam hujus, atque illius analogia; atque hac inprimis: quòd sicuti mare varium, inconstans, labile; sic & hoc sæculum, & omnia, quæ illo jactantur; habent enim illa suos æstus, fluxus, refluxúsque uti & mare.

Ne ad privatam cujusque sortem, ac fortunam delabar, exemplo erunt etiam ipsa Orbis Imperia, quæ alios, atque alios Dominos sunt passa.

Et quidem primò Assyrios, qui Imperii habenas diu tenuere; dimisere tandem sic volente cœlo, jubente Numine ab immanibus eorum flagitiis offenso: solebant enim cùm ad bellum procederent, & puellas, & pueros innoxias animulas Diis suis immolare. Hinc illæ Dei querelæ, & justa expostulatio:

Immolaverunt filios suos, & filias suas Dæmoniis. *Psal. 105.*

In justam tanti sceleris ultionem ab Assyriis translatum Imperium ad Chaldæos, qui non diu possedere; cùm enim & Diis suis sese inclinassent, & impio ausu Balthasar vasa sacra profanasset; Imperium ab eo defluait ad Persas, penes quos ubi aliquamdiu stetit; transiit ad Macedonas, & ab his ad Græcos; à Græcis denique ad Romanos, apud quos consistere non potuit, tum propter insolentes animos, tum propter insanam dominandi libidinem, & malas artes, ac dolos, quibus sese implicare solent ii, quos altius fortuna evexit. Adeò verum illud:

Regnum de gente in gentem transferri propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos. *Eccles. c. 10. v. 8.*

Ut ea scelerum monstra, ceu salsedinem à mari hujus sæculi detergeret Salvator optimus, eò loci, ac temporis dixisse potuit Petro: *Duc in altum*; age, elabere in mare mundi hujus, in eóque fluctus fœda, ac tempestates, hoc est insurgentes passiones edoma, ac frange, ceu tumultuantes Oceano ventos. Et firmam Spei tuæ anchoram jace in Dei voluntate, ac Providentia, cui quamdiu innitêris omnem sæculi hujus inconstantiam falles, ac declinabis, hærebisque firmus in ea, quæ tibi erit à Deo tuo protectione.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.* vers. 5.

QVÆ SIT ILLA NOX? ET QVÆ vis in CHRISTI *verbo?*

Quæ nox? Hic inquiri potest una, alteráve quæstio moribus efformandis accommoda. Et quidem primò quæ sit illa nox? deinde quæ vis in verbo, unicáque vocula Incarnati Verbi? denique quæ, quantáque in obedientia promptitudo, ac celeritas? Ubi naviculam in altum eduxit Petrus, sic ad eum, aliósque Dominus:

Laxate retia in capturam; cui illicò Simon: *Domine per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete.*

Hic quæri potest, cur è plurimis, qui tum aderant respondet Petrus? Dici potest ex eo, quòd ut amore 10 Magistrum facilè primus; sic & dignitate præcipuus; sic & in obedientia singularis.

Hanc tum temporis testatam voluit uti etiam Matth. c. 14. v. 28. aliàs, cùm ad Magistrum ait: *Domine si tu es, jube me ad te venire super aquas*. Non ait fluctuantium undarum compesce tumorem, timorem è mentibus discute, noctis, & animi tenebras dissipa; sed hoc unum *jube*.

Nimirum hæc imperanti Domino prærogativa est, ut quæ aliàs impervia, pervia fiant; quod dum probè nosset Petrus, ait, *jube*, quasi diceret & maris æstum, & tempestatis insolentiam, & vorticum insidias nihili duco, dum jubeas; te imperante plana fient, quæ erant aspera; possibilia, quæ impossibilia videbantur. Adeò verum illud D. Augustini: Serm. 19. in Matth. *Jubeat Deus ut possit homo, quod non potest homo.*

Nocte tota sudarat Petrus, desudarant & alii, retiáque jecerant in mare; sed ne unus in ea piscis venerat: quæ causa? an quia jacta in nocte, adulisque tenebris? an quia sine Domini nutu, ac voluntate? an ut miraculo daretur locus? an ob obedientiæ vis probaretur? Sunt qui hoc velint; sunt qui etiam illa. Certè D. Bernardus, qui more suo omnia transfert ad mores rectè formandos.

I. Nox voluptas propria. Noctem illam, in qua nulla in casses præda admittitur, credit esse noctem propriæ voluntatis; quam aliis, atque aliis nominibus, ceu stigmate notatam voluit; & quidem

Primùm noctis, in qua qui graditur, nescit ubi pedem figat; qui rete jacit, ubi jaciat non videt; qui laborat, cui laboret, ignorat; ideóque mirum non est si proventum aliquem non faciat. Et verò si taceret, periret illicò, etiam solo vitio, morsúque propriæ voluntatis; quæ D. Bernardo *Est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima*, quæ omnem soccum excedit, vigoremque deterit operum aliàs bonorum. Serm. 3. in Sept.

II. Nox peccati mortale. Sed & alia nox est, eáque lethalis peccati, qua qui mersus, etiam in cassum laborat, & si labore se frangat, quod ex S. Theologiæ placitis fiet manifestum. Ex his unum alterúmve produco.

Primum, gratiam in anima reponi veluti principium primum, universale, eminens omnium omninò actionum, quæ supra naturam sunt: habet enim se gratia ad reliquas virtutes ut anima ad suas potentias. Secundum, gratiâ sepositâ, atque extinctâ, etiam extingui, ac perire Charitatem, aliásque virtutes, quæ cum illa nexum habent, ac necessitudinem. Tertium, absente gratia, neque Fidem, neque Spem, si superstit (ut in Christianis plerumque accidere solet) exire posse in actum, qui cœlo valeat emendo, hoc est, qui de condigno sit meritorius. Quartum, per omne lethale peccatum, quodcumque demum illud sit, privari hominem gratiâ, adeóque principio benè, & condignè de Deo merendi. Ex quo consequens est illud, quod passim usurpare solent Theologi, culpam mortalem constituere hominem in eo statu, in quo mereri non possit; Quod ut solet nervosè explicat Gentium Apostolus; sic enim ad Corinthios:

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 1. Cor. 13. v. 1.

Quasi diceret Gentium Doctor, da mihi unum aliquem qui Angelorum linguâ, hoc est, vel maximè diserta, nervosa, atque ad aures, animósque hominum accommoda loquatur; qui è pulpitis, ut olim Demosthenes fulminet; qui è rostris ut deinde Tullius tonet, qui sacros eloquentiæ torrentes cathedrâ fundat, ut postea Chrysostomus; verbo dicam, da cœlestem, da Angelicam si voles orationem: Si huic desit Charitas, aures illa, autásque feriet inani sono, ut æs sonans, ut cymbalum tinniens. Sed age cedo & alterum cui ea sit Fides, ut solo nutu montes transferat, siccet maria, ventis imperet, noctis repagula convellat, cui superi, inferíque pareant, ipsáque quanta quanta est natura. Ecquis ille sine Charitate? quis tibi? quis Apostolo? *Nihil.*

Verùm agedum ab illis gratiis, quæ Theologis dicuntur gratis datæ, elabere ad opera cæteroquin ex se bona, ac Sancta; ad eleemosynas largiores, quibus vel ipsos Indiæ thesauros, gazásque regias in egenos effundas. Ecquid deinde tibi à pia illa, prodigáque liberalitate? sine Charitate *nihil.*

Sed abi longiùs, & mihi, Orbísque si voles Universo exhibe generosum pectus, qui ambiat agere, & pati fortia, qui caput ferro, corpus flammis det obvium, qui in cineres ire velit, etiam Cœli, Deíque causâ; si tamen & ille Charitate vacuus, *nihil* est, nihil agit, nihil molitur, nihil patitur dignum beatitate; & hoc tantùm quia laborat in nocte peccati: adeóque gravis, & cœlo inimica nox illa. Ut è contrario levis, amica, amœna gratiæ lux, quæ à Christo, ceu sole dimanat, ab eoque etiam verbulo diffunditur. Ut enim in prima Universi molitione dixit Deus: *Fiat lux, & facta est*: sic & Christus in ejusdem mundi restauratione.

Videt ille animulam laborantem, sudantem, anhelantemque improbè in atra peccati nocte, & quidem labore, sudore, anhelitúque inani, & illius, (ut olim Petri) misertus, ait: *Duc in altum*, ut quid enim littora radis? ut quid operam perdis densa in nocte? Mitte retia adultâ jam die; & tum in ea intrabit piscis copiosus. Ac ne dubia sit dictis Fides, aspice quid Petro? quid discipulis piscantibus tum usu venit. Explicant illi retia nocte tota, & quidem incassum, cùm sic ad eos Dominus: *Laxate retia vestra*

vestra in capturam; cui Simon: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Ac ne qua esset mora, laxavit illicò, & tam multus piscis implevit retia, ut ea vix caperent, vix sustinerent. Tanti interest cujus nutu, aut imperio rete jacias.

Obedientiæ promptitudo.

Et hinc descendo ad propositam initio quæstionem, quæ quantaque in obedientia promptitudo, atque alacritas?

Benè censuit, benè dixit olim in Ethicis Philosophus, consilia capienda esse *morosè*, hoc est, tardè, & lentè; sed executioni mandanda quàm citissimè, ac velocissimè. Consilia capere est imperantis, in quo non improbatur lentitudo quædam, & tarditas; at exequi est obedientis, in quo desideratur quædam exequendi velocitas.

In Petro.

Ea fuit in Petro, seu explicanda forent ad piscationem retia, seu pater, seu mundus, seu omnia deserenda. *Verè*, inquit D. Bernardus *Simon, verè obediens in auditu auris sine pacti conventione.* Si enim audit: *Laxate retia*; adjicit illicò: *In verbo tuo laxabo rete:* Si dicitur illi in aurem, *sequere me.* *Ecce*, inquit, *reliquimus omnia, & sequuti sumus te.*

In declam.

Matth. c. 19. v. 27.

Ita nimirum obedire docti sunt Apostoli, ita bonæ mentes; at non sic homines hujus ævi, non sic abjectæ in terras animæ, & cœlestium inanes: si enim hæ aut vocantur ad labores, aut à mundo avocantur, longis egent consiliorum ambagibus, magno, tardoque molimine. Et hoc quia non tam Christum audiunt, quàm *maledictam mundi sapientiam*; quæ sic ad illos interprete Bernardo:

In declam.

Noli, inquit, *præcipitanter agere, diu considera, diligentiùs intuere. Magnum est quod proponis, & opus habens multa deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat.*

Hæc sapientia mundi, terrena, maledicta, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum provocare.

Hæc ubi dixit S. Præsul, tum sic alloquitur adhuc salutis suæ amantem animulam.

In aliis.

Cùm à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris?

Certè ea præstolari, & summæ est dementiæ, & paris omninò periculi. Ecquid enim ut rursum utar melleâ, sed & acri D. Bernardi eloquentiâ: *Ab ore putei Gehennæ eripior, & inducias petam? abscondi ignem in sinu meo, & diu mihi deliberandum est an expergiscar? an excutiam? an abjiciam illum?* Enimverò si à corpore ad animum, à vita mortali, ad immortalem ducenda ratiocinatio, nemo diffitebitur majorem horum, quàm illorum habendam esse rationem: at si quis puteo gehennæ imminens eripiendus sit, eripi volet quàm citissimè: si ignis excutiendus, excutietur illicò, neque in hoc, aut illo consilium cujusquam, aut morà requiretur; cùm in aperto sit & gehennæ periculo subducendum caput, & ignem decutiendum, ne aut vestem, aut corpus, exurat. Quod corpori dederis, hoc & animo concede; & quidem quàm poteris velocissimè. Hoc enim exigit obedientiæ ratio, legesque devotæ superis animæ; quæ ab illa parendi celeritate modò componitur cum equo veloce, modò cum fulgure.

Obediens.

I. Comparatur equitatui.

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea, inquibat ad sponsam, animarum sponsus.

Cant. c. 1. v. 9.

Ex Pharaone Ægypti Rege equos longè velocissimos sibi comparat Rex Salomon, & his comparatur anima, utpotè, quæ equos illos, currúsque velocitate superet, ubi sessorem Deum admiserit. Hoc uno certè beata: Ut enim Origenes: *Beatæ sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curvaverunt ut suscipiant sessorem Verbum Dei.*

Hom. 1. in Cant.

II. Fulguri.

Ubi porrò susceperint admiranda feruntur celeritate, quæ etiam fulgura aut imitetur, aut vincat.

De his Jobus: *Mittes fulgura & ibunt, & revertentia dicent tibi, adsumus*: sic ibit, sic revertetur obediens, & Deo aut vocanti, aut jubenti dabit illam obedientiæ tesseram, *adsumus*, ad vocem tuam, imò & nutum paratissimi. C. 38. v. 35.

Obedientiæ exempla.

Sic ut antiqua stylo notem expeditus fuit magnus ille Gentium parens Abraham, qui ut bellè advertit D. Bernardus etiam *in mortem filii pia crudelitate festinavit.*

Serm. de grad. obed.

Abrahami.

Sic ad obediendum quàm promptissimè accinctus fuit Samuel, qui licèt altè sopitus, ad Dei vocem, & somnum excussit, & hæc reddidit: *Ecce ego vocasti enim me*; credidit ab Heli vocatum se, *& cucurrit, & dixit ei: Ecce ego.* Quid facturus si Dei sui vocem esse credidisset? certè non cucurrisset modò, sed propè volasset; corporis molem, aut vincente, aut sublevante studio parendi.

1 Reg. c. 3. v. 5.

Samuelis.

Ita currere, ita volare debet vir obediens etiam ad vocem, nutúmque superioris. Exemplo erunt illustres animæ D. Bernardus, & S. Francisca, ille in religioso pulvere, hæc etiam in sæculo, & conjugii vinculis implicita.

D. Bernardi.

D. Bernardo (dum fortè altior emineret in ipso orationis æstu) sese visendum dederat Salvator optimus; cujus aspectu, ac colloquiis mirum quantum recreari cœperat, & totus abire à seipso, atque in Jesum suum excedere, cœlestésque delitias prægustare. Sed ecce dum his fruitur, importunus ad aures appellit campanæ domesticæ sonus, atque ad everrendam domum cum aliis evocat.

Quid hîc ageret Bernardus? quò mentem, quò pedem flecteret? Hinc retinet Jesus, pascitque ac recreat quà luce oculorum, quà cœlesti voce, atque oraculis, quà Divina præsentia; inde suo tinnitu evocat campanula, seu sonora quædam superioris lingua. Evocat, inquam, & quidem ad abjectum, vile, sordidumque obsequii genus, ad everrendas sordes, purgandámque domum. An ideo deserendus Jesus? Enimverò deserendus, abeundúmque, quò obedientiæ vox evocarit. Et ita Jesum suum, amores suos, ac delitias deseruit Bernardus, & quidem sine mora: ubi porrò ab illo labore ad cellulam redit, Jesum suum eodem adhuc hærentem vestigio reperit, non sine ingenti animi, lætitiæque sensu, quo dum æstuat totus, etiam ab illo hæc audit summa amoris significatione. Bernarde fili mi, fecisti quàm optimè ubi à me abiisti: id ni fecisses, abiissem ipse, non facilè postea rediturus.

Ecce quantum in obedientia momenti, quantúmque intersit non secum ipse loqui, secum disputare, ac queri, tergiversarique, excutiendo studiosiùs ubi? quid? & quando parendum? Certè ubi à Christo suo, Deo suo excedendum fuit, ubi abeundum à Divino conspectu, colloquiis, usúque familiari, secum ipse colloqui, inquirere, excuteréque potuit Bernardus, idnè expediret, & cui seipse sistere debuisset? an campanulæ vocanti? an Christo, mira amoris conniventia apparenti? Nihil tamen horum in Bernardo auditum, aut visum: statim enim paruit, & hinc sibi novam apud superos, Christumque gratiam conciliavit.

Habes expeditam in religiosa quiete obedientiam; accipe etiam inter medios sæculi tumultus quàm promptissimam.

S. Franciscæ.

S. Francisca, pro ea, qua erat in Superos pietate, orandíque studio, cùm hoc occuparetur tota, sacrósque versiculos decurreret à marito evocata, eundem versum tertiò interrupit, nec absolvit. Placuit immortali Deo ea parendi alacritas, & miraculo etiam probata; nam ille ipse versus litteris aureis concinnè expressus apparuit, non sine amabili & illius, & aliorum stupore; quo dum occuparis ipse mi Lector, simul etiam animum occupa, & totum insigni obediendi studio iis concede, qui tibi Dei loco, viceque esse

esse videntur. Horum vocem audi, & nutum observans, ac promptus sequere; & si tibi ad aurem obstrepat, si roget quò pergas? dic agè; quò Deus vocat.

Solemne pronunciatum Gizerici Wandalorum Principis, etsi ab insolenti animo manarit. Collegerat ille ingentem exercitum, jam imposuerat in naves, quæ cum solutis anchoris, intentisque velis, ferrentur in altum, quæsivit à Gizerico gubernator, quò ire vellet? cui ille: *Quò jubet Deus.* Hoc fuit illius pronunciatum, & tale debet esse piorum propositum, qui se eò duci patiantur, quò Deus jusserit, & quò is, qui Dei loco: Sequantur illi si sapiant, Dei sui nutum, & potestatem imperantis, & quò evocarit ille, eò ferantur toto animi impete, expansisque velis.

Procop. l. 1. de bello Wand.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Annuerunt sociis ut venirent, & adjuvarent eos, & venerunt.* vers. 7.

QVI SINT ILLI SOCII? ET QVID EOS VRGERE DEBEAT, ut appellant quàm citissimè, & navim navi, manum manui jungant?

Socii sunt Viri Apostolici.



VENIAM dabis, amice Lector, si paululùm discedam à litterali sensu, & transeam ad mysticum, dicámque socios illos, qui vocantur in partem laboris ac prædæ, esse eos omnes, qui probante Numine piscium multitudinem, hoc est animarum, vel in retia cogunt, vel jam iis probè clausas trahunt in littus, portumque æternæ beatitatis. Hæc enim sunt officia Piscatorum, hoc est virorum Apostolicorum, qui animulas à Fide, Deoque suo longiùs errantes, ac vagas compellunt in retia, vel suscepta Fide: vel si eam susceperint ad salutaris pœnitentiæ fontes deducunt, ut sic tandem littori sistant, ac portui æternæ fœlicitatis.

Eorum officia.

Ad quæ Christianæ pietatis, vitæque Apostolicæ officia ut omnes horter, & quà possum impellam. Primùm sub oculos statuam immortalis animæ pulchritudinem: deinde illius pretium; tum etiam ipsum Christi votum: denique fructum ipsum, qui ex ipsius lucro ad nos redit, ac dimanat.

Et motiva.

I. *Animæ dignitas.*

Ad animæ dignitatem, ac decorem quod attinet, ea ducitur ex eo, quod imago Dei sit & speculum quoddam Divinitatis.

Si creationis nostræ intelligimus exordium, inquit S. Leo, *inveniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum ut imitator sui esset authoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo, Divinæ benignitatis forma resplendeat.*

Serm. 1. de Iejunio.

Ecce quis animæ decor, quæ majestas vel ab ipsa origine; à qua id habet, ut sit velut vivum, ac spirans Divinitatis simulacrum. Imò ut cum Apostolo stylum altiùs extollam, *Genus Dei*, in quo proinde aliquid Divinum inesse necesse sit.

Act. c. 17. v. 29.

Et hinc unum, alterúmve deduco ad formandos mores: & quidem, Primum, quæ, qualisve cuique nostrûm debeat esse vita; videlicet pura, sublimis, ac propè Divina; ut enim eleganter Eusebius Emissenus: *Nobilem vult esse vitam tuam qui tibi commisit imaginem suam.*

Hom. 2. de Symb.

Alterum, qui amoris æstus? quis impetus charitatis in animam, quæ ejus est decoris? quæ speciei tam amabilis? certè si pulchritudo amoris est illicium, ut in anima sit est necesse.

Testem habeo D. Catharinam Senensem, cui in excessu mentis objecta quondam animæ humanæ species, ac pulchritudo, qua capta, Patri qui sibi erat à confessionibus dicere solita, nullum esse aut tormenti, aut mortis genus, quod non subiret homo, si modò vel unius animulæ decorem oculis fidelibus usurpasset.

Et hic est stupor amabilis, hic amor stupendus quo capiuntur viri Apostolici, ut accurrant quàm citissimè, ut navim navi, manum manui jungant; ubi spes affulget aliqua trahendi immortales animas in retia Fidei, ac religionis; ubi educendi sunt vel è luto, cœnóque vitiorum, vel ex alto gurgite insolentium passionum, vel suaviter importandæ in littus beatitatis; tum enim nec operæ, nec labori, nec ipsi vitæ parcunt. Et rectè, immensum quippe, atque infinitum est animæ pretium, & tantum quantum Deus homo. II. *Animæ pretium.*

Petrus Gonzales è Dominicana familia, vir notæ Sanctitatis, ac doctrinæ, cùm fugientes à salute, Deóque animas quæreret, dum eas gratiæ, cœloque redderet; videbatur sibi sparsas olim à Christo Sanguinis guttas colligere, & venis illius, corporique sacro restituere; invento non minùs ingenioso quàm pio: cùm enim sanguineo illo rore, imò flumine, ac torrente emptæ sint hominum animæ; certè qui has colligit, & Sanguinem colligat est necesse. Et hoc pretium, hoc pondus animæ, quod religiosos viros in campum, in pulverem educit, quod per longos viarum anfractus, per maria, & timendos æstus importat in exteros orbes; utque leviùs importet, accedit vel ipsum Christi votum, quod totum in animarum salutem explicatur. III. *Christi votum.*

Argumento erit illud, quod olim Catharinæ de Rissi, Religiosæ Ordinis S. Dominici non sine amabili stupore exhibitum.

Habebat illa in cellula sua sacrum Christi è Cruce pendentis simulacrum, ad cujus pedes sese prosternere sæpiùs, orationes fundere, & affectus omnes suos effundere. Sed ô novum! ô mirum! ô inauditum prodigium! visum illud è cubiculo elabi medium per aëra, & virgini tum fortè ad cellam redeunti occurrere, & adjicere voces illas plenas amoris, & effusæ in genus humanum charitatis. Te rogo, ô dilecta mihi sponsa, & tuas ipsa, & filiarum tuarum preces impende, ut & me, & Patrem Æternum, tot ac tantis hominum sceleribus irritatum, & jam jam in ultionem propendentem, places; quod ut facias ter unà cum sacro Religiosarum Collegio Processiones institue. Hæc ubi vidit, audiitque Catharina, simulacro Christi è Cruce pendentis obviam processit, brachiis illud excepit, in cellam reportavit, ad illius pedes sese abjecit, & odore, quo cellula, toto eo die imbui cœpta, recreavit, supplicationésque pro salute sui generis instituit.

Ex P. Ioan. à S. Maria, l. de Ordin. S. Dominici.

Habes, amice Lector, eo loci, ac temporis datum Orbi prodigium charitatis, in quo legis, audisque Christi votum, quod unum est: Salus scilicet, & vita pereuntium animarum. Nec mirum, eò quippe venerat, ut viverent illæ, & æternùm quidem.

Joan. c. 10. v. 10. *Ego*, inquiebat olim, *veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et quia eo fine venit Salvator Optimus, hinc nihil illi magis est in votis, quàm ut vivant illæ; primùm vita gratiæ, deinde etiam gloriæ.

Quod Christo fuit olim votum in terris, quodque etiam modò est in Cœlis; hoc & tibi, benevole L. 6. c. 11. Lector, esse velim, altéque imprimi illud Lactantii: *Esse hominis, & fortis viri servare periturum.* Et hoc Serm. de S. Laur. D. Leonis: *Nemo bonus est, sibi soli bonus*; aliis etiam ut sit necesse: ideò quippè auctoris manu emissus in auram hanc mortalem; ut sibi primùm, dein etiam aliis prosit. In quo profectò præclarum justitiæ floreto reponit D. Ambrosius; sic enim aureâ fandi copiâ:

In Ps. 118. *Magnum sanè munus, & quadam forma justitiæ, mundo magis, quàm sibi nasci.*

Ita natus est Christus, & ita nasci debet quisquis à Christo dici volet, & esse Christianus; maximè verò si sacris imbutus, si ad Apostolicum vitæ genus evocatus: quisquis enim is est, annuente Cœlo, *Dei cooperator est in reductione animarum ad suum creatorem.* Ut disertè notavit D. Dionysius, quod officium augustum est, cœleste, divinum: utpote consonum illi, cujus gratia è sinu Patris elapsus in terras Dei Filius. Proficuum deinde etiam illi, qui sic Christo cooperatur, animásque reducit ad creatorem; quia ut pulchrè advertit D. Hieronymus: Epist. 13. *Aliorum salutem facit lucrum animæ suæ.* Et hoc est postremum, quod mihi subiorium hujus quæstionis IV. Fructus. proposui, & quod exemplo firmatum velim.

Abbati in extremis agenti fortè adfuit S. Bonifacius, viditque Dæmones facto veluti cuneo in ægrum irruere, moliri, tentaréque omnia, imò & exclamare: Noster, noster est hic Abbas, & hæc animula præda nil miserentis orci. Ad has voces, in- Baron. An. 716. conditósque clamores, & spectra tartarea, stupere, horrere, & fors etiam morienti malè metuere Sanctus Bonifacius; cùm ecce illicò & stuporem & horrorem, & metum excussit bonus Angelus, & custos Abbatis moribundi, quem comitabatur è Cœlis beatarum mentium turba, eáque valdè numerosa; justum dixisses Cœlitum exercitum: & verò justus erat; censebat enim octo animarum millia, quas S. Abbas quà precibus, quà piis officiis Cœlo invexerat; beneficio sanè singulari, cujus ne immemores viderentur beatitate jam donatæ mentes, eo consilio de Cœli regia in morientis cellulam delapsæ erant, ut Abbatis, ceu parentis optimi, ceu servatoris munificentissimi animam è corpore, ceu carcere, educerent in sinum Dei, & beatæ æternitatis, quam statim à morte adiit Abbas, vel ideò tantùm quòd insigni zelo alios ad eandem beatitatem deduxisset: tantùm interest qui te geras in animarum salute procuranda; qui pisces, hoc est, homines in Ecclesiæ, Christique retia cogas; qui bono communi studeas, & multorum beatitati, ut olim fecit D. Basilius, Orat. 20. *Quem ideò publici & communis boni procuratorem*, vocavit D. Gregorius Nazianzenus. Et meritò, Apostolico quippè more, modoque animi sinum dilatarat S. Præsul, omnesque in visceribus charitatis complectebatur, omniumque saluti sic incumbebat, ut suæ: & ita incumbere debet is, quem Deus ex instituto suo, sacráque vocatione fecerit piscatorem hominum.

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quod cùm videret Simon Petrus procidit ad genua IESV.* vers. 8.

CVR SOLVS PETRVS DICATVR hic procidisse ad genua IESU?

NEMINI dubium esse potest, quin omnes eò loci, ac temporis stupor invaserit; & ex hoc nata submissio, debitáque erga JESUM veneratio. Primùm enim viderant tota nocte incassùm jacta retia; senserant deinde ad Domini verbum, aspectúmque eam piscium vim in retia venisse, quæ non arti Piscatoriæ, non industriæ, ac labori, non naturæ ascribenda foret: sed miraculo, Christique imperantis potestati. Et hinc ut dixi primùm stupere omnes, dein amare, tum etiam venerari; & ut mihi verosimile fit, ad illius genua procidere. Cur igitur Scriptura unius Petri meminerit, si alii quoque ad eadem submissionis officia abjecti? vel certè si mavis, cur unus præ cæteris abjectus est Petrus? Cur unus ad JESU genua procidit? hic est nodus quæstionis, quem hic solvere est animus, simulque pauca ad mores efformandos derivare.

I. Ratio quia Legislator. Erat Petrus futurus aliquando Apostolorum caput, Ecclesiæ Princeps, ac veluti secundus à Christo Legislator novæ Religionis toto Orbe propagandæ: Religionis, inquam, cujus hoc esset primum omnino principium, debita submissio, insignísque humilitas, quam proindè exhibere debuit is, qui ad sacratioris Imperii principatum erat evehendus.

Lib. 1. de vita Mos. De Moyse dixit olim Philo: *Quia Legislator futurus erat, multò ante ipse Lex animata, rationalisque factus est per Dei Providentiam.*

Pulchrè *Lex animata*; ea quippè quæ tabulis insculpitur, aut ceris inscribitur, animâ est vacua, & sensu; at ea quæ in Moyse, erat animata; imò ipse Lex erat animata: ut quæ in illo priùs viveret, ac veluti spiraret; quàm aut in tabulas referretur, aut in populi aures, animósque.

Ita nimirum factum oportuit in Moyse; ita & in Petro, qui novæ, id est, Christianæ Legis alter à JESU Conditor, & promulgator; debuit ille in seipso eam exhibere, & quidem animatam opere, atque exemplo: ut dicere posset, quod deinde Christus: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Discite, inquam, non præeunte lingua, sed pede; hoc est, non verbo, sed exemplo. Hoc enim vel maximè requiritur in eo, qui aliis præscribere volet, atque præcipere.

Ad Timotheum sic olim Gentium Apostolus: 1. ad Timoth. cap. 4. v. 11. *Præcipe hæc, & doce cum omni imperio*, inquit D. Gregorius, *non dominationem potentiæ; sed authoritatem* Ibidem. *suade vitæ: cum imperio quippe docetur, quod priùs agitur, quàm dicatur.*

Et quia sic docere debuit Petrus, hinc primus, & fortè solus provolvitur ad genua JESU, ut submissionem priùs doceret exemplo, quàm verbo.

Et hæc prima ratio: accedit altera, quòd Petrus supra omnes sacratiorem obtenturus esset Princi- II. Ratio quia Princeps. patum, & hinc omnibus eminere debuit, quà demissione animi, quà in Christum religione, atque observan-

obſervantia, quà altioris vitæ exemplis.

Plut. in Apopht. Ut elegans, ita veriſſimum illud Cyri monitum: *Imperium nemini convenire, qui quibus imperat melior non ſit.*

Si profanus homo nulla veræ Fidei luce perfuſus id cenſuit, id dixit; & quidem de imperio ſæculari, quod jus non habet niſi in fortunas, & mortalia corpora: quid cenſendum, quid dicendum de Sacro in animas immortales dominatu? Certè quantum intereſt corpus inter, & animam; tantum neceſſe eſt intereſſe inter eum, qui in hanc, aut illud habet principatum.

Adeóque ſi in illo requiſita vitæ probitas, & excellentia quædam ſupra vulgus; in hoc multò quàm maximè.

III. Ratio quia Præſul. Et hinc mihi in manus, calamúmque venit tertia ratio ſecundæ affinis. Eccleſiæ univerſæ præeſſe debuit Petrus, ideóque ſubeſſe; ideóque dejici, quia attolli; ſubeſt autem, ac dejicitur cùm ad genua Chriſti devolvitur.

Nimirum habent illud præcelſæ mentes, & magno imperio natæ; quò magis aſcendunt annuente Numine; eò magis in ſeipſas deſcendunt, illuſtri ac generoſa demiſſione.

Exemplo erit Servator Optimus, quem & natura ipſa, & Patris Æterni decretum Orbi præfecerat univerſo. Quid ex hoc illo altius? Quid deinde ex humilitate demiſſius?

Hujus porrò celſitudinis, ac demiſſionis ſymbolum dedit Joannes, vel potiùs Joanni cœlum. Vidit ille, pinxítque Chriſtum duplici ſymbolo: *Apoc. c. 5.* Primum fuit Agni; alterum Leonis: vel ſi mavis Agni ſimul, ac Leonis; de quibus ita piè philoſophatur D. Bernardus:

Serm. 1. in die Paſcha. *Leonem Ioannes audierat, & Agnum vidit. Agnus occiſus eſt; Agnus accepit librum. Agnus aperuit, & apparuit Leo. Denique dignus eſt, aiunt Seniores, Agnus, qui occiſus eſt accipere fortitudinem; ut Agnus maneat, & Leo ſit.*

Hæc lacteâ, & ſuavi eloquentiâ D. Bernardus, ex quo attendi velim hæc pauca.

Agnus aperuit, ſcilicet librum, & arcana cœleſtia, in quæ penetravit inſigni ſui ipſius demiſſione, à qua deinde *apparuit Leo.* Illuſtri fortitudine, quam ſic induit, ut tamen & manſuetudinem, & humilitatem Agni non exuerit; Agnus enim manſit, & Leo fuit. In quo habent viri Principes quod ſtupeant, atque imitentur; ſtupeant ac vereantur fortitudinem; imitentur demiſſionem: ab illa ita præeſſe velint, ut ab hac ſubeſſe malint; nec tam ſupra alios ſint, quàm ſub aliis. Ob hoc certè dicuntur Principes; ac Præſules *Cardines terræ. Domini ſunt Cardines terræ*, *1. Reg. c. 2. verſ. 8.* inquiebat Anna. *Cardines*, inquam, *quia* ut doctè notat D. Gregorius, *Super eos Orbis ponitur, non ſub eis.* *In 1. Reg. cap. 2.*

Succollare debent Orbi, & tanto oneri pares humeros ſupponere; non ad pedes abjicere, non infra ſe ponere, quod præpoſterè faciunt mali Principes.

Laudata, & celebris apud Chilenſes populos conſuetudo, qua receptum eſt; ut primùm conveniant omnes Imperii candidati; tum ſingulis imponatur lignum magni ponderis, quod qui diutiùs valentibus humeris ſuſtinere potuerit, ille renuncietur Princeps: jure ſanè meritiſſimo; quia & Principis eſt, onus Imperii ferre, & illi ſubeſſe, qui præeſſe voluerit. *Lipſius in mon. Polit. l. c. 9.*

Tantorum pondera unuſquiſque ſuſtinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur: ſuſtinere, inquit D. Gregorius, quod non poteſt, niſi illis ipſis quibus imperat, aut ipſi ſi voles Imperio ſubſit; quod bellè expreſſit nobilis ille Centurio, qui ſic olim de ſeipſo & ingenuè, & verè: *Lib. 9 in Iob. c. 9.*

Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, & dico huic: Fac hoc, & facit. *Matth. c. 8. v. 9.*

Sub poteſtate, ait, quaſi ſub illa poſitus, non ſupra illam. Nimirum hoc facit animi demiſſio; ad infima eum dejicit, quem parta authoritas, ac principatus ad ſumma provexerit.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.



IDERAT Salvator optimus confluentes ad ſe turbas, confertamque concionem, quæ avidis auribus, animiſque exciperet DEI verbum; quod ut ſpargeret uberiùs, fuſiúsque, in montem aſcendit: ex eo, velut eminentiore pulpito dixit Orator Divinus. Et primùm quidem beatitudines expoſuit; quæ amabili ſpecie allicerent animos, raperéntque in amorem ſui: Deinde multa extulit, eáque quàm aptiſſima ad formandos Diſcipulorum mores; quòd ſcilicet, & ſal eſſent terræ, & mundi lux, & civitas in monte poſita, & lucerna, quæ domum univerſam ſuo lumine perfunderet: Tùm etiam oſtendit, quæ Scribarum eſſet, ac Phariſæorum juſtitia, quàm aberrans à vera, quàm fucata, & fallax: Tum quæ Chriſtianæ amicitiæ ac Charitatis leges, quæ non deforis ſolùm petendæ; ſed ab animo benè compoſito, iræ, & paſſionum ſuarum domino, qui nullum odiſſe velit, aut verbulo lædere, nedum facto: Denique pro coronide adjicit; ſi fortè quis (quæ humanæ mentis in malum eſt inclinatio) ad Altare propiùs accedens meminerit culpam à ſe irrogatam injuriam, abeat illicò è ſacris ædibus, & in fratrem pronis irruat amplexibus, redeátque qua licet in gratiam, tum verò ad ſacra DEO offerenda redeat ſecuriùs de propitio ſibi Numine. Et hæc eſt Evangelicæ hiſtoriæ ſeries: de qua pauca

EX D. THOMA.

INTERPRETE D. Thoma, ostendit hic Salvator: I. Quid fugere debeamus; triplex scilicet peccatum: 1. *Operis; Non occides.* 2. *Cordis; Qui irascitur fratri suo.* 3. *Oris; Qui dixerit fratri suo fatue.* *Matth. c. 5.*

II. Quid timere; videlicet *Judicium*, in quo etiam tria debemus formidare: 1. Est *Judicium*, in quo damnabuntur impii, sic expressum: *Reus erit judicio.* 2. *Concilium* Angelorum, & Sanctorum, in quo iidem impii examinabuntur, sic expressum: *Reus erit Concilio.* 3. *Ignem infernalem*, in quo ii ipsi impii æternùm cruciabuntur; exprimitur ille his verbis: *Reus erit gehennæ ignis.* Delabitur deinde S. Doctor ad Iræ vitium, quod hic damnat Magister Christus, & addit iram *tripliciter lædere naturam.* *Dom. 6. post Pent. Ser. 2.* *Serm. 3.*

Primò enim *Lædit rationem per obscurationem.*

Secundò, *Lædit memoriam per oblivionem.*

Tertiò, *Lædit voluntatem per malam affectionem*, quæ vitia, suâ experientiâ doctus, ita expressit David: *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Oculus est ratio, anima voluntas, venter memoria.* *Psal. 30.*

Hæc ubi dixit, descendit ad alios effectus iræ, quæ sese extendit ad triplex homicidium: 1. *Sui: Virum enim stultum interficit iracundia*, inquit Jobus. 2. *Animæ proximi*, quam odio, & rixis enecat: *Vir quippè iracundus provocat rixas.* 3. *Corporis proximi*, quem iracundus facilè è medio tollit. *Nihil enim ante illum est sanguis*, ut scitè advertit Ecclesiasticus; ita nimirum præceps est, ut illum effundat. *Cap. 4.* *Prov. c. 15.* *Cap. 8.*

Post hæc delabitur ad impendentem iræ, & irato pœnam expressam his verbis: *Reus erit Judicio*; In hoc, inquit, *tripliciter accusabitur*:

Primò, *A seipso.* & hoc etiam *tripliciter*: 1. *A conscientia testimonium illi reddente*, inquit Apostolus. 2. *A sua malitia: Arguet enim te, ô iracunde, malitia tua!* 3. *Ab interiori animi angustia: Tum plangent super se omnes tribus terræ*, inquit Joannes. *Rom. 2.* *Joan. 2.*

Secundò, *Ab omni creatura*, quæ eum judicabit, ac puniet tripliciter: Ejus *malitiam revelando. Revelabunt* enim *Cœli iniquitatem ejus*, ut rectè Jobus. 2. *Expugnando. Pugnabit* enim *Orbis terrarum contra insensatos*, ut verè Sapiens. 3. *Puniendo. Creatura* quippè *tibi factori deserviens exardescit in tormento adversus injustos*; ut notavit ille ipse Sapiens. *Cap. 20.* *Cap. 5.* *Cap. 16.*

Tertiò, *À Deo Judice*, qui eum *puniet tripliciter*: 1. *Arguendo. Venit* enim *Dominus cum Sanctis arguere impios.* 2. *Confundendo*: sic enim per Psalmistam: *Inimicos ejus induam confusione.* 3. *Sævissimè condemnando*, hoc verborum fulmine: *Ite maledicti in ignem æternum.* Vide qui iræ reus es, quid tibi in illo Judicio, & dum licet, cave. *Jud. 2.* *Psal. 131.* *Matth. 25.*

EX D. BONAVENTURA.

NOTAT primò irasci posse hominem *tripliciter, secundùm tria instrumenta corporis; scilicet Cordis, Oris, & Manus.* 1. *Nam irascitur aliquis fratri suo perverso judicio malignæ cogitationis in corde.* 2. *Duro verbo injuriosæ conviciationis in ore.* 3. *Pravo maleficio fraternæ læsionis in opere.* *Dom. 5. post Pent. Ser. 2.*

Secundò, In offerendo munere considerandum esse: 1. *Quid?* scilicet *tuum, non alienum*; & illud quidem *optimum.* Uti fecit *Abel*: non autem deteriora, ut *Cain*, qui *seipsum Diabolo, & viliores spicas obtulit Deo.* 2. *Cui?* nimirum *Deo.* 3. *Quantum?* scilicet à Domino accepisti, contra quod peccant multi, qui *plus ventri, quàm Deo offerunt.* 4. *Quomodo?* scilicet ex affectu magno; *Cor namque, & non substantiam pensat Deus, nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto offeratur.* 5. *Ubi*, nempe *ad Altare*; *sed heu multi hodie plus ad aleam, & similia offerunt, quàm ad Altare.* 6. *Quando?* *frequenter*, imò quotidie; maximè autem festivis diebus, quibus tamen: (ô dolor! ô pudor!) *Multi peccando plus offerunt Diabolo, quàm Deo.* *Serm. 2.*

Tertiò, Triplicem nobis esse fratrem, cui reconciliari debemus; videlicet *Christum, Angelum, Hominem. Christum*, inquam, *cui reconciliamur poenitendo; Angelum, cui reconciliamur acquiescendo; Hominem, cui reconciliamur indulgendo.* de quibus fusiùs S. Doctor; ego brevi compendio, ut erudito Lectori materiam suggeram, & argumentum, in quo latiùs sese diffundat. *Serm. 4.*

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORARIS.

Ad illa verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Matth. 5. v. 20.

PHARISÆI UNDE DICTI?



FUERUNT Judæis tres ordines, ac veluti classes hominum, qui Divinis obsequiis mancipati videbantur.

Primi fuerunt ii, qui tabernaculo, aut etiam templo servierunt: Et hi dicti sunt Sacerdotes, ac Levitæ.

Secundi fuerunt illi, qui ad sacræ Scripturæ custodiam, & interpretationem adhibiti, ut ad populum è pulpito dicerent, docerentque è Cathedra, quæ Divinæ legis essent: Isti vulgò appellati Pharisæi, Scribæ, Legisperiti. *Pharisæi.*

Postremi fuerunt isti, qui à vulgo remoti, qui vitæ purioris, ac sanctioris æmuli: Et hi vocati sunt Rechabitæ, Esseni, Nazaræi.

His & aliis omissis, de Pharisæis in præsentia est quæstio, unde sic appellati?

Duæ sunt ea de re Interpretum opiniones; Una censet Pharisæos dictos à verbo *Pharats*, hoc est,

dividere

I. Divisi. *dividere*, quod se à cæteris tanquam justos ab injustis dividerent.

Huic nomini consonat ille fastus Pharisæi, quem Cap. 18. v. 11. bellè sic expressit D. Lucas:

Duo homines ascenderant in Templum; Pharisæus unus, Publicanus alter: Pharisæus elato supercilio, gravi voce, insolenti mente, sic inquit:

Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, velut hic Publicanus. Ecce fastus, ecce effrænata superbia, qua se ab aliis, ac nominatim ob hoc Publicano dividit, ac separat. Et hoc quidem patet ex ipsa notione nominis malè ominati; de quo est

II. Interpretes. Altera opinio, quæ Pharisæi nomen trahit à verbo *Pharas*, id est interpretari; quod eis incumberet Scripturam sacram populo prælegere, atque explicare.

Ex hoc officio manavit illud Christi ad populum: Matth. c. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæcumque dixerint vobis servate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.*

L. 4. de Doct. Christ. c. 27. De hac Cathedra quæstionem movet D. Augustinus; cur jusserit Christus servare quæ dicerent, non quæ agerent Pharisæi? An non eadem hujus, atque illius ratio? An non dicere mala potuerint, qui facere etiam pessima potuerunt? Cur igitur jubet servare quæ dicerent? Hic est nodus difficultatis, quem expeditè solvit D. Augustinus.

Mosaicæ Cathedræ privilegium. Ait enim factum suavi, & mira Dei Providentia, ut è Cathedra Moysis non nisi bona, veráque jactarent Pharisæi; nec verò mala, falsáve ex ea dicere potuisse. Audiamus ipsum ut aliàs solet elatè, doctéque disserentem.

Illa Cathedra, inquit, *non eorum, sed Moysis cogebat eos bonum dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua, in vita sua; docere autem sua, Cathedra illos non permittebat.*

Hic siste, mi Lector, & oculo, mentéque nota hæc paucula.

Primùm, quòd ea *Cathedra*, non Pharisæorum; sed *Moysis*: & inde ab hoc religionis, & veritatis dabat oracula, nihilque ab illis vitii patiebatur.

Deinde *cogebat eos bona dicere*, utique etiam & vera; nam & verum bonum, & bonum verum.

Cogebat, inquam, non vim aliquam voluntati illorum inferendo: sed monendo suaviter, & efficaciter impellendo, eáque in mentem, linguámque inferendo, quæ proferrent quàm verissimè ad subjectæ concionis bonum. Ita nimirum amabilis Dei Providentia facit, ut non nisi bona loquantur etiam ii, qui mala faciunt. Cujus rationem subjicit ille ipse S. Præsul: quia Pharisæi è cathedra non docent sua, sed Dei; secus autem in vita, sua agunt, non Dei.

Quod ipsum disertis verbis confirmat libro contra Faustum; docet enim Providentiam Divinam L. 16. c. 29. ita incubuisse illi Cathedræ, ut non sit passa ex ea falsa dogmata unquam ventilari.

In cujus Cathedra, inquit, *etiam mali sedentes bona dicere cogebantur.* Et Epistola sexagesima sexta supra centesimam; de eadem Moysis Cathedra sic piè philosophatur, ut hoc astruat: *In qua coguntur etiam* Epist. 166. *mali bona dicere; neque enim sua sunt, quæ dicunt; sed Dei, qui in Cathedra unitatis Doctrinam posuit veritatis.*

Et hinc mihi in manus datur argumentum, quo Petri Cathedræ authoritas. acriter depugnem pro Cathedra Petri contra nostri temporis hæreticos: si enim Pharisæos, homines cæteroquin perditæ, ac prostitutæ vitæ; malum tamen, aut falsum efferre non permisit; permittétne è Petri Sede, Cathedráque veritatis, aut malum, aut falsum Dogma proferri? enimverò non permittet.

Stat enim, stabitque in ævum omne, inconcussa ea veritas, quam extulit ipse Salvator Optimus, & qua adpromisit fore, ut ne quidem inferorum portæ adversus eam Sedem aliquando prævalerent: at prævalerent omninò, si ex ea prodire posset, aut elabi falsum Dogma, si afflari Spiritu mendacii.

Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede; ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ; inquiebat olim Augustinus. Verùm ne longiùs: Hæc ex occasione, & quasi per transennam attigisse sit satis. Redeamus ad Pharisæos, vidimus quid nominis; attendamus qui rei sint, & quod genus hominum.

QUÆSTIO SECUNDA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad eadem verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum?*

QUOD GENUS HOMINUM PHARISÆI? Et quæ eorum vitia?

Vitia Pharisæorum. RIMUM vitium quo laborârunt Pharisæi, & malè apud Christum audierunt, hoc fuit: quod cùm optimè dicerent; viverent tamen quàm pessimè: ita scilicet doctrina à moribus dissentiebat.

Hinc illæ querelæ, hinc timendum *væ*, quod illis intentavit Christus, & quod excepit, expressitque Lucas:

Cap. 11. vers. 52. *Væ vobis Legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.*

I. Vita doctrinæ dissimilis. Divina Providentia, quæ rudiori, & ignaræ plebeculæ de Magistro prospicere solet, Pharisæis in manus dederat scientiæ clavem, qua reserarent arcana sapientiæ melioris adita, qua alios ducerent etiam in intima illius penetralia. Sed, ô malum! ô præpostetæ cogitationes! ô studia perversa! aliis ea aperuerunt Pharisæi; clauserunt autem sibi: alios docuerunt probè, seipsos improbè: & quod lingua ædificabat, destruebat manus; quia scilicet doctrina cum vita, moribúsque non conveniebat.

Et hæc prima fuit in Pharisæis labes, & macula, quæ etiam est hujus ætatis, in qua visuntur plurimi, quibus ut doctrina quàm optima; sic vita est quàm pessima.

Hos D. Chrysostomus ait esse similes Comœdis, Hom. 1. in Acta. aut Tragœdis. Vidisti quandoque in Scena Comœdum aliquem, aut Tragœdum: erumpit ille in Theatrum, Procerum coronâ septus, purpurâ illustris, Similes Comœdis. sceptro, & diademate clarus, eóque habitu Regem exhibet, ac mentitur: at peracta Scena Regem exuit, & is visitur, qui reipsa fuit vilis, abjectúsque homuncio; homo trium nummorum, homo nihili.

Sic in hujus vitæ Scena, sic omninò res agitur: plerosque enim videas, qui aut veste Sanctum mentitur, ac fingant, aut linguâ, aut voce æqui, rectique tenaces esse videantur: hos enim verbis suis exprimunt, jactant è pulpito, veluti Comœdi, aut

Tragœdi:

Tragœdi: at ubi vitam hanc mortalem, ceu vestem, posuerint; ubi peracta brevis ævi Scena, tum liquidò apparebit à virtute, à gratia, à Dei donis vacuos fuisse, & pauperes; imò quod ampliùs est onustos vitiis, infames, cœlo terrisque graves, quales & Pharisæi, quos scilicet vitâ referunt, etsi non nomine.

Illos D. Basilius bellè exprimebat hac similitudine:

Pictoribus.

Spectasti, inquiebat, in officina pictoris alias, atque alias imagines affabrè pictas, atque elaboratas; ludit enim in nuda tabellæ area pictoris manus, atque industria: colores diducit, vultus exprimit; & licèt turpissimus sit ipse, pulchellos tamen, & formosulos effingit.

In hac vita degimus tanquam in officina, in qua multis usu venit, quod pictoribus; speciosas virtutum imagines in aliis benè pingunt; in his insignem vitæ, morúmque castimoniam; in illis demissionem animi; in aliis ingens robur, & vim arduam in adversis, aliáque magnarum virtutum decora: at in seipsis turpissimas vitiorum imagines, ac monstra exprimunt, eáque exhibent etiam in omni vita.

Terminis.

Hos alia similitudine rectè depingit D. Augustinus: Ait enim hoc genus hominum simile esse terminis, sive statuis, quæ erigi solebant in biviis. Nimirum apud Antiquos id in more positum fuit, & benè. Ubi dubia occurrebat semita, ubi biceps, aut triceps via: attollebatur hominis statua, quæ digito monstraret quæ via tenenda, quæ declinanda, quæ Thebas duceret, quæ Athenas. Quod viarum termini, hoc mortalium plerique ritè docent, atque ostendunt, quæ virtutis via, quæ ad superos semita: at & hanc, & illam ineunt nunquam; sed eodem quasi immoti vestigio manent, nec unquam promovent, nisi fortè in pejus, barathrúmque vitiorum, ac perditionis.

Ethic. 3.

Aristoteles purioris Philosophiæ ocellus, in Ethicis suis statuit istud pronunciatum dignum cedro: *Meliùs est mori, quàm aliquid facere contra bonum virtutis.*

Statuit, inquam, & ceris melioribus in posteros emisit; at non expressit moribus, & vita; nec expressere alii, qui eadem principia è cathedra auditorum auribus commisêre. Nimirum etiam illi eam suo nomini maculam dedere, quam deinde Pharisæi, quam & alii consequentibus ætatibus longè plurimi, qui ut docuerint quàm bellissimè, vixerunt tamen longè turpissimè. In ejus farinæ hominem, verti potest illud Christi, ore regio, id est Davidico:

Ps. 49 v. 16.

Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

Nimirum oculus ille Divinæ, supremæque mentis non aspicit, non patitur justa judicia sua, & sanctas Testamenti leges ore tantùm vulgari; vult etiam opere, atque exemplo.

Et hoc, & illo vulgavit Regius Vates, qui hæc de seipso, & verè & piè: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

Pedibus, inquam, non oculis. Hoc est praxi, non nudæ speculationi.

Ut enim rectè notat D. Hieronymus: Sunt qui lucernam Divini Verbi circumferant manibus, id est, operibus suis, exemplóque vitæ sanctioris: Sunt alii, qui eandem lucernam mente, hoc est, doctâ intelligentiâ gestent; ii scilicet, qui de virtute benè sentientes, benè docti: Sunt etiam nonnulli, qui ore eam ostentent; qui scilicet de virtute & disertè loquuntur, & alios edocent: Sunt denique plerique, qui lucernam pedibus exportent, hoc est longè, latéque circumferant Dei verbum, & eo, ceu luce cœlesti, ceu calore Divino animos auditorum accendant; priùs tamen ipsi & illa luce perfusi, & illo æstu succensi. Atque ex his esse te velim, mi Lector.

II. *Cura solius hominis externi.*

Transeo ad aliud vitium, quod & in Pharisæis aculeata oratione notavit Christus; quod nimirum toti essent, ut mundum, pulchréque lotum esset corpus: Hinc si è foro redirent lavare manus (fortè ut sordes in eo contractas eluerent) si accumbendum mensæ, si incumbendum lectis, & his, & illis adhibere frequentes, importunásque lotiones; adeò mundities, nitórque corporis erat in primis curis.

Et hoc est, quod arguit, damnavitque Christus varias ob causas.

Prima quòd crederent immunditiam corporum, ciborum, vasorum elabi ad ipsum animum, eumque inficere, atque inquinare.

Altera ratio fuit ingens Pharisæorum superstitio, qua sibi persuadebant has lotiones, ac velut Baptismata, ad religionem, Divinúmque cultum pertinere; adeóque ea qui sprevisset, & ipsum Numen sprevisse videretur.

Postrema causa, eáque Princeps hæc fuit, quòd ita occuparentur in corporis cura, ac munditie, ut de animo parum, aut nihil cogitarent. Hinc illæ Christi querelæ: *Vos Pharisæi, quod deforis est mundatis; quod autem intus est, plenum est rapinâ, & iniquitate.* *Luc. 6. 11.*

An non plerique sunt, etiam hoc quo spiramus ævo, quibus impensior cura corporis, quàm animi: illius venustatem, cultúmque venantur, amántque studiosiùs, auro, gemmisque onerant; de mentis nitore, ac decore (qui in virtute positus est) vel exiguus, vel nullus labor.

Si agitur de bonis hujus ævi, ac fortunæ, si de aliquo beneficiolo; nec labori, nec viæ parcitur, ne Romanæ quidem: hinc antiquæ, & justæ religiosi viri querelæ: *Pro modica prabenda longa via curritur; pro vita æterna vix à multis pes a terra movetur.*

Si corpori malè sit, evocantur undique medici; quæruntur etiam extremo orbe remedia, aurum, gemmáque bibitur; & hoc tantùm ut putidæ carni benè sit, ut sua illi stet salus, atque incolumitas. Secus omninò fit animo, ubi à lethali noxa, ceu morbo, seu etiam morte laborat ac fatiscit, differuntur in dies, in menses, in annos remedia; etsi obvia sint, & cuique parabilia.

Certè is stupor vitium redolet Pharisaicum. At, inquiet unus aliquis, non omnis damnanda lotio, curáque munditiei. Fuit enim, fuit olim apud antiquiores Christianos recepta consuetudo, ut non nisi *manibus lotis, candidísq; induti vestimentis in Ecclesiam ingrederentur*; ut scitè notavit D. Chrisostomus. *In Matth. 52.*

Non abnuo: at ille ritus documento fuit, atque incitamento, ut similiter lota mente, hoc est innoxia, & pura ad sacras Aras procederent. Sic quippè ex illo more avito, & pio ratiocinatur, urgétque B. Laurentius Justinianus: *Absterge maculas interioris affectus, & lota anima facie, atque veste induta nuptiali securus ad Deum accede*; & sic curam habe nitoris unius corpusculi, ut magis tamen animæ. *De connubio verbi & animæ, c. 22.*

Dic enim amabo te, mi Lector, sit domi ancilla, sit & conjux; utrique malè sit, cui primùm consules? ancillæ, an conjugi? si illi, ex Pharisæis es; si huic, ex Christianis.

Clariùs rem explico: corpus est ancilla; anima conjux, vel si mavis Domina; huic si sapis, consule, huic stude: ni facis, in te cadet illud Christi fulmen: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum.*

Sed & alia labes fuit, quæ Pharisæos malè affecit: ea porrò fuit, quod quæ minima essent in lege, viderentur observare quàm arctissimè. Quæ autem majoris momenti censeri poterant, ac debuerant, ea præterire & contemnere. Hinc illæ cœlo minæ, illáque Christi fulmina.

Væ vobis Pharisæi qui decimatis mentham & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem Dei. *Luc. 6. 22.*

Duæ sunt virtutes, velut cardines bonæ mentis:

judicium

judicium & charitas. Judicium sive Justitia suadet cuique jus suum reddere, æqui boniq́ue tenacem esse, nihil per vim rapere, nihil malis artibus dolisve possidere. Itáque cum proximo agere quàm optimè.

Charitas autem in Deum effert, illi hominem jungit, facitq́ue ut perenni nexu ei adhærescat.

Hæc duo præcepta, quibus ceu cardinibus verti debet mortalium vita. Et hæc tamen in postremis reponere Pharisæi, & in minimis primas curas locare: decimas enim pendere in mentha, ruta, & olere, quæ inter plantas, ac fructus minima; benè tamen nientia, & conformia vano Scribarum, ac Pharisæorum ingenio: ut qui bonum nominis sui odorem, famam inter suos bonam affectarent, non solidæ virtutis studio, sed insulsæ vanitatis.

III. Ambitio. Et hinc aliâ quoque notati maculâ, alio vino malesanæ ambitionis, in quam illæ Christi minæ, & timendum *Væ*.

Væ vobis Pharisæi, qui diligitis primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro.

Est bonæ mentis, & humilis animæ titulos illos, altaq́ue nomina fugere, nec admittere nisi ubi charitas, aut necessitas exegerit.

Et ita video factitatum à Sanctis. D. Augustinus, quem dum nomino, lumen orbis, doctrinæ solem, prodigium virtutis ostendo, adeóque dignissimũ, qui primas cathedras occuparet, & sacratiora subsellia, & tamé ab iis seipse quàm potuit longissimè removit.

Testis erit ea, quam ad Valerium dedit Epistola; in qua de Infula, de cura, dignitatéque Episcopi sibi imposita sic sentit, & loquitur: *Vis mihi facta; merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.* Epist. 148.

Qui primis Ecclesiæ gubernaculis assidet, est summus Pontifex; qui secundis Episcopi: quos inter etsi merito suo assideret Augustinus, gubernaculúmque regeret quàm optimè; tamen (quæ animi demissio fuit) remum vix tenere se posse existimavit.

Et hic in illo sensus fuit: nec dispar in D. Anselmo, qui dum invitus ad culmen Episcopale trahitur, sic de illis, qui reluctantem rapiebant est questus.

Lib. 3. Ep. 7. *Quando me Episcopi, Abbates, aliíque Primates ad Ecclesiam trahentes contradicentem rapuerunt, dubium videri potuit: utrùm sanum insani; an insanum traherent sani: nisi quia illi canebant, & ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore & dolore pallebam.*

Ecce ut pallor ora, & stupor, dolórque animum invadit novelli Præsulis; & hoc tantùm, quia cogitat onus quod imponitur, & in ea cogitatione, & animam, & sensum propè amittit, atque ab astantibus aqua benedicta aspergitur. Sic enim in eadem epistola, & doloris, & timoris, & stuporis sensum aperit Anselmus; cui similes hæc ætas si haberet omnes, nulli omninò in illud dignitatis culmen evolarent. Verùm proh dolor! etiam hoc ævo sunt, qui amant primas cathedras in Synagogis. Adeò verum illud Tertulliani:

Ad primum locum certamen omne contendit: secundus solatium habet, victoriam non habet. L. ad Uxor. cap. 1.

Ita nimirùm ad primum locum imus omnes, ea ferè contentione, qua miles præfervidus ad victoriam; quasi primum locum occupasse, sit vicisse; & secundum, aut tertium tenere, sit esse victum.

Si porrò quæras unde is ardor? ea sitis atque honorum cupiditas? audies ex D. Cypriano: quia *ambitionis salsugo bibulam animam occupat.* Praf. de Card. oper.

Ut charta bibula humorem aqueum exsugit, atque imbibit: sic hominis animus ubi sese ambitioni commiserit etiam illius salsuginem exhaurit, neque percipit infœlix, quæ sub modico honoris felle sit amarities.

Ex hoc genere hominum fuerunt olim Pharisæi, qui præcipiti mente, præpropero pede in dignitates, & principes cathedras inclinabant. Atque ex hoc etiam sunt, qui insano ambitionis æstu ad Infulas aspirant, primásque in Ecclesia curas eas ex honore, non ex onere metientes, quos ita carpit Gilbertus Abbas:

Nimii prompti, & parum providi vires nostras minus pensantes, festinamus ingredi in labores Prælationis, in sollicitudinum molestias, & materiam lapsus, nec expectantes vel semel vocari, ultrò nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel prævenientes, vel arte procurantes. Serm. 29. in Cant.

Non sic sponsa, non sic mens excelsa, & Deo cara; si vocatur illa ad gloriæ culmen, ad coronas, ad eas non venit nisi iterum, iterúmque vocata.

Testes illæ sponsi voces: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Cant. c. 4. Quæ verba etsi de corona beatitatis intelligi putem; ea tamen etiam de sacratiori dignitatis culmine, ac corona accipi posse opinatur Gilbertus Abbas, indéque conficit ad Infulas, non esse eundum nisi quàm tardissimè, & quidem cœlo vocante.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad eadem verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plùsquam Scribarum & Pharisæorum?*

QUÆ SINT IUSTITIÆ LEGES? in quas peccarunt Pharisæi?

Justitia quid sit? JUSTITIA à Theologis quandoque latiùs sumitur, ut sit complexio virtutum omnium; quandoque pressiùs, ut sit una virtus singularis ab aliis omnibus, naturâ, officio, dignitatéque secreta. Hanc ita definit Ulpianus:

L. Justitia D. de Iure & Iustitia. *Justitia est constans, & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi.*

Eam Jurisperiti partiuntur in commutativam, distributivam, & legalem, & si pateris, etiam vindicativam.

Justitiæ species. Commutativa privatum cum privato sic nectit, ut suum huic, & illi jus cedat.

Distributiva Rempublicam spectat, & illius capita, à quibus sic dividuntur beneficentiæ fontes, ut non fluant in immeritos.

Legalis, civem cum Republica sic jungit, ut illius bonum procuret tanquam ejus pars, & membrum magni corporis.

Vindicativa animadvertit in delinquentes, & æquam sceleri pœnam infligit.

Et quia Servator Optimus dum meminit Justitiæ Pharisæorum, sic intelligi potest, ut tam Iustitiæ latè sumptæ meminerit; quàm illius, quæ pressiùs accipitur: ideò hic exponam tam hujus, quàm illius leges, contra quas peccarunt Pharisæi. Justitiæ Leges.

I. Lex. Justitiæ latiùs acceptæ pro quovis opere justo, hæc esto Lex. Seipsam spectet ipsa, seipsa contenta sit, nec aliorum oculos, aut famam, aut præmium quærat; sibi enim satis est ipsa. de illa sic D. Ambrosius:

L. 2. Offic. cap. 1. *Beata planè Iustitia, quæ non alienis æstimatur judiciis; sed domesticis percipitur sensibus, tanquam sui judex: neque enim populares aliquas opiniones pro mercede aliqua requirit, neque pro supplicio pavet.*

Meritò sanè *sui judex* est Justitia, & virtus omnis: sibi ipsa præmium decernens, imò præmium ipsa sibi. Ut enim pulchrè Seneca:

Epist. 113. *Doceat me quam sacra res sit justitia alienum bonum expectans, nihil ex se petens nisi usum sui. Non est quod spectes, quod sit justæ rei præmium, majus quam justum esse.*

Contra hanc Justitiæ legem deliquerunt Pharisæi, qui si fortè elaberentur in opus rectum, in actum alicujus virtutis; sibi inde nomen, famámque facere moliebantur, eam ore patulo jactabant etiam ad tubæ clangorem: hoc uno certè rei, quod non tam virtuti studerent, quàm famæ. *Qui enim* Suprà. *virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ*; inquit Seneca.

II. Lex. Altera lex Justitiæ est, ut qui eam tulit, aut docuit, ex illa quoque vivat ipse, & ad illius normam actiones omnes, facta, dictáve componat.

Extat ea de re hoc Theodosii monitum nulla unquam oblivione delendum.

L. digna vox C. de Const. Princip. *Digna vox Majestate regnantis, legibus alligatum se profiteri.*

Principibus, ac rerum Dominis imperat recta ratio, atque æquitas, qua duce, ac præceptrice eas sibi leges servandas esse censent; quas aliis imposuerint ipsi.

De Divina Providentia, de primo, ac summo Legislatore Deo id asseruit Seneca:

Lib. de Div. Provid. c. 5. *Ille ipse omnium conditor, ac rector scripsit quidem fata; sed sequitur: semper paret, qui semel jussit.*

Hæc ille, qui errat in eo, quod fatum statuat, Deúmque illud sequi velit: quàm verissimè tamen ad institutum meum verti potest illud in humanis; *semper parere, qui semel jussit.*

At non sic Pharisæi; multas illi leges condere, nullas servare; onera gravia aliis imponere, ipsi excutere, & ne digito levare. Et hinc etiam in hanc justitiæ Legem quàm gravissimè delinquere.

III. Lex. Sed & alia Justitiæ lex, & ratio æquitatis: Spectat illa commune bonum, non privata commoda.

B. Laurent. Iustin. *Vera Iustitia magis aliis, quàm sibi prodest, & utilitates suas negligit, communia emolumenta præponens*, inquit B. Laurentius Justinianus.

Quod effatum magni Præsulis consonum est ipsi naturæ, genioque Justitiæ: inter quam & alias virtutes hoc interest, quòd hæ uni quodammodo supposito suo studeant, uni illi serviant, ac consulant; at verò Justitia aliis potissimùm vacare videtur.

Prudentia dictat quid tibi quáque in re sequendum, quid fugiendum.

Temperantia libidinem, iram, tristitiam, aliósque animi motus temperat, ne rationis Leges excedant.

Fortitudo timorem expellit, & nimiam abjectæ mentis demissionem erigit, ac sustinet. Sicque à prudentia, temperantia, fortitudine uni tibi est benè; à Justitia autem aliis est quàm optimè. Neque enim teipsum, tuúmque bonum hæc attendit; sed aliorum cōmoda, facultates, utilitatem spectat, ac tuetur.

Ethic. l. 5. cap. 7. *Omnium virtutum sola Iustitia in bonum alienum dicitur: quia non ad suum commodum; sed ad aliorum omnia confert. Aliorum enim commodis, utilitatiq; servit, aut Principis, aut Reipublicæ*, inquiebat olim Philosophus.

Ab hac Iustitiæ lege recedunt quàm longissimè ii omnes, qui aut fortunas suas augere student, aut lucrum amant, ac venantur improbè; sive populo jus dicendum sit, sive dicendum è pulpito, & divinioris Sapientiæ placita evulganda.

Apud Thebanos Magistratuum statuæ formari solitæ sine manibus; Principum autem clausis oculis, ut vel in ipsa eorum specie legeres, quæ esse deberet veræ Iustitiæ ratio: ea scilicet, quæ nec manibus ad se dona raperet, propriis intenta commodis; nec oculis capi posset, & à communi utilitate dimoveri.

Si quos sic capi, sic dimoveri contigerit, audiant illud B. Etmundi; audax quidem, & liberum pronuntiatum, sed verum tamen: *Prendere*, & *pendere*, nonnisi unâ litterulâ discrepare. Henriquez l. 1 Ordin. Cist. D. 31. c. 6.

Nimirum suspendio proximus est, qui munera præter nefas accipit. Et cum una manu à clientibus suis dona Judex arripit, altera sibi laqueum texit, ac parat. Et hoc D. Etmundo judice. Sed ne minus istis, & secali ligno chartam ampliùs quàm par est oneremus; institutum prosequamur.

Quæ Magistratibus, ac Principibus Justitiæ lex imposita; eadem & Doctoribus, quibus ex officio incumbit subjectum populum è cathedra docere: Et hoc quidem studio boni communis, non privati.

Ad hoc potiù studium, & normam æquitatis alludere visum olim *Rabbini* nomen, quod populi Doctores, & controversiarum arbitros significavit. *Rabbi* enim Hebraice dicitur *multus*, à radice *ramam*, hoc est multiplicari; quòd Doctor, ac Fidei Magister quodammodo multiplicari, ac multus esse debeat, & hoc quidem ut multis ab illo benè sit.

Ab hac Justitiæ Lege defêcere Pharisæi, quos petit illud Christi fulmen, & horrendum *Væ*.

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum orationes longas orantes, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum Proselytum, & cum fuerit factus, facitis illum filium gehennæ duplo quàm vos. Matth. c. 23. v. 14. Vers. 15.

Duo hîc acriore stylo notat, pungitque Magister cæteroquin mitissimus.

Primùm, quòd excederent, exhauriréntque domos viduarum, exigentes immane pretium orationum suarum, quas effundebant non zelo Iustitiæ; sed insano ardore lucri.

Alterum quod ex eodem mali fonte manavit, fuit istud, quòd & terras peragrarent, & tranarent maria ut Iudaismo adderent animulam unam, non tam illius amore, non tam æstu propagandæ religionis, quàm sui nominis, ac fortunarum.

Et hinc illum Proselytum, jam additum religioni Judaicæ perdebant malo suo exemplo, faciebant gehennæ filium, quem gratiæ cœlestis, æternæque gloriæ hæredem facere debuissent.

Venio ad quartam Justitiæ Legem: Ea vetat personarum rationem haberi: Crœsus, Irúsve fluat, nihil interest; & hunc, & illum æquus animus aspicit. IV. Lex.

In hanc Legem turpiter impegêre Pharisæi, apud quos divites in gratia & amoribus; pauperes, abjectæque vitæ homunciones propè in odiis.

Hoc Pharisæorum vitium deducunt nonnulli ex ipsa nominis Ethymologia: dicti enim sunt à verbo *Pharats*, quod est dividere, ac separare; quòd ab aliis, hoc est à Publicanis, à pauperibus, à peccatoribus seipsi secernerent; Imò & alios quoque secerni vellent. Hinc objicere Discipulis Christi petulans illud:

Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?

Hæc illi jactare non sine injuria Servatoris, apud quem ea stata, firmáque Lex, ut divitem, ita & pauperem æqua mente, æquis oculis intueri, æquo affectu complecti.

Et hoc ex ipsa Justitiæ Lege, atque præscripto quod jam olim Antiquis ipsum Numen ostenderat; sic enim ad illos:

Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujusquam personam. Deuter. c. 1. vers. 17.

Majoribus nostris, oculus Justitiæ symbolum fuit, quod hæc cum illo apprimè consentiret.

Est

Est oculus speculum naturæ, quod res omnes sibi objectas exhibet, & spectantibus quasi sistit: verùm ut fideliter exhibeat, sistátque, certam requirit in objecto distantiam.

Si enim hoc removeri nimium contigerit, non videtur; & contra si nimis propinquum, non percipitur.

Quod oculo, hoc, & Justitiæ; in hac, ut in illo, æqua requiritur propositæ rei distantia: & quia hanc non servarant Pharisæi; hinc aberrare quàm turpissimè. Nimirum apud illos longiùs abesse pauperes, quàm ut videri possent, & pensari eorum merita: & è contrario divites ita oculo propinqui esse ut nec percipi possent eorum demerita. Et hinc immanis error etiam in amore, & prona benefaciendi voluntate. Nec mirum: *Ubi enim errat oculus, ibi errat affectus*, ut pulchrè D. Ambrosius.

QUÆSTIO QUARTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Dictum est Antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, qui irascitur fratri suo: reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* vers. 21. 22.

UTRUM LEX ANTIQUA PROHIBUERIT tantummodò actum externum?

ET UTRUM NOVA IRAM PROHIBEAT? Et quid illa sit ex natura, aut vitio?

DUo sibi proposuit Servator Optimus: Primum ostendere quantum interesset inter antiquam, & novam Legem. Alterum damnare voluit futiles, ac perversas Scribarum, ac Pharisæorum interpretationes, quas eo ipso refellit, quòd & Legem apertiùs, ac fusiùs explicet, & suppleat quæ illi deesse videbantur. Igitur ut ad rem propiùs accedamus: distinguit eò loci tres peccati gradus. (Tres Iræ gradus.)

I. Primus est ira, quæ sese intrinsecùs in animo continet, nec elabitur extrinsecùs.

II. Alter iram habet, quæ sese explicat, atque effundit per vocem *raca*, de qua variè sentiunt SS. Patres.

Sunt qui velint nihil omninò significare; sed tantùm exprimere iram animi motus, atque æstus.

D. Chrysostomus ait idem esse, atque *tu*, ut si quis proximum nihili ducens dicat: *Vade tu. Quid vis tu?* Quæ vox despectum sonat.

Theophilacto *raca* idem est, ac conspuendus, dignúsque, qui sputu petatur, tegatúrque; à radice *ros*, id est *sputum*.

Alii *raca* deducunt à Græca voce *ῥακός*, id est pannosus: itaque appellare *raca*, est appellare pauperculum, abjectum, hominem nihili.

D. Augustinus opinatur *raca* esse interjectionem spernentis, atque adversantis; & signum animi malevoli.

D. Hieronymus, qui vitam propè omnem in sacris litteris trivit, censet *raca* esse Hebræam, aut potiùs vocem deductam ab Hebræo, *ric*, id est inanem: itaque *raca* notabit, exprimétque hominem inanem, leviusculum, & cerebro vacuum.

Gregorius Michaëlis Minorita in Proœmio grammaticæ Syriacæ, addit quod *raca* idem sit ac *testudo*; quod animal Syris ita deforme habetur, ut ab illo abhorreant quàm maximè: inde hominem appellare testudinem pro gravi injuria reputatur.

Ecce ut in una vocula sudat pius Interpretum labor.

III. Postremus peccati gradus (de quo hic Christus) est ira, quæ sese aperit, ac prodit nomine pleno injuriis, ac calumniis, quæ fatuum sonant.

Hæc tria scelerum genera, revocat Christus ad tria Tribunalia. (Ad tria Tribunalia revocantur.)

Primum apud Hebræos dicebatur *Din Mammona*, id est, judicium de re pecuniaria; quod erat Triumvirum. I.

Eò vocabantur causæ minoris momenti, & eò quoque à Christo trahitur ira, quæ hactenùs animo sese continuit, ideóque minor culpa fuit.

Secundum appellabatur *Din Impsat*, hoc est, tribunal Judicii, erat illud Viginti unumvirum, & in eo agitabantur causæ capitales: v.g. homicidii, aliæque in quibus non jam de fortunis; sed de sanguine, ac vita agebatur. II.

Et eò trahit Christus iram, quæ se verbo acriore ostentat extrinsecùs. III.

Tertium Tribunal vocabatur *Sanedrim*, & continebat illud Judices duos supra septuaginta. In hoc tractabantur causæ longè gravissimæ: quæ scilicet Religionem, Deúmque spectabant; ut Hæresis, falsi Prophetæ, Idololatriæ, Apostasiæ. In illo Tribunali jus quoque ei dicitur, qui in vocem contumeliosam eruperit, fratremque suum fatuum appellarit.

Et hæc ad historiæ Evangelicæ Fidem, ac sensum attinent. Descendo ad paucas, quæ inde moveri possunt Quæstiones. Et quidem

Prima, an Lex antiqua tantùm prohibuerit peccatum, quod in opus externum iret? An non etiam illud, quod animo concipiebatur? An ira menti tantùm impressa prohibita non esset? Ita opinabantur Scribæ, ac Pharisæi, quibus favere videbatur vulgare illud pronuntiatum:

Lex vetus manum prohibebat, non animum.

Verùm ut dicamus, quod ex saniore Theologia dici potest, ac debet: cum ipsa naturæ Lex non modò opus ipsum malum inhibeat; verùm etiam ipsos æstus animi, atque insolentes impetus, necesse est, ut eosdem quoque vetuerit Lex antiqua, utpote conformis, ac consona Legi naturæ, quæ æterna est, atque inviolabilis.

Et hoc ad primam quæstionem sit satis, ea quippe in aperto est.

Quid sit Ira?

Venio ad alteram quam inuiò proposui: quid sit ira? & quæ damnanda? Ira spectari potest ex natura, ex vitio, ex virtute.

L. 2 de Morb. caus. c. 2.
Ex natura.

Ex natura, *Ira est fervor caloris circa cor*: Ita Galenus Medicorum Princeps; quo authore, iracundia est quidam ardor, & motus animosæ facultatis, in quo primùm accenduntur sanguis, ac spiritus circa cor; deinde effunduntur, ac totum corpus inflammant.

Ex vitio.

Ex vitio autem Ira alia est, atque alia: eam quippè SS. Patres variis nominibus, ceu coloribus, depingunt.

I.
Nebula.

Ira *Nebula* est, quæ menti lucem eripit, tenebras offundit, & parva ostendit ut grandia.

Vt per Nebulam corpora, ita res per iram apparent grandiores, inquiebat olim Plutarchus, & rectè: animus enim, mens & intelligentia iracundiâ, ceu nebulâ, offuscata etiam minimas injurias in maximis reponit, & ex pusillo culice facit immanem Elephantum. Et hinc voluntatem acuit, armatque in vindictam.

II.
Fumus.
Orat. de Ira.

Ira *Fumus* est: ut enim hic oculos malè afficit; sic & animum Ira, ut scitè notavit D. Nilus.

Tom 5. Serm. de Mansuet.
III.
Tonitru.

Ampliùs aliquid dico: *Ira quasi fulmen in anima*, inquit ore aureo Chrysostomus. Fulmen concipitur in nube exhalationibus ignitis gravidâ, quæ per circumstans frigus accensa latera nubis quatiunt, tonitru creant; tandemque eâ disruptâ in fulmen exiliunt, & oculos feriunt. Sic & ira primùm corde concipitur, & impatiens contineri erumpit in verborum fulmina, & injuriarum tonitrua.

IV.
Fluctus.
Orat. 4. de Ira.
V.
Fons turbidus.

Ira *Fluctus* est, ac veluti æstus concitati maris. *Aqua ventorum impetu commovetur*, & iratus animus suis cogitationibus quaquaversum agitatur; ut rectè B. Nilus, cujus opinione, & calculo etiam Ira *Fons est; sed turbidus*. Si fons relictus sibi, si quietus; limpidas volvit, atque eructat aquas; at si turbes, lutulentas, ac sordidas.

Iracundi mens fons est turbidus, sordidus & inutilis, inquit ille ipse S. Præsul; à quo transeo ad D. Basilium.

VI.
Torrens.

Huic Ira *Torrens* est: ut enim hic valido impetu è montibus illapsus in concava vallium, obvia quæque abripit, secúmque volvit; sic & Ira.

Hom. de Ira.

Quemadmodum torrentes ad curva loca decurrentes secum obvia quæque trahunt: sic & Irarum impetus violenti & instabiles omnia percurrunt, atque obruunt.

D. Basilio consonat D. Nilus, ad quem revocor; sic enim ait: *Vt torrens exundans, quidquid obvium habuerit devolvit: sic ira infervescens mentem secum trahit.*

Et hæ sunt iræ descriptiones à rebus inanimis petitæ: demus alias, quæ ducantur ab animatis, & eam vivis quasi coloribus exprimant.

VII.
Leo.

D. Chrysostomo Ira est *Leo* truculentus: ut enim hic animantium generi timendus, ut efferus ac cruentus: sic & Ira ubi rationis frænum excussit, jugúmque exuit vel maximè formidanda: lacerat quippe, laniátque quà dentibus, quà unguibus ut Leo.

VIII.
Vipera.

Eidem aureo Oratori, Ira *Vipera* est: ut enim hæc venena diffundit: sic & illa. At quæ, inquies, Iræ venena? Cogitationes atræ, odia, meditatæ cædes, incendia, ferrum, ignes; quos ut mente concipit Ira: sic & re etiam ipsa dispergit. Ideóque judice eodem Chrysostomo: *Satius est anguem, vel viperam in corde suo latere, quàm iram.*

Hom. 90. ad Pop.

IX.
Scorpio.
Lib. Hom. Hom. 32.

D. Augustino Ira *Scorpio* est, aut *Aspis*: imò tot Scorpiones, tot Aspides, quot insurgentes sine ratione iracundiæ motus. Hanc ubi Iræ notionem extulit S. Præsul; tum conversa ad populum oratione monet, instat, urget: ut sicuti domum (si fortè in eam irrepsissent Scorpiones, & Aspides) purgarent illicò: sic & animum à venenatis Iræ motibus illæsum servent: & si fortè insurgant, illos statim refrænent. *Frænate iram*, inquit, *quæ vos stimulat ad vindictam: Ira enim Scorpio est.* Serm. 95. de divers.

X.
Canis.
Hom de Ira.

D. Basilio Ira est veluti rabidus *canis*: sic enim de iracundia philosophatur S. Pater: *Rabie ut canes afficiuntur, pungunt ut Scorpii, mordent ut Serpentes.*

XI.
Bellua.

Isidoro Pelusiotæ *Ira Bellua* est, eáque indomita, atque impatiens fræni, nisi hoc valida vi potens injecerit manus. Utque injiciat hortatur S. Doctor:

L. 3. Ep. 134.

Oculum; inquit, & iracundiam velut injecto fræno coërce: ne ille ad adulterium; hæc ad cædem te velut porrectâ manu ducat. Ne porrò ad illud vitiorum Barathrum præcipiti cursu ducat, agè, illi frænum injice, habenas contrahe, & rege. Eo modo, quo effrænem, atque indomitum equum, quem si domes, & iram quoque domes est necesse. *Quid enim* (ut Senecæ verbis utar) *quid prodest equum regere, & cursum ejus fræno temperare, affectibus effrænatissimis abstrahi? Quid prodest multos vincere luctatione, ab iracundia vinci?* Enimverò nihil prodest, nisi ut apud Deum judicem reus sis magis; ut qui equum, qui belluam refrænes, ac domes; teipsum autem nec refrænes, nec domes. Epist. 88.

Et hæ iracundiæ notiones petitæ à belluis, quarum scilicet naturam, vitiúmque exprimit. Quas subjiciam, ducentur à peccati macula, ab immani peste, à pernicie æterna, quam animo importare solet.

XII.
Dæmon.
Chrysost. Serm. 46. de divers.

Ab hac dicitur Ira *Voluntarius Dæmon, insania spontanea, mentis defectio*; à quibus is, *qui irascitur Diaboli ludibrium est, Dæmonum officina, & nequitiæ illorum dignus minister.* Ecce quibus coloribus Iram, iratósque depingit D. Chrysostomus.

Dæmon est, non necessitate; sed voluntate in animum, ceu hospitium, inductus: si fortè quempiam mortalium tartareus ille genius invadit, atque occupet; infœlicem, atque misellum clamitamus: at infœlicior ille, quem superavit ira; utpote, quæ unà cum malo illo hospite gravissima importet mala: Et quidem primùm *insaniam*, eámque, non naturæ errantis, aut deficientis vitio; sed sponte accersitam: Deinde *defectionem mentis*, quæ ferè summum est malum, & à qua cætera mala. Si Sol Orbis oculus; & terræ vita, huic & illi penitùs occideret; propè omnia cum illo occidere esset necesse. Quod mundo Sol, id homini mens, & ratio: hæc ab iracundia cùm deficit, cætera ut deficiant oportet.

Lib. 1. de Gubern.
Iræ mali partus.

Deficiant, inquam, in omnia propè vitiorum genera, quæ teste D. Basilio, *Iræ* sunt *appendices*. *Ira* enim, ut disertè Salvianus; primùm, *Mater est odii*; deinde etiam dissidiorum; tum injuriarum, quæ fœdè jactantur. & proximi famam lacerant; tùm etiam cædium, ac homicidii, aliorúmque vitiorum, quæ ex Ira prodeunt tanquam ex malorum officina.

Horum omnium exemplum habes in Saule; Primùm enim Scriptura teste: *Iratus est Saul nimis*: deinde *post diem alteram invasit eum spiritus malus.* 1 Reg. c. 18. vers. 8.

Ecce ut Ira viam sternit, portámque aperit maligno Dæmoni; tum etiam insaniis odiis, imò & cædi Davidicæ: De hac & illis sic præclarè B. Petrus Damianus: *In Saulis cor ira præcessit, & mox nequitiæ spiritum introduxit, qui abreptitium suum in zelum vesani furoris accendit. fremebat enim in vasculo suo iracundiæ spiritus.* L. 4 Ep. 17.

Fremebat, inquam, in Saulis corde, velut in vasculo; è quo odia, calumnias, ferrum, hastas in Davidem innoxium emittebat. Adeò verum illud Divi Basilii.

Vitia omnia *Iræ appendices esse*. Et hoc verum in Ira, quæ rationem, aut excutit, aut præfocat; non autem in ea, quæ illam ducem sequitur.

Quæ Ira vocetur in Judicium.

Et hinc descendo ad ultimum caput propositæ iniuo quæstionis: quæ Ira hîc vocetur in judicium?

Stoici omnem Iram damnarunt, ut malam. Hoc à natura, & ratione alienum est: Ira quippe, ut & aliæ

aliæ humanæ passiones, bonæ esse possunt, saltem non malæ.

Est enim *Ira* quædam *perfecta*, consona rationi, æternæque Legi; ea scilicet, qua Dei, ac Justitiæ zelo commovemur, quáque sic vitia odio habemus, ut tamen homines amemus. Ad illam nos manu, vocéque duxit Propheta Regius. hâc quidem, dum ait: *Irascimini, & nolite peccare.* Illâ verò dum sic de seipso: *Perfecto odio oderam eos.*

Psal. 138.

Sed & alia quoque est Ira, quam D. Chrysostomus *intempestivam* appellat, & D. Augustinus *sine causa.* Et hæc peccatum est, quod à Christo vocatur in Judicium, & eâ qui tenetur, dicitur reus esse Judicio.

Hujus & illius meminit D. Augustinus: *Intuendum est*, inquit, *quid sit irasci fratri suo; quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur.*

Lib. 1. Retract. c. 19.

Ex illo D. Augustini pronuntiato habes, amice Lector, qui irasci possis, ac debeas; qui etiam nec debeas, nec possis sine alicujus culpæ nævo.

Ut hanc evites, author tibi sum; ut semper Iram regás ex rationis moderamine: ita regere Doctus olim summus Sacerdos, qui *Rationale* gerebat in pectore, ut hoc illi esset quasi *Rationis delubrum.* Est pectus sedes Iræ, ac cupiditatis; ne hæc, aut illa plus æquo effervescat, statue in eo rationem, qui *aurigæ in modum* insideat: ita insidere voluit Isidorus Pelusiota: ita Deus ipse qui rationem homini infudit, ut esset quod dux in acie, quod in Lycæo Didascalus, quod in orbe tenebricoso Sol, quod in corpore oculus, apertus scilicet, ac vigil; qui si is semper sit, ejicientur à te *odium, duritia, amaritudo; quæ venena impatientiæ* (hoc est Iræ) vocat Tertullianus.

L. 5. Ep. 10.

Lib. de Patient. c. 12.

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

Ad illa verba: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo.* vers. 23.

CUR RECONCILIATIO CUM FRATRE SACRIFICIO, aut oblationi debeat esse prævia?

Reconciliatio Sacrificio prævia.



RATIONES Divinæ illius præceptionis petendæ mihi erunt; tum ex ipso loco, in quem venit victimam oblaturus; tum ex ipsius orantis habitu; tum etiam ex oratione, quæ Sacrificium est labiorum; tum denique ex ipsa supremi Numinis præceptione, atque instituto, cui parere pusillos mortales est necesse.

Probatur I. ex loco orationis.

Ad primum quod attinet. Majores nostri, pacis ac concordiæ cultores eximii, sedulò cavebant ne ferrum, & arma in templum inferrentur, quòd ea crederent paci inprimis, ac concordiæ inimica.

Cujus moris amans, ac retinens Theodosius, potentissimus juxta, ac piissimus Imperator, si quando interiora templi subiret adita, & munera oblaturus sacras ad Aras accederet; & foris arma relinquebat, & diadema deponebat: hoc in signum reverentiæ; istud ad symbolum Pacis ac concordiæ. Juvat audire quid ipse de his, & illis.

Nos, inquit, *qui legitimis Imperii armis circumdamur, quósque sine armatis stipatoribus esse non convenit, Dei Templum ingressuri foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema Regiæ Majestatis insigne humiliter deponimus.* Hactenus Augustus Cæsar, qui primò Diadema posuit, quòd crederet coronato vertice se minùs reverenter accedere posse ad eum, per *quem Reges regnant*; & in cujus oculis abjectum est illud omne, quod pusillis mortalibus erectum, ac sublime.

Deinde foris arma reliquit, ut vel hoc ipso doceret foris relinquendas inimicitias, aliáque omnia quæ Christianæ Paci, atque concordiæ essent adversa. Quod ipsum quoque à Gentilibus video usurpatum, non sine laude, ac totius antiquitatis approbatione.

Apollonius apud Philostratum dicitur nunquam preces fudisse, aut sacrificasse *Gladium habens ante oculos*; hoc est cum animo alicui nocendi, aut vim inferendi. Quod Christianis omnibus optarim esse, aut exemplo, aut etiam documento: ut nunquam ipsi vel ad orationem, vel ad sacras Aras venirent acerbiore mente; & qua persæpè, non tam preces in Templis fundere veniunt, quàm ferrum & ignes in capita sibi inimica jacere.

Hujus farinæ hominem sic compellat Divus Augustinus:

Figis genua, collidis frontem in terram, & dicis: O si moriatur inimicus meus! Deus, si quid à te promerui, occide inimicum meum: & utique tu, qui oras ut homo malus, oras contra malum, & facti estis duo mali: ille malè agendo; Tu malè orando incipis esse, quando dicis: Deus occide malum.

Serm. 4. de Sanctis.

Non sic dixit, non sic oravit David; etsi multos, & graves pateretur inimicos; etsi Saulem adversum; etsi Semei ore fœdo injurias enormes vomentem; etsi rebellem Absalonem & à Patre profugum. In his enim, aliisque adversantium sibi tumultibus: *Voce mea*, inquit, *ad Dominum clamavi.* Rectè *voce mea*, quia ut rectè notat D. Chrysostomus: *Qui clamat adversus inimicos, non edit vocem hominis, sed feræ, sed serpentis.*

Psal. 141.

At David, utpotè hominum mitissimus, hominis vocem edebat, ut qui veniam spiraret, & pacem; non vindictam, & acre bellum: & hoc, & illam, qui petit, Deum orat, Deum alloquitur: *Voce non sua*, sed aliena, qualis esset, aut voracis lupi, aut invidi canis, aut callidi serpentis, aut efferi leonis. Hæ quippè sunt voces perperàm orantium, dissonæ profectò, ac dissentaneæ homini, tum ubique locorum, tum verò vel maximè in sacris ædibus, ad quas venit ad Deum supplex.

II. Ex habitu orantis.

Habitus orantis hic olim fuit antiquo, & prolato more: externo totius corporis habitu, ac compositione supplicem præ se ferebat; nec manu solum, sed etiam ore gestabat oleæ virentis ramum, pacis scilicet, ac concordiæ symbolum; cujus ita meminit Euripides:

Moris fuit supplicum, ut in supplicando ramum oleæ tenerent, & manibus, & ore.

In Androm.

Manibus

Manibus quidem, ut re etiam ipsa atque opere testatum omnibus facerent, pacem se velle, & concordiam prensare impensiùs; ore autem ut etiam verbis exprimerent, quis esset animi sensus, quæ cogitationes, quis æstus voluntatis; is scilicet, qui pacem cogitaret, ac loqueretur. Et jure sanè meritissimo: quid enim aliud ab oratione, aut spetes, aut expectes?

III. Ex oratione. Est *Oratio elevatio mentis in Deum:* utque ea sit abesse debet omnis dissensio, omnis inimicitia: hæc enim Deum inter, & hominem atram offunderet, atque interponeret nubem, quam pervadere nunquam posset vel iux ipsa orationis, vel ardor entheus:

De Orat. c. 9. *Memoria injuriæ obscurat rationem orantis, & ejus orationi tenebras offundit*, inquit S. Nilus.

De Orat. Est deinde *Oratio* teste D. Ephrem, *temperantiæ custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, & ad modestiam revocatio, odii ob acceptas injurias medicina.*

Quod si ea est, in illam bono duce Angelo quisquis venit, oportet ut & iram (si fortè insurgat) refrænet, & animum ad quandam modestiæ serenitatem revocet, & illatas injurias, etiam ultrò condonet. Hoc enim vel ipsa orationis natura exigere videtur, & amabili quadam necessitate importare. Et hoc ipsum est, quod SS. Patres innuere volunt, ubi eam componunt cum cythara: hæc quippè pacis, ac concordiæ hieroglyphicum est. Ut enim grata appellat auribus, ut sonum edat, ac concentum; fides inter se conciliari, atque convenire necesse est: Sic & oratio, ut superis placida accidat, ut cœlo amabilem edat harmoniam, animum requirit benè cum proximo consentientem.

Ideóque si quæ fortè dissensio, si quæ voluntatum, id est affectionum inter se pugna, si quæ effervescens ira, si quod odium menti insederit, illicò deponi debet, etiam in ipso sacræ ædis vestibulo, primoque limine orationis.

Quod ipsum opportuna similitudine declarat D. Lib. de perf. just. Augustinus: *Quemadmodum*, inquit, *serpentis quoddam genus est: cùm ad bibendum priusquam ad fontem venerit, omne venenum evomit: ita Christianus cùm ad orandum accedit, omnem iracundiam, & odium proximi deponat.*

Est oratio veluti fons aliquis limpidissimus, in quo se ipse inspiciat homo, imò & impressas cœlestium rerum ideas, ac simulacra; quæ equidem intueri dabitur, si modò manu, aut pede, hoc est affectione prava, ira, odio non turbetur fons ille liquidus ac purus: si enim commoveri, turbarique contigerit, tum nihil in oratione, ceu bonorum propè omnium fonte, videre dabitur, nihil haurire quod ad salutem conducat, ac beatitatem.

Lib. 5 Moral. c. 30. *Nunquam commotioni contemplatio jungitur*, inquit D. Gregorius, *nec prævalet mens turbata conspicere ad quod vix tranquilla valet inhiare.*

Quia nec Solis radius cernitur, cùm commota nubes cæli faciem reducunt: nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillus propriè ostendit.

Hæc S. Pontifex, qui orationem primùm comparat cum Solis radio, quem eripit interposita inimicitiæ, aut odii nubes: deinde etiam cum fonte, quem turbat ab affectu pravo commota conscientia, sic ut nec seipsam videat, nec Deum.

IV. Ex Dei reverentia. Venio ad postremum caput, quod mihi in hac quæstione proposui; scilicet ad supremi Numinis præceptum, debitámque illi submissionem, quæ exigit ut homini dimittat homo injurias omnes, si victimam, aut orationem superis gratam esse volet: Ut audire licet in illis Christi vocibus, & oraculo primæ Veritatis: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi* Matth. c. 5. v. 23. *recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo.*

Hoc fuit Christi mandatum, quod duo involvit: primum ut ante sacratiores Aras relinquatur munus, non autem asportetur. Et hoc tres potissimùm ob causas, quas paucis attingit D. Paschasius in Mathæum.

Una, *quia quidquid coram Deo rectè offertur, immutari non vacat*; adeóque nec asportari.

Altera, *ut ad eum quantocius coram quo munus statuit, festinus redeat.*

Postrema, ut interea ibi remaneat munus, veluti pignus aliquod futuræ brevi reconciliationis: *Chirographum interea illud esse voluit*, inquit ipse S. Præsul.

Alterum, quod præceptione sua inclusum voluit Salvator Optimus, est: ut leviore gressu vadat, & prius reconcilietur fratri suo; tum deinde redeat, & munus offerat: cujus mandati legem, ordinémque dum attendit D. Chrysostomus, exclamat:

O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! honorem suum despicit dum in proximo charitatem requirit, quid his verbis mitius esse possit? Interrumpatur, inquit, *cultus meus, ut tua charitas integretur?* Hom. 16.

Hæc S. Doctor, ex quo duo stylo notari velim, quæ Dei charitatem mirum quantum commendant.

Primum, quòd propter charitatem in proximum honorem suum despiciat.

Secundum, quòd etiam aliis primas cedat, & secundas sibi servet; ait enim: *Vade priùs reconciliare fratri tuo, & tum veniens offeres munus tuum*; quasi dicat: *Interrumpatur cultus meus, ut tua charitas integretur*; cujus rationes duas produco. V. Ex ratione.

Una est Tertulliani, ut nulla nobis dies abeat sine pœnitentia, sine charitate: sicut nulla abire debet sine sacrificio, & oratione. Lib. de Pœnit. c. 11.

Nemo, inquit, *convulsus animo in fratrem suum munus apud Altare perficiat, nisi prius reconciliando fratri suo reversus ad patientiam fuerit; non licet nobis una die sine patientia manere.*

Altera est D. Cypriani; quia nulli dabitur venire in Dei charitatem, nisi illi, qui priùs venerit in proximi dilectionem; nec ulli pax erit cum Deo, nisi cùm pax priùs fuerit cum proximo: de hac, & illa sic S. Præsul:

Nullam impacifica orationis precem fieri patitur Dominus; sed Altari munera offerentes, si recordentur habere se cum fratribus aliquid, reconciliata humana pace reverti in Divinam pacem jubet, in Dei charitatem de charitate hominum transituros.

Oculo nota, & animo, mi Lector, hæc duo: de humana pace redire te in divinam: & de proximi charitate transire in Dei tui charitatem; cujus consciæ bonæ mentes illud in primis curis habuerunt, ut proximo donarent omnem offensam, & sic grata accideret oblata Deo victima, & labiorum sacrificium.

Exemplo erit in Petri Sede magnus Pontifex.

Unus aliquis è fæce popelli animo irreverenti, ore maledico, lingua impudentiore, Sanctissimi Pontificis Pii V. famam libello famoso, (quem vulgò Pasquillum vocant) fœdè proscideraт. Is tandem aliquando comprehensus, & Pontifici oblatus, cùm ab omnibus indubiè extremo supplicio afficiendus crederetur, jussus est primò maledicum libellum recitare, tum exponere suóne, an alieno consilio scripsisset illum, ac vulgasset. Cúmque subjecisset reus, se non alieno, sed suo, sed mali dæmonis impulsu id fecisse, adjecit Pontifex illud dignum cedro: Surius in Comment. rerum in Orbe gestarum, p. 127.

Si tu mihi ut summo Pontifici maledixisses, non ferres impunè; at nunc quia in fratrem Michaëlem, in monachum Scarponem, in Cardinalem Alexandrinum convitia jactasti, abi liber quò vis. Ego verò humilitatem generis mei, vitæ, & habitus semper & animo retinebo, & libens confitebor, & ero vilis, & abjectus in oculis meis.

Hæc Summus Pontifex. Hoc illius oraculum; hoc clementiæ, & indulgentiæ miraculum, quod

utinam

urinam ut excepit: sic & imitaretur posteritas, quæ etiam probè docta est D. Cypriani, invicti Præsules exemplo.

VI. Ex Sanctorum exemplis.

In carceres, & vincula venerat; ac deinde in theatrum, in quo vitam Christi causâ poneret inclyta Cœlo victima: quam, priusquam illud exciperet, & hoc excepit dignum Cypriano, dignum Martyre. Carnifici, cujus manu, capite minui debuit, aureos quinque supra viginti donari voluit, tum ut eâ munificentiâ injuriam omnem remittere se testaretur, tum ut hoc genus supplicii etiam pretio emendum esse probaretur.

Habes in virili pectore infractum injuriis animum, sui immemorem: memorem verò Christianæ pietatis: accipe etiam in molli, fœmineoque sexu. Blondæ, marito vitâ functo, unicus restabat filius, & is quidem viduæ matris amor, ac deliciæ; sed, ô malum! ô nefas! o furor inveteratæ inimicitiæ! ea quondam adversus patrem cœperat, tenuerat ad usque mortem illius, ac tumulum, in quo tamen needum sepulta; erupit enim, evasitque in filium: sicarii quippè cùm in parentem sævire ampliùs non possent, in natum ab illo sævieruot, inflictisque vulneribus è medio sustulerunt.

Quid hic bona mater orba marito, orba & filio? ad lacrymas, ad lamenta, ad fœmineos ejulatus confugit, cœlúmque lacessit justis querelis, ac gemitibus: dúmque his aut suam solatur, aut deplorat orbitatem: ecce tibi ingens aliud paratur malum, alia eáque immanis luctus ac doloris materia. Quid non meditatur? quid non audet? quid non potest præceps & cœcus concepti jam odii furor.

Illi ipsi sicarii, sepultum adolescentis cadaver, egestâ humo eruunt, ferrum algido pectori immittunt, rimantur viscera, cor immani crudelitate extrahunt, & parato jam epulo, inter fercula commiscent, improbèque conditum apponunt ferali mensæ, cui cum aliis nobilibus fœminis assidebat mœsta, ac plorans mater; cùm ecce inscia, incautaque de ferali isto ferculo edere jubetur: edit illa, nihilque sinistri metuens etiam cor filii absorbet, & in stomachum demittit. Eo facinore tam barbaro, tam immiti satiata videri potuit antiquæ inimicitiæ rabies: at necdum satiata, nisi illud ipsum facinus sub oculos afflictæ matris poneretur. Et verò positum est; intellexit enim infœlix mulier inter fercula, cibósque & illatum cor filii, & sibi etiam in escam datum.

Quid hic expectes, benevole Lector? quæ irarum fulmina? quæ tonitrua verborum? quæ lacrymarum flumina? quos æstus excitatæ mentis, ac vindictam spirantis? At nihil horum in matre quantumvis desolata; illicò quippè & se in genua abjicit, & ad JESUM, & MARIAM, delicias suas, recurrit, & illatam filio, sibique per summum nefas injuriam deponit ad Crucifixi pedes, & sicariis illis ignoscit, ignoscique etiam è Cœlo propitio petit, patientia, ac fortitudine post homines natos inaudita: sic enim ad JESUM, quem sibi in sponsum adlegerat.

Per has ego te lacrymas, per gemitus, per suspiria propè expirantis animulæ; imò tua per vulnera mortémque rogo, atque obtestor, uti perditis illis veniam, vitámque dones; geminum illud facinus, & filii innocentis cædes, & feralis esca, in eaque viduæ matris ludibrium, etiam invito propè Cœlo, extorquere fulmina, & in noxia capita demittere possunt, ac debent.

Verùm; ô Deus, ô Amor, ô JESU corculum meum, ea fugio, ea horreo, & Cœlum ad veniam etiam misellis aperiri volo. Emissa hæc è terris oratio mirè placuit superis, placuit & immortali Deo, qui exinde gratias suas, Cœlique gazas in viduæ pectus ubertiùs effundere; imò & à sæculo ad religiosam, sanctioremque vitam traducere. Hanc certè exegit inter moniales, quas vulgò Servitas appellamus, & relicto sui desiderio, magnáque virtutis opinione vivere desiit secunda Septembris, anni millesimi, quadringentisimi undecimi. *Ex histor. Ordin. Servit.*

Habes, amice Lector, in fœmina quod mireris, quod ames, quod imiteris; ingentem scilicet animum, injuriis omnibus, ipsaque morte superiorem. Habes illustre fortitudinis exemplum; habes Christianæ caritatis prodigium, cui quàm optimè ascribi potuit hoc lemma: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* *Cant. c. 8. vers. 7.*

****

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.



N ipso CHRISTI vultu, ore, oculis potentes erant amoris illecebræ, quibus abstracta ingens hominum multitudo, è villis, oppidis, urbibus excesserat, abierátque in avia deserti loca, etiam itinere tridui, quo si quid annonæ delatum erat, etiam absumptum illud omne. Id ubi advertit Salvator optimus: *Misereor*, inquit, *super turbam, quia ecce triduo sustinent me, nec habent quod manducent.*

Dubia videri potuit, atque anceps cura: Iejunos dimittere, videbatur immanitatis; pascere verò, alienum à vitio solitudinis. Quid igitur? Discipulos quasi in consilium adhibet, quæritque ex eis, quid opus facto? Cui sic illi: *Vnde illos quis poterit saturare panibus in solitudine?*

Nemo certè, nemo unus omnium. Ubi dubios vidit, ubi spe bona vacuos; tum ex iis rogat:

Quot

EX D. THOMA.

INTERPRETE D. Thoma, ostendit hic Salvator: I. Quid fugere debeamus; triplex scilicet pec- Matth. c. 5. catum: 1. *Operu*; *Non occides*. 2. *Cordu*; *Qui irascitur fratri suo*. 3. *Oru*; *Qui dixerit fratri suo fatue*.

Dom 6. post Pent. Ser. 2. II. Quid timere; videlicet *Judicium*, in quo etiam tria debemus formidare: 1. Est *Judicium*, in quo damnabuntur impii, sic expressum: *Reus erit judicio*. 2. *Concilium* Angelorum, & Sanctorum, in quo iidem impii examinabuntur, sic expressum: *Reus erit Concilio*. 3. *Ignem infernalem*, in quo ii ipsi impii æternùm cruciabuntur; exprimitur ille his verbis: *Reus erit gehennæ ignis*. Delabitur deinde S. Doctor ad Iræ vitium, quod hîc damnat Magister Christus, Serm. 3. & addit iram *tripliciter lædere naturam*.

Primò enim *Lædit rationem per obscurationem*.

Secundò, *Lædit memoriam per oblivionem*.

Tertiò, *Lædit voluntatem per malam affectionem*, quæ vitia, suâ experientiâ doctus, ita expressit Psal 30. David: *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Oculus est ratio, anima voluntas, venter memoria*.

Hæc ubi dixit, descendit ad alios effectus iræ, quæ sese extendit ad triplex homicidium: 1. *Sui*: Cap 4. *Virum enim stultum interficit iracundia*, inquit Jobus. Prov c. 15. 2. *Animæ proximi*, quam odio, & rixis enecat: *Vir quippè iracundus provocat rixas*. 3. *Corporis proximi*, quem iracundus facilè è medio tollit. *Nihil enim* Cap. 2. *ante illum est sanguis*, ut scitè advertit Ecclesiasticus; ita nimirum præceps est, ut illum effundat.

Post hæc delabitur ad impendentem iræ, & irato pœnam expressam his verbis: *Reus erit Judicio*; In hoc, inquit, *tripliciter accusabitur*:

Primò, *A seipso*. & hoc etiam *tripliciter*: 1. *A conscientia testimonium illis reddente*, inquit Apostolus. Rom. 2. 2. *A sua malitia*: *Arguet* enim te, ô iracunde, *malitia tua!* 3. *Ab interiori animi angustia*: *Tum plangent* Joan. 1. *super se omnes tribus terræ*, inquit Joannes.

Secundò, *Ab omni creatura*, quæ eum judicabit, ac puniet tripliciter: Ejus *malitiam revelando*. *Revelabunt* enim *Cœli iniquitatem ejus*, ut rectè Jobus. Cap. 20. 2. *Expugnando*. *Pugnabit* enim *Orbis terrarum contra insensatos*, ut verè Sapiens. 3. *Puniendo*. *Creatura* Cap. 5. quippè *tibi factori deserviens exardescit in tormento adversus injustos*; ut notavit ille ipse Sapiens. Cap. 16.

Tertiò, *À Deo Judice*, qui eum *puniet tripliciter*: 1. *Arguendo*. *Venit* enim *Dominus cum Sanctis arguere* Jud. 2. *impios*. 2. *Confundendo*: sic enim per Psalmistam: *Inimicos ejus induam confusione*. 3. *Sævissimè condemnan-* Psal 131. *do*, hoc verborum fulmine: *Ite maledicti in ignem æternum*. Vide qui iræ reus es, quid tibi in illo Judicio, Matth. 25. & dum licet, cave.

EX D. BONAVENTURA.

Dom 5. post Pent. Ser. 1. NOTAT primò irasci posse hominem *tripliciter*, *secundùm tria instrumenta corporis*; *scilicet Cordis, Oris, & Manus*. 1. *Nam irascitur aliquis fratri suo perverso judicio malignæ cogitationis in corde*. 2. *Duro verbo injuriosæ conviciationis in ore*. 3. *Pravo maleficio fraternæ læsionis in opere*.

Secundò, In offerendo munere considerandum esse: 1. *Quid?* scilicet *tuum, non alienum*; & illud Serm. 2. quidem *optimum*. Uti fecit *Abel*: non autem deteriora, ut *Cain*, qui *seipsum Diabolo, & viliores spicas obtulit Deo*. 2. *Cui?* nimirum *Deo*. 3. *Quantum?* scilicet à Domino accepisti, contra quod peccant multi, qui *plus ventri, quàm Deo offerunt*. 4. *Quomodo?* scilicet ex affectu magno; *Cor namque, & non substantiam pensat Deus, nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto offeratur*. 5. *Ubi*, nempe *ad Altare*; *sed heu multi hodie plus ad aleam, & similia offerunt, quàm ad Altare*. 6. *Quando?* frequenter, imò quotidie; maximè autem festivis diebus, quibus tamen: (ô dolor! ô pudor!) *Multi peccando plus offerunt Diabolo, quàm Deo*.

Tertiò, Triplicem nobis esse fratrem, cui reconciliari debemus; videlicet *Christum, Angelum, Hominem*. *Christum*, inquam, *cui reconciliamur peni-* Serm. 4. *tendo*; *Angelum, cui reconciliamur acquiescendo*; *Hominem, cui reconciliamur indulgendo*. de quibus fusiùs S. Doctor; ego brevi compendio, ut erudito Lectori materiam suggeram, & argumentum, in quo latiùs sese diffundat.

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORARIS.

Ad illa verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Matth. 5. v. 20.

PHARISÆI VNDE DICTI?



FUERUNT Judæis tres ordines, ac veluti classes hominum, qui Divinis obsequiis mancipati videbantur.

Primi fuerunt ii, qui tabernaculo, aut etiam templo servierunt: Et hi dicti sunt Sacerdotes, ac Levitæ.

Pharisæi. Secundi fuerunt illi, qui ad sacræ Scripturæ custodiam, & interpretationem adhibiti, ut ad populum è pulpito dicerent, docerentque è Cathedra, quæ Divinæ legis essent: Isti vulgò appellati Pharisæi, Scribæ, Legisperiti.

Postremi fuerunt isti, qui à vulgo remoti, qui vitæ purioris, ac sanctioris æmuli: Et hi vocati sunt Rechabitæ, Esseni, Nazaræi.

His & aliis omissis, de Pharisæis in præsentia est quæstio, unde sic appellati?

Duæ sunt ea de re Interpretum opiniones; Una censet Pharisæos dictos à verbo *Pharas*, hoc est,

dividere

I. Divis. *dividere*, quod se à cæteris tanquam justos ab injustis dividerent.

Huic nomini consonat ille fastus Pharisæi, quem Cap.18. v. 11. bellè sic expressit D. Lucas:

Duo homines ascenderant in Templum; Pharisæus unus, Publicanus alter: Pharisæus elato supercilio, gravi voce, insolenti mente, sic inquit:

Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, velut hic Publicanus. Ecce fastus, ecce effrænata superbia, qua se ab aliis, ac nominatim ob hoc Publicano dividit, ac separat. Et hoc quidem patet ex ipsa notione nominis malè ominati; de quo est

II. Interpretes. Altera opinio, quæ Pharisæi nomen trahit à verbo *Pharas*, idest interpretari; quod eis incumberet Scripturam sacram populo prælegere, atque explicare.

Ex hoc officio manavit illud Christi ad populum: Matth. c.23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæcumque dixerint vobis servate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere.*

L. 4. de Doct. Christ. c.27. De hac Cathedra quæstionem movet D. Augustinus; cur jusserit Christus servare quæ dicerent, non quæ agerent Pharisæi? An non eadem hujus, atque illius ratio? An non dicere mala potuerint, qui facere etiam pessima potuerunt? Cur igitur jubet servare quæ dicerent? Hic est nodus difficultatis, quem expeditè solvit D. Augustinus.

Mosaicæ Cathedræ privilegium. Ait enim factum suavi, & mira Dei Providentia, ut è Cathedra Moysis non nisi bona, veráque jactarent Pharisæi; nec verò mala, falsáve ex ea dicere potuisse. Audiamus ipsum ut aliàs solet elatè, doctéque disserentem.

Illa Cathedra, inquit, *non eorum, sed Moysis cogebat eos bonum dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua, in vita sua; docere autem sua, Cathedra illos non permittebat.*

Hic siste, mi Lector, & oculo, mentéque nota hæc paucula.

Primùm, quòd ea *Cathedra*, non Pharisæorum; sed *Moysis*: & inde ab hoc religionis, & veritatis dabat oracula, nihilque ab illis vitii patiebatur.

Deinde *cogebat eos bona dicere*, utique etiam & vera; nam & verum bonum, & bonum verum.

Cogebat, inquam, non vim aliquam voluntati illorum inferendo: sed monendo suaviter, & efficaciter impellendo, eáque in mentem, linguámque inferendo, quæ proferrent quàm verissimè ad subjectæ concionis bonum. Ita nimium amabilis Dei Providentia facit, ut non nisi bona loquantur etiam ii, qui mala faciunt. Cujus rationem subjicit ille ipse S. Præsul: quia Pharisæi è cathedra non docent sua, sed Dei; secus autem in vita, sua agunt, non Dei.

Quod ipsum disertis verbis confirmat libro contra Faustum; docet enim Providentiam Divinam ita incubuisse illi Cathedræ, ut non sit passa ex ea falsa dogmata unquam ventilari. L. 16. c. 29.

In cujus Cathedra, inquit, *etiam mali sedentes bona dicere cogebantur.* Et Epistola sexagesima sexta supra centesimam; de eadem Moysis Cathedra sic piè philosophatur, ut hoc astruat: *In qua coguntur etiam mali bona dicere; neque enim sua sunt, quæ dicunt; sed Dei, qui in Cathedra unitatis Doctrinam posuit veritatis.* Epist. 166.

Et hinc mihi in manus datur argumentum, quo acriter depugnem pro Cathedra Petri contra nostri temporis hæreticos: si enim Pharisæos, homines cæteroquin perditæ, ac prostitutæ vitæ; malum tamen, aut falsum efferre non permisit; permittétne è Petri Sede, Cathedráque veritatis, aut malum, aut falsum Dogma proferri? enimverò non permittet. Petri Cathedræ authoritas.

Stat enim, stabitque in ævum omne, inconcussa ea veritas, quam extulit ipse Salvator Optimus, & qua adpromisit fore, ut ne quidem inferorum portæ adversus eam Sedem aliquando prævalerent: at prævalerent omninò, si ex ea prodire posset, aut elabi falsum Dogma, si afflari Spiritu mendacii.

Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede; ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ; inquiebat olim Augustinus. Verùm ne longiùs: Hæc ex occasione, & quasi per transennam attigisse sit satis. Redeamus ad Pharisæos, vidimus quid nominis; attendamus qui rei sint, & quod genus hominum.

QUÆSTIO SECUNDA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad eadem verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum?*

QVOD GENVS HOMINVM PHARISÆI?
Et quæ eorum vitia?

Vitia Pharisæorum. PRIMUM vitium quo laborârunt Pharisæi, & malè apud Christum audierunt, hoc fuit: quod cùm optimè dicerent; viverent tamen quàm pessimè: ita scilicet doctrina à moribus dissentiebat.

Hinc illæ querelæ, hinc timendum *væ*, quod illis intentavit Christus, & quod excepit, expressitque Lucas:

Cap. 11. vers. 52. *Væ vobis Legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.*

I. Vita doctrinæ dissimilis. Divina Providentia, quæ rudiori, & ignaræ plebeculæ de Magistro prospicere solet, Pharisæis in manus dederat scientiæ clavem, qua reserarent arcana sapientiæ melioris adita, qua alios ducerent etiam in intima illius penetralia. Sed, ô malum! ô præposteræ cogitationes! ô studia perversa! aliis ea aperuerunt Pharisæi; clauserunt autem sibi: alios docuerunt probè, seipsos improbè: & quod lingua ædificabat, destruebat manus; quia scilicet doctrina cum vita, moribúsque non conveniebat.

Et hæc prima fuit in Pharisæis labes, & macula, quæ etiam est hujus ætatis, in qua visuntur plurimi, quibus ut doctrina quàm optima; sic vita est quàm pessima.

Hos D. Chrysostomus ait esse similes Comœdis, aut Tragœdis. Vidisti quandoque in Scena Comœdum aliquem, aut Tragœdum: erumpit ille in Theatrum, Procerum coronâ septus, purpurâ illustris, sceptro, & diademate clarus, eóque habitu Regem exhibet; ac mentitur: at peracta Scena Regem exuit, & is visitur, qui reipsa fuit vilis, abjectúsque homuncio; homo terunci, homo nihili. Hom. 1. in Acta. Similes Comœdis.

Sic in hujus vitæ Scena, sic omninò res agitur: plerosque enim videas, qui aut veste Sanctum mentitent, ac fingant, aut lingua, aut voce æqui, rectique tenaces esse videantur: hos enim verbis suis exprimunt, jactant è pulpito, veluti Comœdi, aut Tragœdi:

Tragœdi: at ubi vitam hanc mortalem, ceu vestem, posuerint; ubi peracta brevis ævi Scena, tunc liquidò apparebit à virtute, à gratia, à Dei donis vacuos fuisse, & pauperes; imò quod ampliùs est onustos vitiis, infames, cœlo terrisque graves, quales & Pharisæi, quos scilicet vitâ referunt, etsi non nomine.

Illos D. Basilius bellè exprimebat hac similitudine:
P ctoribus. Spectasti, inquiebat, in officina pictoris alias, atque alias imagines affabrè pictas, atque elaboratas; ludit enim in nuda tabellæ area pictoris manus, atque industria: colores diducit, vultus exprimit; & licèt turpissimus sit ipse, pulchellos tamen, & formosulos effingit.

In hac vita degimus tanquam in officina, in qua multis usu venit, quod pictoribus; speciosas virtutum imagines in aliis benè pingunt; in his insignem vitæ, morumque castimoniam; in illis demissionem animi; in aliis ingens robur, & vim arduam in adversis, aliáque magnarum virtutum decora: at in seipsis turpissimas vitiorum imagines, ac monstra exprimunt, eáque exhibent etiam in omni vita.

Hos alia similitudine rectè depingit D. Augusti-
Terminis. nus: Ait enim hoc genus hominum simile esse terminis, sive statuis, quæ erigi solebant in biviis. Nimirum apud Antiquos id in more positum fuit, & benè. Ubi dubia occurrebat semita, ubi biceps, aut triceps via: attollebatur hominis statua, quæ digito monstraret quæ via tenenda, quæ declinanda, quæ Thebas duceret, quæ Athenas. Quod viarum termini, hoc mortalium plerique ritè docent, atque ostendunt, quæ virtutis via, quæ ad superos semita: at & hanc, & illam ineunt nunquam; sed eodem quasi immoti vestigio manent, nec unquam promovent, nisi fortè in pejus, barathrúmque vitiorum, ac perditionis.

Ethic. 3. Aristoteles purioris Philosophiæ ocellus, in Ethicis suis statuit istud pronunciatum dignum cedro: *Meliùs est mori, quàm aliquid facere contra bonum virtutis.*

Statuit, inquam, & ceris melioribus in posteros emisit; at non expressit moribus, & vita; nec expressere alii, qui eadem principia è cathedra auditorum auribus commisêre. Nimirum etiam illi eam suo nomini maculam dedere, quam deinde Pharisæi, quam & alii consequentibus ætatibus longè plurimi, qui ut docuerint quàm bellissimè, vixerunt tamen longè turpissimè. In ejus farinæ hominem, verti potest illud Christi, ore regio, id est Davidico:

Ps. 49 v. 16. *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

Nimirum oculus ille Divinæ, supremæque mentis non aspicit, non patitur justa judicia sua, & sanctas Testamenti leges ore tantùm vulgari; vult etiam opere, atque exemplo.

Et hoc, & illo vulgavit Regius Vates, qui hæc de seipso, & verè & piè: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

Pedibus, inquam, non oculis. Hoc est praxi, non nudæ speculationi.

Ut enim rectè notat D. Hieronymus: Sunt qui lucernam Divini Verbi circumferant manibus, id est, operibus suis, exemplóque vitæ sanctioris: Sunt alii, qui eandem lucernam mente, hoc est, doctâ intelligentiâ gestent; ii scilicet, qui de virtute benè sentientes, benè docti: Sunt etiam nonnulli, qui ore eam ostentent; qui scilicet de virtute & disertè loquuntur, & alios edocent: Sunt denique plerique, qui lucernam pedibus exportent, hoc est longè, latéque circumferant Dei verbum, & eo, ceu luce cœlesti, ceu calore Divino animos auditorum accendant; priùs tamen ipsi & illa luce perfusi, & illo æstu succensi. Atque ex his esse te velim, mi Lector.

Transeo ad aliud vitium, quod & in Pharisæis aculeata oratione notavit Christus; quod nimirum toti essent, ut mundum, probéque lotum esset cor- *II. Cura solius hominis externi.*
pus: Hinc si è foro redirent lavare manus (fortè ut sordes in eo contractas eluerent) si accumbendum mensæ, si incumbendum lectis, & his, & illis adhibere frequentes, importunásque lotiones: adeò mundities, nitorque corporis erat in primis curis.

Et hoc est, quòd arguit, damnavitque Christus varias ob causas.

Prima quòd crederent immunditiam corporum, ciborum, vasorum elabi ad ipsum animum, eumque inficere, atque inquinare.

Altera ratio fuit ingens Pharisæorum superstitio, qua sibi persuadebant has lotiones, ac veluti Baptismata, ad religionem, Divinúmque cultum pertinere; adeóque ea qui sprevisset, & ipsum Numen sprevisse videretur.

Postrema causa, eáque Princeps hæc fuit, quòd ita occuparentur in corporis cura, ac munditie, ut de animo parum, aut nihil cogitarent. Hinc illæ Christi querelæ: *Vos Pharisæi, quod deforis est mundatis; quod autem intus est, plenum est rapinâ, & iniquitate.* *Luc. c. 11.*

An non plerique sunt, etiam hoc quo spiramus ævo, quibus impensior cura corporis, quàm animi: illius venustatem, cultúmque venantur, amántque studiosiùs, auro, gemmisque onerant; de mentis nitore, ac decore (qui in virtute positus est) vel exiguus, vel nullus labor.

Si agitur de bonis hujus ævi, ac fortunæ, si de aliquo beneficiolo; nec labori, nec viæ parcitur, ne Romanæ quidem: hinc antiquæ, & justæ religiosi viri querelæ: *Pro modica præbenda longa via curritur; pro vita æterna vix à multis pes a terra movetur.*

Si corpori malè sit, evocantur undique medici; quæruntur etiam extremo orbe remedia, aurum, gemmáque bibitur; & hoc tantùm ut putidæ carni benè sit, ut sua illi stet salus, atque incolumitas. Secus omninò fit animo, ubi à lethali noxa, ceu morbo, seu etiam morte laborat ac fatiscit, differuntur in dies, in menses, in annos remedia; etsi obvia sint, & cuique parabilia.

Certè is stupor vivum redolet Pharisaicum. At, inquiet unus aliquis, non omnis damnanda lotio, curáque munditiei. Fuit enim, fuit olim apud antiquiores Christianos recepta consuetudo, ut non nisi *manibus lotis, candidisque induti vestimentis in Ecclesiam ingrederentur*; ut scitè notavit D. Chrisostomus. *In Matth. 52.*

Non abnuo: at ille ritus documento fuit, atque incitamento, ut similiter lota mente, hoc est innoxia, & pura ad sacras Aras procederent. Sic quippè ex illo more avito, & pio ratiocinatur, urgetque B. Laurentius Justinianus: *Absterge maculas interioris aspectus, & lota anima facie, atque veste induta nuptiali securus ad Deum accede*; & sic curam habe nitoris unius corpusculi, ut magis tamen animæ. *De connubio verbi & animæ, c. 22.*

Dic enim amabo te, mi Lector, sit domi ancilla, sit & conjux; utrique malè sit, cui primùm consules? ancillæ, an conjugi? si illi, ex Pharisæis es; si huic, ex Christianis.

Clariùs rem explico: corpus est ancilla; anima conjux, vel si mavis Domina; huic si sapis, consule, huic stude: ni facis, in te cadet illud Christi fulmen: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum.*

Sed & alia labes fuit, quæ Pharisæos malè affecit: ea porrò fuit, quod quæ minima essent in lege, viderentur observare quàm arctissimè. Quæ autem majoris momenti censeri poterant, ac debuerant, ea præterire & contemnere. Hinc illæ cœlo minæ, illáque Christi fulmina.

Væ vobis Pharisæi qui decimatis mentham & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem Dei. *Luc. c. 11.*

Duæ sunt virtutes, veluti cardines bonæ mentis:

judicium & charitas. Judicium sive Justitia suadet cuique jus suum reddere, æqui bonique tenacem esse, nihil per vim rapere, nihil malis artibus dolisve possidere. Itaque cum proximo agere quàm optimè.

Charitas autem in Deum effert, illi hominem jungit, facitque ut perenni nexu ei adhærescat.

Hæc duo præcepta, quibus ceu cardinibus verti debet mortalium vita. . Sed hæc tamen in postremis reponere Pharisæi, & in minimis primas curas locare: decimas enim pendere in mentha, ruta, & olere, quæ inter plantas, ac fructus minima; bene tamen olentia, & conformia vano Scribarum ac Pharisæorum ingenio: ut qui bonum nominis sui odorem, famam inter suos bonam affectarent, non solidæ virtutis studio, sed insulsæ vanitatis.

III. Ambitio. Et hinc aliâ quoque notati maculâ, alio vitio malesanæ ambitionis, in quam illæ Christi minæ, & timendum *Væ.*

Væ vobis Pharisæi, qui diligitis primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro.

Est bonæ mentis, & humilis animæ titulos illos, altaque nomina fugere, nec admittere nisi ubi charitas, aut necessitas exegent.

Et ita video factitatum à Sanctis. D. Augustinus, quem dum nominn, lumen orbis, doctrinæ solem, prodigium virtutis ostendo, adeoque dignissimum, qui primas cathedras occuparet, & sacratiora subsellia, tamen ab iis seipse quàm potuit longissimè removit.

Epist. 148. Testis erit ea, quam ad Valerium dedit Epistola; in qua de Infula, de cura, dignitatéque Episcopi sibi imposita sic sentit, & loquitur: *Vis mihi facta; merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.*

Qui primis Ecclesiæ gubernaculis assidet, est summus Pontifex; qui secundis Episcopi: quos inter etsi merito suo assideret Augustinus, gubernaculúmque regeret quàm optimè; tamen (quæ animi demissio fuit) remum vix tenere se posse existimavit.

Et hic millo sensus fuit: nec dispar in D. Anselmo, qui dum invitus ad culmen Episcopale trahitur, sic de illis, qui reluctantem rapiebant est questus.

Lib. 3. Ep. 7. *Quando me Episcopi, Abbates, aliique Primates ad Ecclesiam trahentes contradicentem rapuerunt, dubium videri poterat: utrum sanum insani; an insanum traherent sani: nisi quia illi canebant, & ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore & dolore pallebam.*

Ecce ut pallor ora, & stupor, dolórque animum invadit novelli Præsulis; & hoc tantùm, quia cogitat onus quod imponitur, & in ea cogitatione, & animam, & sensum propè amittit, atque ab astantibus aqua benedictâ aspergitur. Sic enim in eadem epistola, & doloris, & timoris, & stuporis sensum aperit Anselmus; cui similes hæc ætas si haberet omnes, nulli omninò in illud dignitatis culmen evolarent. Verùm proh dolor! enim hoc ævo sunt, qui amant primas cathedras in Synagogis. Adeò verum illud Tertulliani:

Ad primum locum certamen omne contendit: secundus solatium habet, victoriam non habet. L. ad Vxor. cap. 3.

Ita nimirùm ad primum locum imus omnes, ea ferè contentione, qua miles præfervidus ad victoriam; quasi primum locum occupasse, sit vicisse; & secundum, aut ternium tenere, sit esse victum.

Sin porrò quæras unde is ardor? ea sitis atque honorum cupiditas? audies ex D. Cypriano: quia *ambitionis salsugo bibulam animam occupat.* Praef. de Card. oper.

Ut charta bibula humorem aqueum exsugit, atque imbibit: sic hominis animus ubi sese ambitioni commiserit etiam ibus salsuginem exhaurit, neque percipit infœlix, quæ sub modico honoris felle sit amarities.

Ex hoc genere hominum fuerunt olim Pharisæi, qui præcipiti mente, præpropero pede in dignitates, & principes cathedras inclinabant. Atque ex hoc etiam sunt ii, qui insano ambitionis æstu ad Infulas aspirant, primásque iti Ecclesia curas eas ex honore, non ex onere metientes, quos ita carpit Gilbertus Abbas:

Nimis prompti, & parum providi vires nostras minus pensantes, festinamus ingredi in labores Prælationis, in solicitudinum molestias, & materiam lapsus, nec expectantes vel semel vocari, ultrò nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel prævenientes, vel arte procurantes. Serm. 29. in Cant.

Non sic sponsa, non sic mens excelsa, & Deo cara; si vocatur illa ad gloriæ culmen, ad coronas, ad eas non venit nisi iterum, iterúmque vocata.

Testes illæ sponsi voces: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Quæ verba etsi de corona beatitatis intelligi putem; ea tamen etiam de sacratiori dignitatis culmine, ac corona accipi posse opinatur Gilbertus Abbas, indéque conficit ad Infulas, non esse eundum nisi quàm tardissimè, & quidem cœlo vocante. Cant. c. 4.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad eadem verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum?*

QVÆ SINT IVSTITIÆ LEGES? in quas peccarunt Pharisæi?

Justitia quid sit? JUSTITIA à Theologis quandoque latiùs sumitur, ut sit complexio virtutum omnium; quandoque pressiùs, ut sit una virtus singularis ab aliis omnibus, naturâ, officio, dignitatéque secreta. Hanc ita definit Ulpianus:

L. Iustitia D. de Iure & Iustitia. *Iustitia est constans, & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi.*

Eam Jurisperiti partiuntur in commutativam, distributivam, & legalem, & si pateris, etiam vindicativam.

Iustitiæ species. Commutativa privatum cum privato sic nectit, ut suum huic, & illi jus cedat.

Distributiva Rempublicam spectat, & illius capita, à quibus sic dividuntur beneficentiæ fontes, ut non fluant in immeritos.

Legalis, civem cum Republica sic jungit, ut illius bonum procuret tanquam ejus pars, & membrum magni corporis.

Vindicativa animadvertit in delinquentes, & æquam sceleri pœnam infligit.

Et quia Servator Optimus dum meminit Justitiæ Pharisæorum, sic intelligi potest, ut tam Iustitiæ latè sumptæ meminerit, quàm illius, quæ pressiùs accipitur; ideò hic exponam tam hujus, quàm illius leges, contra quas peccarunt Pharisæi. Iustitiæ Leges.

Justitiæ latiùs acceptæ pro quovis opere justo,
I. Lex. hæc esto Lex. Seipsam spectet ipsa, seipsa contenta sit, nec aliorum oculos, aut famam, aut præmium quærat; sibi enim satis est ipsa. de illa sic D. Ambrosius:

L. 2. Offic. cap. 1. *Beata planè Iustitia, quæ non alienis æstimatur judiciis; sed domesticis percipitur sensibus, tanquam sui judex: neque enim populares aliquas opiniones pro mercede aliqua requirit, neque pro supplicio pavet.*

Meritò sanè *sui judex* est Justitia, & virtus omnis: sibi ipsa præmium decernens, imò præmium ipsa sibi. Ut enim pulchrè Seneca:

Epist. 113. *Doceat me quàm sacra res sit justitia alienum bonum expectans, nihil ex se petens nisi usum sui. Non est quod spectes, quod sit justæ rei præmium, majus quam justum esse.*

Contra hanc Justitiæ legem deliquerunt Pharisæi, qui si fortè elaberentur in opus rectum, in actum alicujus virtutis; sibi inde nomen, famámque facere moliebantur, eam ore patulo jactabant etiam ad tubæ clangorem: hoc uno certè rei, quod non tam virtuti studerent, quàm famæ. *Qui enim*
Suprà. *virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ*; inquit Seneca.

II. Lex. Altera lex Justitiæ est, ut qui eam tulit, aut docuit, ex illa quoque vivat ipse, & ad illius normam actiones omnes, facta, dictáve componat.

Extat ea de re hoc Theodosii monitum nulla unquam oblivione delendum.

L. digna vox C. de Const. Princip. *Digna vox Majestate regnantis, legibus alligatum se profiteri.*

Principibus, ac rerum Dominis imperat recta ratio, atque æquitas, qua duce, ac præceptrice eas sibi leges servandas esse censent; quas aliis imposuerint ipsi.

De Divina Providentia, de primo, ac summo Legislatore Deo id asseruit Seneca:

Lib. de Div. Provid. c. 5. *Ille ipse omnium conditor, ac rector scripsit quidem fata; sed sequitur: semper paret, qui semel jussit.*

Hæc ille, qui errat in eo, quod fatum statuat, Deúmque illud sequi velit: quàm verissimè tamen ad institutum meum verti potest illud in humanis; *semper parere, qui semel jussit.*

At non sic Pharisæi; multas illi leges condere, nullas servare; onera gravia aliis imponere, ipsi excutere, & ne digito levare. Et hinc etiam in hanc justitiæ Legem quàm gravissimè delinquere.

III. Lex. Sed & alia Justitiæ lex, & ratio æquitatis: Spectat illa commune bonum, non privata commoda.

B. Laurent. Iustin. *Vera Iustitia magis aliis, quam sibi prodest, & utilitates suas negligit, communia emolumenta præponens*, inquit B. Laurentius Justinianus.

Quod effatum magni Præsulis consonum est ipsi naturæ, genioque Justitiæ: inter quam & alias virtutes hoc interest, quòd hæ uni quodammodo supposito suo studeant, uni illi serviant, ac consulant; at verò Justitia aliis potissimùm vacare videtur.

Prudentia dictat quid tibi quáque in re sequendum, quid fugiendum.

Temperantia libidinem, iram, tristitiam, aliósque animi motus temperat, ne rationis Leges excedant.

Fortitudo timorem expellit, & nimiam abjectæ mentis demissionem erigit, ac sustinet. Sicque à prudentia, temperantia, fortitudine tibi tibi est benè; à Justitia autem aliis est quàm optimè. Neque enim teipsum, tuúmque bonum hæc attendit; sed aliorum commoda, facultates, utilitatem spectat, ac tuetur.

Ethic. l. 5. cap. 7. *Omnium virtutum sola Iustitia in bonum alienum dicitur: quia non ad suum commodum; sed ad aliorum omnia confert. Aliorum enim commodis, utilitatiq; servit, aut Principis, aut Reipublicæ*, inquiebat olim Philosophus.

Ab hac Iustitiæ lege recedunt quàm longissimè ii omnes, qui aut fortunas suas augere student, aut lucrum amant, ac venantur improbè; sive populo jus dicendum sit, sive dicendum è pulpito, & divinioris Sapientiæ placita evulganda.

Apud Thebanos Magistratuum statuæ formari solitæ sine manibus; Principum autem clausis oculis, ut vel in ipsa eorum specie legeres, quæ esse deberet veræ Iustitiæ ratio: ea scilicet, quæ nec manibus ad se dona raperet, propriis intenta commodis; nec oculis capi posset, & à communi utilitate dimoveri.

Si quos sic capi, sic dimoveri contigerit, audiant illud B. Etmundi; audax quidem, & liberum pronuntiatum, sed verum tamen: *Prendere, & pendêre*, nonnisi unâ litterulâ discrepare. Henriquez l. 1 Ordin. Cist. D. 31. c. 6.

Nimirum suspendio proximus est, qui munera præter nefas accipit. Et cum una manu à clientibus suis dona Judex arripit, altera sibi laqueum texit, ac parat. Et hoc D. Etmundo judice. Sed ne minis istis, & secali ligno chartam ampliùs quàm par est oneremus; institutum prosequamur.

Quæ Magistratibus, ac Principibus Justitiæ lex imposita; eadem & Doctoribus, quibus ex officio incumbit subjectum populum è cathedra docere: Et hoc quidem studio boni communis, non privati.

Ad hoc porrò studium, & normam æquitatis alludere visum olim *Rabbini* nomen, quod populi Doctores, & controversiarum arbitros significavit. *Rabbi* enim Hebraicè dicitur *multus*, à radice *ramam*, hoc est multiplicari; quòd Doctor, ac Fidei Magister quodammodo multiplicari, ac multus esse debeat, & hoc quidem ut multis ab illo benè fit.

Ab hac Justitiæ Lege defècere Pharisæi, quos petit illud Christi fulmen, & horrendum *Væ.*

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum orationes longas orantes, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum Proselytum, & cùm fuerit factus, facitis illum filium gehennæ duplo quàm vos. Matth. c. 23. v. 14. Vers. 15.

Duo hìc acriore stylo notat, pungítque Magister cæteroquin mitissimus.

Primùm, quòd excederent, exhaurirentque domos viduarum, exigentes immane pretium orationum suarum, quas effundebant non zelo Iustitiæ; sed insano ardore lucri.

Alterum quod ex eodem mali fonte manavit, fuit istud, quòd & terras peragrarent, & tranarent maria ut Iudaismo adderent animulam unam, non tam illius amore, non tam æstu propagandæ religionis, quàm sui nominis, ac fortunarum.

Et hinc illum Proselytum, jam additum religioni Judaicæ perdebant malo suo exemplo, faciebant gehennæ filium, quem gratiæ cœlestis, æternæque gloriæ hæredem facere debuissent.

Venio ad quartam Justitiæ Legem: Ea vetat personarum rationem haberi: Crœsus, Irúsve fluat, nihil interest; & hunc, & illum æquus animus aspicit. IV. Lex.

In hanc Legem turpiter impegêre Pharisæi, apud quos divites in gratia & amoribus; pauperes, abjectæque vitæ homunciones propè in odiis.

Hoc Pharisæorum vitium deducunt nonnulli ex ipsa nominis Ethymologia: dicti enim sunt à verbo *Pharas*, quod est dividere, ac separare; quòd ab aliis, hoc est à Publicanis, à pauperibus, à peccatoribus seipsi secernerent; Imò & alios quoque secerni vellent. Hinc objicere Discipulis Christi petulans illud:

Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?

Hæc illi jactare non sine injuria Servatoris, apud quem ea stata, firmáque Lex, ut divitem, ita & pauperem æqua mente, æquis oculis intueri, æquo affectu complecti.

Et hoc ex ipsa Justitiæ Lege, atque præscripto quod jam olim Antiquis ipsum Numen ostenderat; sic enim ad illos:

Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujusquam personam. Deuter. 1. vers. 17.

Majoribus nostris, oculus Justitiæ symbolum fuit, quod hæc cum illo apprimè consentiret.

Est

Est oculus speculum naturæ, quod res omnes sibi objectas exhibet, & spectantibus quasi sistit: verùm ut fideliter exhibeat, sistátque, certam requirit in objecto distantiam.

Si enim hoc removeri nimium contingerit, non videtur; & contra si nimis propinquum, non percipitur.

Quod oculo, hoc, & Justitiæ; in hac, ut in illo, æqua requiritur propositæ rei distantia: & quia hanc non servarant Pharisæi; hinc aberrare quàm turpissimè: Nimirum apud illos longiùs abesse pauperes, quàm ut videri possent, & pensari eorum merita: & è contrario divites ita oculo propinqui esse ut nec percipi possent eorum demerita. Et hinc inmanis error etiam in amore, & prona benefaciendi voluntate. Nec mirùm: *Ubi enim errat oculus, ibi errat affectus*, ut pulchrè D. Ambrosius.

QUÆSTIO QUARTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Dictum est Antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, qui irascitur fratri suo: reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* verſ.21.22.

UTRUM LEX ANTIQUA PROHIBUERIT tantummodò actum externum?

ET UTRUM NOVA IRAM PROHIBEAT? Et quid illa sit ex natura, aut vitio?



Uo sibi proposuit Servator Optimus: Primum ostendere quantum interesset inter antiquam, & novam Legem. Alterum damnare voluit futiles, ac perversas Scribarum, ac Pharisæorum interpretationes, quas eo ipso refellit, quòd & Legem apertiùs, ac fusiùs explicet, & suppleat quæ illi deesse videbantur. Igitur ut ad rem propiùs accedamus: distinguit eò loci tres peccati gradus. *Tres iræ gradus.*

I. Primus est ira, quæ sese intrinsecùs in animo continet, nec elabitur extrinsecùs.

II. Alter iram habet, quæ sese explicat, atque effundit per vocem *raca*, de qua variè sentiunt SS. Patres.

Sunt qui velint nihil omninò significare; sed tantùm exprimere irati animi motus, atque æstus.

D. Chrysostomus ait idem esse, atque *tu*, ut si quis proximum nihili ducens dicat: *Vale tu. Quid vis tu?* Quæ vox despectum sonat.

Theophilacto *raca* idem est, ac conspuendus, dignúsque, qui sputo petatur, tegatúrque; à radice *ros*, id est *sputum*.

Alii *raca* deducunt à Græca voce *ῥακὸς*, id est pannosus: itaque appellare *raca*, est appellare pauperculum, abjectum, hominem nihili.

D. Augustinus opinatur *raca* esse interjectionem spernentis, atque adversantis; & signum animi malevoli.

D. Hieronymus, qui vitam propè omnem in sacris litteris trivit, censet *raca* esse Hebræam, aut potiùs vocem deductam ab Hebræo, *ric*, id est inanem: itaque *raca* notabit, exprimétque hominem inanem, leviusculum, & cerebro vacuum.

Gregorius Michaëlis Minorita in Procemio grammaticæ Syriacæ, addit quod *raca* idem sit ac *testudo*; quod animal Syris ita deforme habetur, ut ab illo abhorreant quàm maximè: inde hominem appellare testudinem pro gravi injuria reputatur.

Ecce ut in una vocula sudat pius Interpretum labor.

III. Postremus peccati gradus (de quo hic Christus) est ira, quæ sese aperit, ac prodit nomine pleno injuriis, ac calumniis, quæ fatuum sonant.

Hæc tria scelerum genera, revocat Christus ad tria Tribunalia. *Ad tria Tribunalia revocantur.*

Primum apud Hebræos dicebatur *Din Mammona*, id est, judicium de re pecuniaria; quod erat Triumvirum. I.

Eò vocabantur causæ minoris momenti, & eò quoque à Christo trahitur ira, quæ hactenùs animo sese continuit, ideóque minor culpa fuit.

Secundum appellabatur *Din Impsat*, hoc est, tribunal Judicii, erat illud Viginntiviumvirum, & in eo agitabantur causæ capitales: v.g. homicidii, aliæque in quibus non jam de fortunis; sed de sanguine, ac vita agebatur. II.

Et eò trahit Christus iram, quæ se verbo acriore ostentat extrinsecùs. III.

Tertium Tribunal vocabatur *Sanedrim*, & continebat illud Judices duos supra septuaginta. In hoc tractabantur causæ longè gravissimæ: quæ scilicet Religionem, Déumque spectabant; ut Hæresis, falsi Prophetæ, Idololatriæ, Apostasiæ. In illo Tribunali jus quoque ei dicitur, qui in vocem contumeliosam eruperit, fratremque suum fatuum appellarit.

Et hæc ad historiæ Evangelicæ Fidem, ac sensum attinent. Descendo ad pauculas, quæ inde moveri possunt Quæstiones. Et quidem

Prima, an Lex antiqua tantùm prohibuerit peccatum, quod in opus externum iret? An non etiam illud, quod animo concipiebatur? An ira menti tantùm impressa prohibita non esset? Ita opinabantur Scribæ, ac Pharisæi, quibus favere videbatur vulgare illud pronuntiatum:

Lex vetus manum prohibebat, non animum.

Verùm ut dicamus, quod ex saniore Theologia dici potest, ac debet: cum ipsa naturæ Lex non modò opus ipsum malum inhibeat; verùm etiam ipsos æstus animi, atque insolentes impetus, necesse est, ut eosdem quoque vetuerit Lex antiqua, utpote conformis, ac consona Legi naturæ, quæ æterna est, atque inviolabilis.

Et hoc ad primam quæstionem sit satis, ea quippe in aperto est.

Quid sit Ira? Venio ad alteram quam initiò proposui: quid sit ira? & quæ damnanda? Ira spectari potest ex natura, ex vitio, ex virtute.

L. 2 de Morb. caus. c. 3. Ex natura. Ex natura, *Ira est fervor caloris circa cor*: Ita Galenus Medicorum Princeps; quo authore, iracundia est quidam ardor, & motus animosæ facultatis, in quo primùm accenduntur sanguis, ac spiritus circa cor; deinde effunduntur, ac totum corpus inflammant.

Ex vitio. Ex vitio autem Ira alia est, atque alia: eam quippè SS. Patres variis nominibus, ceu coloribus, depingunt.

I. Nebula. Ira *Nebula* est, quæ menti lucem eripit, tenebras offundit, & parva ostendit ut grandia.

Vt per Nebulam corpora, ita res per iram apparent grandiores, inquiebat olim Plutarchus, & rectè: animus enim, mens & intelligentia iracundiâ, ceu nebulâ, offuscata etiam minimas injurias in maximis reponit, & ex pusillo culice facit immanem Elephantum. Et hinc voluntatem acuit, armatque in vindictam.

II. Fumus. Orat. de Ira. Ira *Fumus* est: ut enim hic oculos malè afficit; sic & animum Ira, ut scitè notavit D. Nilus.

Tom. 5. Ser. de Mansuet. Amplius aliquid dico: *Ira quasi fulmen in animo*, inquit ore aureo Chrysostomus. Fulmen concipitur in nube exhalationibus igneis gravidâ, quæ per circumstans frigus accensâ latera nubis quatiunt, III. Tonitru. tonitru creant; tandemque eâ disruptâ in fulmen exiliunt, & oculos feriunt. Sic & ira primùm corde concipitur, & impatiens continen erumpit in verborum fulmina, & injuriarum tonitrua.

IV. Fluctus. Ira *Fluctus* est, ac veluti æstus concitati maris. *Aqua ventorum impetu commovetur*, & iratus animus suis cogitationibus quaquaversum agitatur; ut rectè Orat. 4. de Ira. B. Nilus, cujus opinione, & calculo etiam Ira *Fons* V. Fons turbidus. *est; sed turbidus*. Si fons relictus sibi, si quietus; limpidas volvit, atque eructat aquas; at si turbes, lutulentas, ac fordidas.

Iracundi mens fons est turbidus, sordidus & inutilis, inquit ille ipse S. Præsul; à quo transeo ad D. Basilium.

VI. Torrens. Huic Ira *Torrens* est: ut enim hic valido impete è montibus illapsus in concava vallium, obvia quæque abripit, secumque volvit; sic & Ira.

Hom. de Ira. *Quemadmodum torrentes ad cava loca decurrentes secum obvia quæque trahunt: sic & iratum impetus violenti & instabiles omnia percurrunt, atque obruunt.*

D. Basilio consonat D. Nilus, ad quem revocor; sic enim ait: *Vt torrens exundans, quidquid obvium habuerit devolvit: sic ira infervescens mentem secum trahit.*

Et hæ sunt iræ descriptiones à rebus inanimis petitæ: demus alias, quæ ducantur ab animatis, & eam vivis quasi coloribus exprimant.

VII. Leo. D. Chrysostomo Ira est *Leo* truculentus: ut enim hic animantium generi timendus, ut effetus ac cruentus: sic & Ira ubi rationis frænum excussit, jugumque exuit vel maximè formidanda: lacerat quippe, laniatque quà dentibus, quà unguibus ut Leo.

VIII. Vipera. Eidem aureo Oratori, Ira *Vipera* est; ut enim hæc venena diffundit: sic & illa. At quæ, inquies, Iræ venena? Cogitationes atræ, odia, meditatæ cædes, incendia, ferrum, ignes; quos ut mente concipit Ira: sic & re etiam ipsa dispergit. Ideóque judice eodem Hom. 90. ad Pop. Chrysostomo: *Satius est anguem, vel viperam in corde suo latere, quàm iram.*

IX. Scorpio. Lib. Hom. Hom. 32. D. Augustino Ira *Scorpio* est, aut *Aspis*: imò tot Scorpiones, tot Aspides, quot insurgentes sine ratione iracundiæ motus. Hanc ubi Iræ notionem extulit S. Præsul, tum conversa ad populum oratione monet, instat, urget: ut sicuti domum (si fortè in eam irrepsissent Scorpiones, & Aspides) purgarent illicò: sic & animum à venenatis Iræ motibus illæsum servent: & si fortè insurgant, illos statim refrænent. *Frænate iram*, inquit, *quæ vos stimulat ad vindictam: Ira enim Scorpio est.* Serm. 93. de divers.

X. Canis. Hom. de Ira. D. Basilio Ira est veluti rabidus *canis*. sic enim de iracundia philosophatur S. Pater: *Rabie ut canes efficiuntur, pungunt ut Scorpii, mordent ut Serpentes.*

XI. Bellua. Isidoro Pelusiotæ *Ira Bellua* est, eáque indomita, atque impatiens fræni, nisi hoc valida vi potens injecerit manus. Utque injiciat hortatur S. Doctor: L. 3. Ep. 154. *Oculum*; inquit, *& iracundiam velut injecto fræno coerce: ne ille ad adulterium; hæc ad cædem te velut porrectâ manu ducat.* Ne porrò ad illud vitiorum Barathrum præcipiti cursu ducat, agè, illi frænum injice, habenas contrahe, & rege. Eo modo, quo effrænem, atque indomitum equum, quem si domes, & iram quoque domes est necesse. *Quid enim* (ut Senecæ Epist. 88. verbis utar) *quid prodest equum regere, & cursum ejus fræno temperare, affectibus effrænatissimis abstrahi? Quid prodest multos vincere luctatione, ab iracundia vinci?* Enimverò nihil prodest, nisi ut apud Deum judicem reus sis magis; ut qui equum, qui belluam refrænes, ac domes; teipsum autem nec refrænes, nec domes.

Et hæ iracundiæ notiones petitæ à belluis, quarum scilicet naturam, vitiúmque exprimit. Quas subjiciam, ducentur à peccati macula, ab immani peste, à pernicie æterna, quam animo importare solet.

XII. Dæmon. Chrysost. Serm. 48. de divers. Ab hac dicitur Ira *Voluntarius Dæmon, insania spontanea, mentis defectio*; à quibus, *qui irascitur Diaboli ludibrium est, Dæmonum officina, & nequitia illorum dignus minister.* Ecce quibus coloribus Iram, iratóque depingit D. Chrysostomus.

Dæmon est, non necessitate; sed voluntate in animum, ceu hospitium, inductus: si fortè quempiam mortalium tartareus ille genius invadit, atque occupet; infœlicem, atque misellum clamitamus: at infœliciorille, quem superavit ira; utpote, quæ unà cum malo illo hospite gravissima importet mala: Et quidem primùm *insaniam*, eámque, non naturæ errantis, aut deficientis vitio; sed sponte accersitam: Deinde *defectionem mentis*, quæ ferè summum est malum, & à qua cætera mala. Si Sol Orbis oculus; & terræ vita. huic & illi penitùs occideret; propè omnia cum illo occidere esset necesse. Quod mundo Sol, id homini mens, & ratio: hæc ab iracundia cùm deficit, cætera ut deficiant oportet.

Deficiant, inquam, in omnia propè vitiorum genera, quæ teste D. Basilio, *Ira sunt appendices.* Lib. 1. de Guber. *Ira* enim, ut disertè Salvianus; primùm, *Mater est odii*; deinde etiam dissidiorum; tum injuriarum, quæ fœdè jactantur, & proximi famam lacerant; tùm etiam Iræ mali partus. cædium, ac homicidii, aliorúmque vitiorum, quæ ex Ira prodeunt tanquam ex malorum officina.

Horum omnium exemplum habes in Saule; Primùm enim Scriptura teste: *Iratus est Saul nimis*: 1 Reg. c. 18. vers. 8. deinde *post diem alteram invasit eum spiritus malus.*

Ecce ut Ira viam sternit, portámque apent maligno Dæmoni; tum etiam insanis odiis, imò & cædi Davidicæ: De hac & illis sic præclarè B. Petrus Damianus: *In Saülis cor ira præcessit, & mox nequitiæ spi-* L. 4. Ep. 17. *ritum introducit, qui abreptitium suum in zelum vesani furoris accendit: fremebat enim in vasculo suo iracundia spiritus.*

Fremebat, inquam, in Saülis corde, velut in vasculo; è quo odia, calumnias, ferrum, hastas in Davidem innoxium emittebat. Adeò verum illud Divi Basilii.

Vitia omnia *Iræ appendices esse*. Et hoc verum in Ira, quæ rationem, aut excutit, aut præfocat; non autem in ea, quæ illam ducem sequitur.

Qua Ira vocetur in judicium. Et hinc descendo ad ultimum caput propositæ initio quæstionis: quæ Ira hic vocetur in judicium?

Stoici omnem Iram damnarunt, ut malam. Hoc à natura, & ratione alienum est: Ira quippe, uti & aliæ

aliæ humanæ passiones, bonæ esse possunt, saltem non malæ.

Est enim *Ira quædam perfecta*, consona rationi, æternæque Legi; ea scilicet, qua Dei, ac Justitiæ zelo commovemur, quáque sic vitia odio habemus, ut tamen homines amemus. Ad illam nos manu, vocéque duxit Propheta Regius. hâc quidem, dum ait: *Irascimini, & nolite peccare.* Illâ verò dum sic de seipso: *Perfecto odio oderam eos.* *Psal. 138.*

Sed & alia quoque est Ira, quam D. Chrysostomus *intempestivam* appellat, & D. Augustinus *sine causa*. Et hæc peccatum est, quod à Christo vocatur in Judicium, & eâ qui tenetur, dicitur reus esse Judicio.

Lib. 1. Retract. c. 19. Hujus & illius meminit D. Augustinus: *Intuendum est*, inquit, *quid sit irasci fratri suo; quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur.*

Ex illo D. Augustini pronunciato habes, amice Lector, qui irasci possis, ac debeas; qui etiam nec debeas, nec possis sine alicujus culpæ nævo.

Urbane evites, author tibi sum; ut semper Iram regas ex rationis moderamine: ita regere Doctus olim summus Sacerdos, qui *Rationale* gerebat in pectore, ut hoc illi esset quasi *Rationis delubrum*. Est pectus sedes Iræ, ac cupiditatis; ne hæc, aut illa plus æquo effervescat, statue in eo rationem, qui *aurigæ in modum* insideat: ita insidere voluit Isidorus Pelusiota: ita Deus ipse qui rationem homini infudit, ut esset quod dux in acie, quod in Lycæo Didascalus, quod in orbe tenebricoso Sol, quod in corpore oculus, apertus scilicet, ac vigil; qui si is semper sit, ejicientur à te *odium, duritia, amaritudo; quæ venena impatientia* (hoc est Iræ) vocat Tertullianus. *L. 5. Ep. 10.* *Lib. de Patient. c. 12.*

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

Ad illa verba: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade, priùs reconciliare fratri tuo.* vers. 23.

CUR RECONCILIATIO CUM FRATRE SACRIFICIO, aut oblationi debeat esse prævia?

Reconciliatio Sacrificio prævia.



ATIONES Divinæ illius præceptionis petendæ mihi erunt; tum ex ipso loco, in quem venit victimam oblaturus; tum ex ipsius orantis habitu; tum etiam ex oratione, quæ Sacrificium est labiorum; tum denique ex ipsa supremi Numinis præceptione, atque instituto, cui parere pusillos mortales est necesse.

Probatur I. ex loco orationis.

Ad primum quod attinet. Majores nostri, pacis ac concordiæ cultores eximii, sedulò cavebant ne ferrum, & arma in templum inferrentur, quòd ea crederent paci inprimis, ac concordiæ inimica.

Cujus moris amans, ac retinens Theodosius, potentissimus juxta, ac piissimus Imperator, si quando interiora templi subiret adita, & munera oblaturus sacras ad Aras accederet; & foris arma relinquebat, & diadema deponebat: hoc in signum reverentiæ; istud ad symbolum Pacis ac concordiæ. Juvat audire quid ipse de his, & illis.

Nos, inquit, *qui legitimis Imperii armis circumdamur, quósque sine armatis stipatoribus esse non convenit, Dei Templum ingressuri foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema Regiæ Majestatis insigne humiliter deponimus.* Hactenus Augustus Cæsar, qui primò Diadema posuit, quòd crederet coronato vertice se minùs reverenter accedere posse ad eum, per *quem Reges regnant*; & in cujus oculis abjectum est illud omne, quod pusillis mortalibus erectum, ac sublime.

Deinde foris arma reliquit, ut vel hoc ipso doceret foris relinquendas inimicitias, aliáque omnia quæ Christianæ Paci, atque concordiæ essent adversa. Quod ipsum quoque à Gentilibus video usurpatum, non sine laude, ac totius antiquitatis approbatione.

Apollonius apud Philostratum dicitur nunquam preces fudisse, aut sacrificasse *Gladium habens ante oculos*; hoc est cum animo alicui nocendi, aut vim inferendi. Quod Christianis omnibus optarim esse, aut exemplo, aut etiam documento: ut nunquam ipsi vel ad orationem, vel ad sacras Aras venirent acerbiore mente; & qua persæpè, non tam preces in Templis fundere veniunt, quàm ferrum & ignes in capita sibi inimica jacere.

Hujus farinæ hominem sic compellat Divus Augustinus:

Figis genu, collidis frontem in terram, & dicis: O si moriatur inimicus meus! Deus, si quid à te promerui, occide inimicum meum: & utique tu, qui oras ut homo malus, oras contra malum, & facti estis duo mali: ille malè agendo; Tu malè orando incipis esse, quando dicis: Deus occide malum. *Serm. 4. de Sanctis.*

Non sic dixit, non sic oravit David; etsi multos, & graves pateretur inimicos; etsi Saulem adversum; etsi Semei ore fœdo injurias enormes vomentem; etsi rebellem Absalonem & à Patre profugum. In his enim, aliisque adversantium sibi tumultibus: *Voce mea*, inquit, *ad Dominum clamavi.* Rectè *voce mea*, quia ut rectè notat D. Chrysostomus: *Qui clamat adversus inimicos, non edit vocem hominis, sed feræ, sed serpentis.* *Psal 141.*

At David, utpotè hominum mitissimus, hominis vocem edebat, ut qui veniam spiraret, & pacem; non vindictam, & acre bellum: & hoc, & illam, qui petit, Deum orat, Deum alloquitur: *Voce non sua*, sed aliena, qualis esset, aut voracis lupi, aut invidi canis, aut callidi serpentis, aut efferi leonis. Hæ quippè sunt voces perperàm orantium, dissonæ profectò, ac dissentaneæ homini, tum ubique locorum, tum verò vel maximè in sacris ædibus, ad quas venit ad Deum supplex.

II. Ex habitu orantis.

Habitus orantis hic olim fuit antiquo, & prolato more: externo totius corporis habitu, ac compositione supplicem præ se ferebat; nec manu solum, sed etiam ore gestabat oleæ virentis ramum, pacis scilicet, ac concordiæ symbolum; cujus ita meminit Euripides:

Moris fuit supplicum, ut in supplicando ramum oleæ tenerent, & manibus, & ore. *In Androm.*

Manibus quidem, ut re etiam ipsa atque opere testatum omnibus facerent, pacem se velle, & concordiam prensare impensiùs: ore autem ut etiam verbis exprimerent, quis esset animi sensus, quæ cogitationes, quis æstus voluntatis; is scilicet, qui pacem cogitaret, ac loqueretur. Et jure sanè meritissimo: quid enim aliud ab oratione, aut speres, aut expectes?

III. Ex oratione

Est *Oratio elevatio mentis in Deum:* utque ea sit abesse debet omnis dissensio, omnis inimicitia: hæc enim Deum inter, & hominem atram offunderet, atque interponeret nubem, quam pervadere nunquam posset vel ipsa orationis, vel ardor entheus:

De Orat. c. 9.

Memoria injuriæ obscurat rationem orantis, & ejus orationi tenebras offundit, inquit S. Nilus.

De Orat.

Est deinde *Oratio* teste D. Ephrem, *temperantiæ custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, & ad modestiam revocatio, odii ob acceptas injurias medicina.*

Quod si ea est, in illam bono duce Angelo quisquis venit, oportet ut & iram (si fortè insurgat) refrænet, & animum ad quamdam modestiæ serenitatem revocet, & illatas injurias, etiam ultrò condonet. Hoc enim vel ipsa orationis natura exigere videtur, & amabili quadam necessitate importare. Et hoc ipsum est, quod SS. Patres innuere volunt, ubi eam componunt cum cythara: hæc quippe pacis, ac concordiæ hieroglyphicum est. Ut enim grata appellat auribus, ut sonum edat, ac concentum; fides inter se conciliari, atque convenire necesse est: Sic & oratio, ut superis placida accidat, ut cœlo amabilem edat harmoniam, animum requirit benè cum proximo consentientem.

Ideóque si quæ fortè dissensio, si quæ voluntatum, id est affectionum inter se pugna, si quæ effervescens ira, si quod odium menti insederit, illicò deponi debet, etiam in ipso sacræ ædis vestibulo, primoque limine orationis.

Lib. de perf. Inst.

Quod ipsum opportuna similitudinè declarat D. Augustinus: *Quemadmodum*, inquit, *serpentis quoddam genus est: cùm ad bibendum priusquam ad fontem venerit, omne venenum evomit: ita Christianus cùm ad orandum accedit, omnem iracundiam, & odium proximi deponat.*

Est oratio veluti fons aliquis limpidissimus, in quo se ipse inspiciat homo, imò & impressas cœlestium rerum ideas, ac simulacra; quæ equidem intueri dabitur, si modò manu, aut pede, hoc est affectione prava, ira, odio non turbetur fons ille liquidus ac purus: si enim commoveri, turbarique contigerit, tum nihil in oratione, ceu bonorum propè omnium fonte, videre dabitur, nihil haurire quod ad salutem conducat, ac beatitatem.

Lib. 5 Moral. c. 10.

Nunquam commotioni contemplatio jungitur, inquit D. Gregorius, *nec prævalet mens turbata conspicere ad quod vix tranquilla valet inhiare.*

Quia nec Solis radius cernitur, cùm commotæ nubes cœli faciem reducunt: nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillus propriè ostendit.

Hæc S. Pontifex, qui orationem primùm comparat cum Solis radio, quem eripit interposita inimicitiæ, aut odii nubes: deinde etiam cum fonte, quem turbat ab affectu pravo commota conscientia, sic ut nec seipsam videat, nec Deum.

IV. Ex Dei reverentia.

Venio ad postremum caput, quod mihi in hac quæstione proposui; scilicet ad supremi Numinis præceptum, debitámque illi submissionem, quæ exigit ut homini dimittat homo injurias omnes, si victimam, aut orationem superis gratam esse volet: Ut audire licet in illis Christi vocibus, & oraculo

Matth. c. 5. v. 23.

primæ Veritatis: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo.*

Hoc fuit Christi mandatum, quod duo involvit: primum ut ante sacratiores Aras relinquatur munus, non autem asportetur. Et hoc tres potissimùm ob causas, quas paucis attingit D. Paschasius in Matthæum.

Una, *quia quidquid coram Deo rectè offertur, immutari non vacat*; adeóque nec asportari.

Altera, *ut ad eum quantocius coram quo munus statuit, festinus redeat.*

Postrema, ut interea ibi remaneat munus, veluti pignus aliquod futuræ brevi reconciliationis: *Chirographum interea illud esse voluit*, inquit ipse S. Præsul.

Alterum, quod præceptione sua inclusum voluit Salvator Optimus, est: ut leviore gressu vadat, & prius reconcilietur fratri suo; tum deinde redeat, & munus offerat: cujus mandati legem, ordinémque dum attendit D. Chrysostomus, exclamat:

O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! honorem suum despicit dum in proximo charitatem requirit, quid his verbis mitius esse possit? Interrumpatur, inquit, *cultus meus, ut tua charitas integretur?* Hom. 16.

Hæc S. Doctor, ex quo duo stylo notari velim, quæ Dei charitatem mirum quantum commendant.

Primum, quòd propter charitatem in proximum honorem suum despiciat.

Secundum, quòd etiam aliis primas cedat, & secundas sibi servet; ait enim: *Vade priùs reconciliare fratri tuo, & tum veniens offeres munus tuum*; quasi dicat: *Interrumpatur cultus meus, ut tua charitas integretur*; cujus rationes duas produco. V. Ex ratione.

Una est Tertulliani, ut nulla nobis dies abeat sine pœnitentia, sine charitate: sicut nulla abire debet sine sacrificio, & oratione. Lib. de Pœnitent. c. 11.

Nemo, inquit, *convulsus animo in fratrem suum munus apud Altare perficiat, nisi prius reconciliando fratri suo reversus ad patientiam fuerit; non licet nobis una die sine patientia manere.*

Altera est D. Cypriani; quia nulli dabitur venire in Dei charitatem, nisi illi, qui priùs venerit in proximi dilectionem; nec ulli pax erit cum Deo, nisi eùm pax priùs fuerit cum proximo: de hac, & illa sic S. Præsul:

Nullam impacifica orationis precem fieri patitur Dominus; sed Altari munera offerentes, si recordentur habere se cum fratribus aliquid, reconciliata humana pace reverti in Divinam pacem jubet, in Dei charitatem de charitate hominum transituros.

Oculo nota, & animo, mi Lector, hæc duo: de humana pace redire te in divinam: & de proximi charitate transire in Dei tui charitatem; cujus conscia bonæ mentes illud in primis curis habuerunt, ut proximo donarent omnem offensam, & sic grata accideret oblata Deo victima, & labiorum sacrificium.

Exemplo erit in Petri Sede magnus Pontifex.

Unus aliquis è fæce populi animo irreverenti, ore maledico, lingua impudentiore, Sanctissimi Pontificis Pii V famam libello famoso, (quem vulgò Pasquillum vocant) fœdè prosciderat. Is tandem aliquando comprehensus, & Pontifici oblatus, cùm ab omnibus indubiè extremo supplicio afficiendus crederetur, jussus est primò maledicum libellum recitare, tum exponere suóne, an alieno consilio scripsisset illum, ac vulgasset. Cúmque subjecisset reus, se non alieno, sed suo, sed mali dæmonis impulsu id fecisse, adjecit Pontifex illud dignum cedro: Surius in Comment. rerum in Orbe gestarum, p. 827.

Si tu mihi ut summo Pontifici maledixisses, non ferres impunè; at nunc quia in fratrem Michaelem, in monachum Scarponem, in Cardinalem Alexandrinum convitia jactasti, abi liber quò vis. Ego verò humilitatem generis mei, vitæ, & habitus semper & animo retinebo, & libens confitebor, & ero vilis, & abjectus in oculis meis.

Hæc Summus Pontifex. Hoc illius oraculum; hoc clementiæ, & indulgentiæ miraculum, quod

utinam

unnam ut excepit: sic & imitaretur posteritas, quæ etiam probè docta erit D. Cypriani, invicti Præsulis exemplo.

VI. *Ex Sanctorum exempla.* In carceres, & vincula venerat; ac deinde in theatrum, in quo vitam Christi causâ poneret inclyta Cœlo victima: quam, priusquam illud exciperet, & hoc excepit signum Cypriano, dignum Martyre. Carnifici, cujus manu, capite minui debuit, aureos quinque supra viginti donari voluit, tum ut eâ munificentiâ injuriam omnem remittere se testaretur, tum ut hoc genus supplicii etiam pretio emendum esse probaretur.

Habes in virili pectore infractum injuriis animum, sibi immemorem: memorem verò Christianæ pietatis: accipe etiam in molli, fœmineoque sexu. Blondæ, marito vitâ functo, unicus restabat filius, & is quidem viduæ matris amor, ac deliciæ; sed, ô malum! ô nefas! ô furor inveteratæ inimicitiæ! ea quondam adversus patrem ceperat, tenuerat ad usque mortem illius, ac tumulum, in quo tamen needum sepulta; erupit enim, evasitque in filium: sicarii quippè cùm in parentem sævire amplius non possent, in natum ab illo sævierunt, inflictisque vulneribus è medio sustulerunt.

Quid hic bona mater orba marito, orba & filio? ad lacrymas, ad lamenta, ad fœmineos ejulatus confugit, cœlúmque lacessit justis querelis, ac gemitibus: dúmque his aut suam solatur, aut deplorat orbitatem: ecce tibi ingens aliud paratur malum, alia eáque immanis luctus ac doloris materia. Quid non meditatur? quid non audet? quid non potest præceps & cœcus concepti jam odii furor.

Illi ipsi sicarii, sepultum adolescentis cadaver, egestâ humo eruunt, ferrum algido pectori immittunt, rimantur viscera, cor immani crudelitate extrahunt, & parato jam epulo, inter fercula commiscent, improbéque conditum apponunt ferali mensæ, cui cum aliis nobilibus fœminis assidebat mœsta, ac plorans mater; cùm ecce inscia, incautaque de ferali isto ferculo edere jubetur: edit illa, nihilque sinistri metuens etiam cor filii absorbet, & in stomachum demittit. Eo facinore tam barbaro, tam immiti satiata videri potuit antiquæ inimicitiæ rabies: at necdum satiata; nisi illud ipsum facinus sub oculos afflictæ matris poneretur. Et verò positum est; intellexit enim infœlix mulier inter fercula, cibósque & illarum cor filii, & sibi etiam in esca datum.

Quid hic expectes, benevole Lector? quæ irarum fulmina? quæ tonitrua verborum? quæ lacrymarum flumina? quos æstus excitatæ mentis, ac vindictam spirantis? At nihil horum in matre quantumvis desolata; illicò quippè & se in genua abjicit, & ad JESUM, & MARIAM, delicias suas, recurrit, & illatam filio, tibique per summum nefas injuriam deponit ad Crucifixi pedes, & sicariis illis ignoscit, ignoscique etiam è Cælo propitio petit, patientia, ac fortitudine post homines natos inaudita: sic enim ad JESUM, quem sibi in sponsum adlegerat.

Per has ego te lacrymas, per gemitus, per suspiria propè expirantis animulæ; imò tua per vulnera mortémque rogo, atque obtestor, uti perditis illis veniam, vitámque dones; geminum illud facinus, & filii innocentis cædes, & feralis esca, in eaque viduæ matris ludibrium, etiam invito propè Cœlo, extorquere fulmina, & in noxia capita demittere possunt, ac debent.

Verùm; ô Deus, ô Amor, ô JESU corculum meum, ea fugio, ea horreo, & Cœlum ad veniam etiam misellis aperiri volo. Emissa hæc è terris oratio miré placuit superis, placuit & immortali Deo, qui exinde gratias suas, Cœlique gazas in viduæ pectus uberiùs effundere; imò & à sæculo ad religiosam, sanctioremque vitam traducere. Hanc certè exegit inter moniales, quas vulgò Servitas appellamus, & relicto sui desiderio, magnáque virtutis opinione vivere desiit secunda Septembris, anni millesimi, quadringentesimi undecimi. *Ex histor. Ordin. Servit.*

Habes, amice Lector, in fœmina quod mireris, quod ames, quod imiteris; ingentem scilicet animum, injuriis omnibus, ipsaque morte superiorem. Habes illustre fortitudinis exemplum; habes Christianæ caritatis prodigium, cui quàm optimè ascribi potuit hoc lemma: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* *Cant. c. 8. vers. 7.*

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.



IN ipso CHRISTI vultu, ore, oculis potentes erant amoris illecebræ, quibus abstracta ingens hominum multitudo, è villis, oppidis, urbibus excesserat, abieratque in avia deserti loca, etiam itinere tridui, quo si quid annonæ delatum erat, etiam absumptum illud omne. Id ubi advertit Salvator optimus: *Misereor*, inquit, *super turbam, quia ecce triduo sustinent me, nec habent quod manducent.*

Dubia videri potuit, atque anceps cura: Iejunos dimittere, videbatur immanitatis; pascere verò, alienum à vitio solitudinis. Quid igitur? Discipulos quasi in consilium adhibet, quæritque ex eis, quid opus facto? Cui sic illi: *Unde illos quis poterit saturare panibus in solitudine?*

Nemo certè, nemo unus omnium. Ubi dubios vidit, ubi spe bona vacuos; tum ex iis rogat:

Quot

EX D. THOMA.

INTERPRETE D. Thoma, ostendit hic Salvator: I. Quid fugere debeamus; triplex scilicet peccatum: 1. *Operis*; *Non occides*. 2. *Cordis*; *Qui irascitur fratri suo*. 3. *Oris*; *Qui dixerit fratri suo fatue*.

Matth. c. 5. II. Quid timere; videlicet *Judicium*, in quo etiam tria debemus formidare: 1. Est *Judicium*, in quo damnabuntur impii, sic expressum: *Reus erit judicio*. 2. *Concilium* Angelorum, & Sanctorum, in quo iidem impii examinabuntur, sic expressum: *Reus erit Concilio*. 3. *Ignem infernalem*, in quo ii ipsi impii æternùm cruciabuntur; exprimitur ille his verbis: *Reus erit gehennæ ignis*. Delabitur deinde S. Doctor ad Iræ vitium, quod hic damnat Magister Christus, & addit iram *tripliciter lædere naturam*.

Dom. 6. post Pent. Ser. 2.

Serm. 3

Primò enim *Lædit rationem per obscurationem*.

Secundò, *Lædit memoriam per oblivionem*.

Tertiò, *Lædit voluntatem per malam affectionem*, quæ vitia, suâ experientiâ doctus, ita expressit David: *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Oculus est ratio, anima voluntas, venter memoria*.

Psal 30.

Hæc ubi dixit, descendit ad alios effectus iræ, quæ sese extendit ad triplex homicidium: 1. *Sui*: *Virum enim stultum interficit iracundia*, inquit Jobus. 2. *Animæ proximi*, quam odio, & rixis enecat: *Vir quippè iracundus provocat rixas*. 3. *Corporis proximi*, quem iracundus facilè è medio tollit. *Nihil enim ante illum est sanctum*, ut sciitè adverrit Ecclesiasticus; ita nimirum præceps est, ut illum effundat.

Cap. 4.

Prov. c. 15.

Cap. 8.

Post hæc delabitur ad impendentem iræ, & irato pœnam expressam his verbis: *Reus erit Judicio*; In hoc, inquit, *tripliciter accusabitur*:

Primò, *A seipso*. & hoc etiam *tripliciter*: 1. *A conscientia testimonium illi reddente*, inquit Apostolus. Rom 2. 2. *A sua malitia*: *Arguet emm te*, ô iracunde, *malitia tua!* 3. *Ab interiori animi angustia*: *Tum plangent* Iohan. 2. *super se omnes tribus terræ*, inquit Joannes.

Secundò, *Ab omni creatura*, quæ eum judicabit, ac puniet tripliciter: Ejus *malitiam revelando*. *Revelabunt* enim *Cœli iniquitatem ejus*, ut rectè Jobus. Cap. 20. 2. *Expugnando*. *Pugnabit* enim *Orbis terrarum contra insensatos*, ut verè Sapiens. 3. *Puniendo*. *Creatura* Cap. 5. quippè *tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos*; ut notavit ille ipse Sapiens. Cap. 16.

Tertiò, *A Deo Judice*, qui eum *puniet tripliciter*: 1. *Arguendo*. *Venit* enim *Dominus cum Sanctis arguere impios*. 2. *Confundendo*: sic enim per Psalmistam: Iud. 2. *Inimicos ejus induam confusione*. 3. *Sævissimè condemnando*, hoc verborum fulmine: *Ite maledicti in ignem æternum*. Vide qui iræ reus es, quid tibi in illo Judicio, & dum licet, cave. Psal 131. Matth. 25.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 5. post Pent. Ser. 1.

NOTAT primò irasci posse hominem *tripliciter*, *secundùm tria instrumenta corporis*; *scilicet Cordis, Oris, & Manus*. 1. *Nam irascitur aliquis fratri suo perverso judicio malignæ cogitationis in corde*. 2. *Duro verbo injuriosæ conviciationis in ore*. 3. *Pravo maleficio fraternæ læsionis in opere*.

Secundò, In offerendo munere considerandum esse: 1. *Quid?* scilicet *tuum*, *non alienum*; & illud quidem *optimum*. Uti fecit *Abel*: non autem deteriora, ut *Cain*, qui *seipsum Diabolo*, & *viliores spicas obtulit Deo*. 2. *Cui?* nimirum Deo. 3. *Quantum?* scilicet à Domino accepisti, contra quod peccant multi, qui *plus ventri*, *quàm Deo offerunt*. 4. *Quomodo?* scilicet ex affectu magno; *Cor namque*, & *non substantiam pensat Deus*, *nec perpendit quantum in ejus sacrificio*, *sed ex quanto offeratur*. 5. *Ubi*, nempe *ad Altare*; *sed heu multi hodie plus ad aleam*, & *similia offerunt*, *quàm ad Altare*. 6. *Quando?* frequenter, imò quotidie; maximè autem festivis diebus, quibus tamen: (ô dolor! ô pudor!) *Multi peccando plus offerunt Diabolo, quàm Deo*.

Serm 2.

Tertiò, Triplicem nobis esse fratrem, cui reconciliari debemus; videlicet *Christum*, *Angelum*, *Hominem*. *Christum*, inquam, *cui reconciliamur pœnitendo*; *Angelum*, *cui reconciliamur acquiescendo*; *Hominem*, *cui reconciliamur indulgendo*. de quibus fusiùs S. Doctor; ego brevi compendio, ut erudito Lectori materiam suggeram, & argumentum, in quo latiùs sese diffundat. Serm. 4.

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORARIS.

Ad illa verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum*. Matth. 5. v. 20.

PHARISÆI UNDE DICTI?



FUERUNT Judæis tres ordines, ac veluti classes hominum, qui Divinis obsequiis mancipati videbantur.

Primi fuerunt ii, qui tabernaculo, aut etiam templo serviebant: Et hi dicti sunt Sacerdotes, ac Levitæ.

Pharisæi. Secundi fuerunt illi, qui ad sacræ Scripturæ custodiam, & interpretationem adhibiti, ut ad populum è pulpito dicerent, docerentque è Cathedra, quæ Divinæ legis essent: Isti vulgò appellati Pharisæi, Scribæ, Legisperiti.

Postremi fuerunt isti, qui à vulgo remoti, qui vitæ puriors, ac sanctioris æmuli: Et hi vocati sunt Rechabitæ, Essæi, Nazaræi.

His & aliis omissis, de Pharisæis in præsentia est quæstio, unde sic appellati?

Duæ sunt ea de re Interpretum opiniones; Una censet Pharisæos dictos à verbo *Pharats*, hoc est, *dividere*

I. Divisi. *dividere*, quod se à cæteris tanquam justos ab injustis dividerent.

Cap. 18. v. 11. Huic nomini consonat ille fastus Pharisæi, quem bellè sic expressit D. Lucas:

Duo homines ascenderant in Templum; Pharisæus unus, Publicanus alter: Pharisæus elatu supercilio, gravi voce, insolenti mente, sic inquit:

Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, velut hic Publicanus. Ecce fastus, ecce effrænata superbia, qua se ab aliis, ac nominatim ob hoc Publicano dividit, ac separat. Et hoc quidem patet ex ipsa notione nominis malè ominati; de quo est

II. Interpretes. Altera opinio, quæ Pharisæi nomen trahit à verbo *Pharas*, id est interpretari; quod eis incumberet Scripturam sacram populo prælegere, atque explicare.

Ex hoc officio manavit illud Christi ad populum: Matth. c. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæcumque dixerint vobis servate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.*

L. 4. de Doct. Christ. c. 27. De hac Cathedra quæstionem movet D. Augustinus; cur jusserit Christus servare quæ dicerent, non quæ agerent Pharisæi? An non eadem hujus, atque illius ratio? An non dicere mala potuerint, qui facere etiam pessima potuerunt? Cur igitur jubet servare quæ dicerent? Hic est nodus difficultatis, quem expeditè solvit D. Augustinus.

Mosaicæ Cathedræ privilegium. Ait enim factum suavi, & mira Dei Providentia, ut è Cathedra Moysis non nisi bona, veráque jactarent Pharisæi; nec verò mala, falsáve ex ea dicere potuisse. Audiamus ipsum ut aliàs solet elatè, doctéque disserentem.

Illa Cathedra, inquit, *non eorum, sed Moysis cogebat eos bonum dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua, in vita sua; docere autem sua, Cathedra illos non permittebat.*

Hic siste, mi Lector, & oculo, mentéque nota hæc paucula.

Primùm, quòd ea *Cathedra*, non Pharisæorum; sed *Moysis*: & inde ab hoc religionis, & veritatis dabat oracula, nihilque ab illis vitii patiebatur.

Deinde *cogebat eos bona dicere*, utique etiam & vera; illam & verum bonum, & bonum verum.

Cogebat, inquam, non vim aliquam voluntati illorum inferendo: sed monendo suaviter; & efficaciter impellendo, eáque in mentem, linguámque inferendo, quæ proferrent quàm verissimè ad subjectæ concionis bonum. Ita nimium amabilis Dei Providentia facit, ut non nisi bona loquantur etiam ii, qui mala faciunt. Cujus rationem subjicit ille ipse S. Præsul: quia Pharisæi è cathedra non docent sua, sed Dei; secus autem in vita, sua agunt, non Dei.

Quod ipsum disertis verbis confirmat libro contra Faustum; docet enim Providentiam Divinam ita incubuisse illi Cathedræ, ut non sit passa ex ea falsa dogmata unquam ventilari. L. 16. c. 29.

In cujus Cathedra, inquit, *etiam mali sedentes bona dicere cogebantur.* Et Epistola sexagesima sexta supra centesimam; de eadem Moysis Cathedra sic piè philosophatur, ut hoc astruat: *In qua coguntur etiam mali bona dicere; neque enim sua sunt, quæ dicunt; sed Dei, qui in Cathedra unitatis Doctrinam posuit veritatis.* Epist. 166.

Et hinc mihi in manus datur argumentum, quo acriter depugnem pro Cathedra Petri contra nostri temporis hæreticos: si enim Pharisæos, homines cæteroquin perditæ, ac prostitutæ vitæ; malum tamen, aut falsum efferre non permisit; permittétne è Petri Sede, Cathedráque veritatis, aut malum, aut falsum Dogma proferri? enimverò non permittet. Petri Cathedræ authoritas.

Stat enim, stabitque in ævum omne, inconcussa ea veritas, quam extulit ipse Salvator Optimus, & qua adpromisit fore, ut ne quidem inferorum portæ adversus eam Sedem aliquando prævalerent: at prævalerent omninò, si ex ea prodire posset, aut elabi falsum Dogma, si afflari Spiritu mendacii.

Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede; ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ; inquiebat olim Augustinus. Verùm ne longiùs: Hæc ex occasione, & quasi per transennam attigisse sit satis. Redeamus ad Pharisæos, vidimus quid nominis; attendamus qui rei sint, & quod genus hominum.

QUÆSTIO SECUNDA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad eadem verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum?*

QVOD GENVS HOMINVM PHARISÆI? Et quæ eorum vitia?

Vitia Pharisæorum. RIMUM vitium quo laborârunt Pharisæi, & malè apud Christum audierunt, hoc fuit: quod cùm optimè dicerent; viverent tamen quàm pessimè: ita scilicet doctrina à moribus dissentiebat.

Hinc illæ querelæ, hinc timendum *væ*, quod illis intentavit Christus, & quod excepit, expressitque Lucas:

Cap. 11. vers. 52. *Væ vobis Legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.*

I. Vita doctrinæ dissimilis. Divina Providentia, quæ rudiori, & ignaræ plebeculæ de Magistro prospicere solet, Pharisæis in manus dederat scientiæ clavem, qua reserarent arcana sapientiæ melioris adita, qua alios ducerent etiam in intima illius penetralia. Sed, ô malum! ô præposteræ cogitationes! ô studia perversa! aliis ea aperuerunt Pharisæi; clauserunt autem sibi: alios docuerunt probè, seipsos improbè: & quod lingua ædificabat, destruebat manus; quia scilicet doctrina cum vita, moribúsque non conveniebat.

Et hæc prima fuit in Pharisæis labes, & macula, quæ etiam est hujus ætatis, in qua visuntur plurimi, quibus ut doctrina quàm optima; sic vita est quàm pessima.

Hos D. Chrysostomus ait esse similes Comœdis, aut Tragœdis. Vidisti quandoque in Scena Comœdum aliquem, aut Tragœdum: erumpit ille in Theatrum, Procerum coronâ septus, purpurâ illustris, sceptro, & diademate clarus, eóque habitu Regem exhibet; ac mentitur: at peracta Scena Regem exuit, & is visitur, qui re ipsa fuit vilis, abjectúsque homuncio; homo teruntii, homo nihili. Hom. 1. in Acta. Similes Comœdis.

Sic in hujus vitæ Scena, sic omninò res agitur: plerosque enim videas, qui aut veste Sanctum mentiantur, ac fingant, aut linguâ, aut voce æqui, rectíque tenaces esse videantur: hos enim verbis suis exprimunt, jactant è pulpito, veluti Comœdi, aut

Tragœdi:

Tragœdi: at ubi vitam hanc mortalem, ceu vestem, posuerint; ubi peracta brevis ævi Scena, tum liquidò apparebit à virtute, à gratia, à Dei donis vacuos fuisse, & pauperes; imò quod ampliùs est onustos vitiis, infames, cœlo terrisque graves, quales & Pharisæi, quos scilicet vitâ referunt, etsi non nomine.

Illos D. Basilius bellè exprimebat hac similitudine:

P Aoribus. Spectasti, inquiebat, in officina pictoris alias, atque alias imagines affabrè pictas, atque elaboratas; ludit enim in nuda tabellæ area pictoris manus, atque industria: colores diducit, vultus exprimit; & licèt turpissimus sit ipse, pulchellos tamen, & formosulos effingit.

In hac vita degimus tanquam in officina, in qua multis usu venit, quod pictoribus; speciosas virtutum imagines in aliis benè pingunt; in his insignem vitæ, morúmque castimoniam; in illis demissionem animi; in aliis ingens robur, & vim arduam in adversis, aliáque magnarum virtutum decora: at in seipsis turpissimas vitiorum imagines, ac monstra exprimunt, eáque exhibent etiam in omni vita.

Terminis. Hos alia similitudine rectè depingit D. Augustinus: Ait enim hoc genus hominum simile esse terminis, sive statuis, quæ erigi solebant in biviis. Nimirum apud Antiquos id in more positum fuit, & benè. Ubi dubia occurrebat semita, ubi biceps, aut triceps via: attollebatur hominis statua, quæ digito monstraret quæ via tenenda, quæ declinanda, quæ Thebas duceret, quæ Athenas. Quod viarum termini, hoc mortalium plerique ritè docent, atque ostendunt, quæ virtutis via, quæ ad superos semita: at & hanc, & illam ineunt nunquam; sed eodem quasi immoti vestigio manent, nec unquam promovent, nisi fortè in pejus, barathrúmque vitiorum, ac perditionis.

Ethic. 3. Aristoteles purioris Philosophiæ ocellus, in Ethicis suis statuit istud pronunciatum dignum cedro: *Meliùs est mori, quàm aliquid facere contra bonum virtutis.*

Statuit, inquam, & ceris melioribus in posteros emisit; at non expressit moribus, & vita; nec expressere alii, qui eadem principia è cathedra auditorum auribus commisêre. Nimirum etiam illi eam suo nomini maculam dedere, quam deinde Pharisæi, quam & alii consequentibus ætatibus longè plurimi, qui ut docuerint quàm bellissimè, vixerunt tamen longè turpissimè. In ejus farinæ hominem, verti potest illud Christi, ore regio, id est Davidico:

Ps. 49 v. 16. *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

Nimirum oculus ille Divinæ, supremæque mentis non aspicit, non patitur justa judicia sua, & sanctas Testamenti leges ore tantùm vulgari; vult etiam opere, atque exemplo.

Et hoc, & illo vulgavit Regius Vates, qui hæc de seipso, & verè & piè: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

Pedibus, inquam, non oculis. Hoc est praxi, non nudæ speculationi.

Ut enim rectè notat D. Hieronymus: Sunt qui lucernam Divini Verbi circumferant manibus, id est, operibus suis, exemplóque vitæ sanctioris: Sunt alii, qui eandem lucernam mente, hoc est, doctâ intelligentiâ gestent; ii scilicet, qui de virtute benè sentientes, benè docti: Sunt etiam nonnulli, qui ore eam ostentent; qui scilicet de virtute & disertè loquuntur, & alios edocent: Sunt denique plerique, qui lucernam pedibus exportent, hoc est longè, latéque circumferant Dei verbum, & eo, ceu luce cœlesti, ceu calore Divino animos auditorum accendant; priùs tamen ipsi & illa luce perfusi, & illo æstu succensi. Atque ex his esse te velim, mi Lector.

Transeo ad aliud vitium, quod & in Pharisæis aculeata oratione notavit Christus; quod nimirum II.
toti essent, ut mundum, probéque lotum esset corpus: Hinc si è foro redirent lavare manus (fortè ut sordes in eo contractas eluerent) si accumbendum mensæ, si incumbendum lectis, & his, & illis adhibere frequentes, importunásque lotiones: adeò munditiès, nitorque corporis erat in primis curis. Cura solius hominis exigui.

Et hoc est, quod arguit, damnavitque Christus varias ob causas.

Prima quòd crederent immunditiam corporum, ciborum, vasorum elabi ad ipsum animum, eumque inficere, atque inquinare.

Altera ratio fuit ingens Pharisæorum superstitio, qua sibi persuadebant has lotiones, ac velut Baptismata, ad religionem, Divinúmque cultum pertinere; adeóque ea qui sprevisset, & ipsum Numen sprevisse videretur.

Postrema causa, eáque Princeps hæc fuit, quòd ita occuparentur in corporis cura, ac mundinie, ut de animo parum, aut nihil cogitarent. Hinc illæ Christi querelæ: *Vos Pharisæi, quod deforis est mundatis, quod autem intus est, plenum est rapina, & iniquitate.* Luc. 11. 39.

An non plerique sunt, etiam hoc quo spiramus ævo, quibus impensior cura corporis, quàm animi: illius venustatem, cultúmque venantur, amántque studiosiùs, auro, gemmisque onerant; de mentis nitore, ac decore (qui in virtute positus est) vel exiguus, vel nullus labor.

Si agitur de bonis hujus ævi, ac fortunæ, si de aliquo beneficiolo; nec labori, nec viæ parcitur, ne Romanæ quidem: hinc antiquæ, & justæ religiosi viri querelæ: *Pro medica præbenda longa via curritur; pro vita æterna vix à multis pes à terra movetur.*

Si corpori malè sit, evocantur undique medici; quæruntur etiam extremo orbe remedia, aurum, gemmáque bibitur; & hoc tantùm ut putidæ carni benè sit, ut sua illi stet salus, atque incolumitas. Secus omninò fit animo, ubi à lethali noxa, ceu morbo, seu etiam morte laborat ac fatiscit, differuntur in dies, in menses, in annos remedia; etsi obvia sint, & cuique parabilia.

Certè is stupor vitium redolet Pharisaicum. At, inquiet unus aliquis, non omnis damnanda lotio, curáque munditiei. Fuit enim, fuit olim apud antiquiores Christianos recepta consuetudo, ut non nisi *manibus lotis, candidisq; induti vestimentis in Ecclesiam ingrederentur;* ut scitè notavit D. Chrisostomus. In Matth. 52.

Non abnuo: at ille ritus documento fuit, atque incitamento, ut similiter lota mente, hoc est innoxia, & pura ad sacras Aras procederent. Sic quippè ex illo more avito, & pio ratiocinatur, urgétque B. Laurentius Justinianus: *Absterge maculas interioris affectus, & lota anima facie, atque veste induta nuptiali securus ad Deum accede;* & sic curam habe nitoris unius corpusculi, ut magis tamen animæ. De connubio verbi & animæ, c. 22.

Dic enim amabo te, mi Lector, sit domi ancilla, sit & conjux; utrique malè sit, cui primùm consules? ancillæ, an conjugi? si illi, ex Pharisæis es; si huic, ex Christianis.

Clariùs rem explico: corpus est ancilla; anima conjux, vel si mavis Domina; huic si sapis, consule, huic stude: ni facis, in te cadet illud Christi fulmen: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum.*

Sed & alia labes fuit, quæ Pharisæos malè affecit: ea porrò fuit, quod quæ minima essent in lege, viderentur observare quàm arctissimè. Quæ autem majoris momenti censeri poterant, ac debuerant, ea præterire & contemnere. Hinc illæ cœlo minæ, illáque Christi fulmina.

Væ vobis Pharisæi qui decimatis mentham & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem Dei. Luc. 11. 42.

Duæ sunt virtutes, veluti cardines bonæ mentis:

judicium

judicium & charitas. Judicium sive Justitia suadet cuique jus suum reddere, æqui bonique tenacem esse, nihil per vim rapere, nihil malis artibus dolisve possidere. Itaque cum proximo agere quàm optimè.

Charitas autem in Deum effert, illi hominem jungit, facitque ut perenni nexu ei adhærescat.

Hæc duo præcepta, quibus ceu cardinibus verti debet mortalium vita. Et hæc tamen in postremis reponere Pharisæi, & in minimis primas curas locare: decimas enim pendere in mentha, ruta, & olere, quæ inter plantas, ac fructus minima; benè tamen olentia, & conformia vano Scribarum & Pharisæorum ingenio: ut qui bonum nominis sui odorem, famam inter sibi bonam affectarent, non solidæ virtutis studio, sed insulsæ vanitatis.

III. Ambitio. Et hinc aliâ quoque notari maculâ, alio vino malesanæ ambitionis, in quam illæ Christi minæ, & timendum *Væ*.

Væ vobis Pharisæi, qui diligitis primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro.

Est bonæ mentis, & humilis animæ titulos illos, altaque nomina fugere, nec admittere nisi ubi charitas, aut necessitas exegerit.

Et ita video factitatum à Sanctis. D. Augustinus, quem dum nomino, lumen orbis, doctrinæ solem, prodigium virtutis ostendo, adeoque dignissimû, qui primas cathedras occuparet, & sacrariora subsellia, eas tamē ab se ipse quàm potuit longissimè removit.

Testis erit ea, quam ad Valerium dedit Epistola; in qua de Insula, de cura, dignitatéque Episcopi sibi imposita sic sentit, & loquitur: *Vis mihi facta; merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.* Epist. 148.

Qui primis Ecclesiæ gubernaculis assidet, est summus Pontifex; qui secundis Episcopi: quos inter etsi merito suo assideret Augustinus, gubernaculúmque regeret quàm optimè; tamen (quæ animi demissio fuit) remum vix tenere se posse existimavit.

Et hic in illo sensus fuit: nec dispar in D. Anselmo, qui dum invitus ad culmen Episcopale trahitur, sic de illis, qui reluctantem rapiebant est questus.

Lib. 3. Ep. 7. *Quando me Episcopi, Abbates, aliique Primates ad Ecclesiam trahentes contradicentem rapuerunt, dubium videri potuit: utrum sanum insanis, an insanum traherent sani: nisi quia illi canebant, & ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore & dolore pallebam.*

Ecce ut pallor ora, & stupor, dolórque animum invadit novelli Præsulis; & hoc tantùm, quia cogitat onus quod imponitur, & in ea cogitatione, & animam, & sensum propè amittit, atque ab astantibus aqua benedicta aspergitur. Sic enim in eadem, epistola, & doloris, & timoris, & stuporis sensum aperit Anselmus; cui similes hæc ætas si haberet omnes, nulli omninò in illud dignitatis culmen evolarent. Verùm proh dolor! etiam hoc ævo sunt, qui amant primas cathedras in Synagogis. Adeò verum illud Tertulliani:

Ad primum locum certamen omne contendit: secundus solatium habet, victoriam non habet. L. 2. ad Valer. cap. 3.

Ita nimirùm ad primum locum imus omnes, ea ferè contentione, qua miles præfervidus ad victoriam; quasi primum locum occupasse, sit vicisse; & secundum, aut tertium tenere, sit esse victum.

Si porrò quæras unde is ardor? ea sitis atque honorum cupiditas? audies ea D. Cypriano: quia *ambitionis salsugo bibulam animam occupat.* Praef. de Card. oper.

Ut charta bibula humorem aqueum non effugit, atque imbibit; sic hominis animus ubi sese ambitioni commiserit cum illius salsuginem exhaurit, neque percipit infoelix, quæ sub modico honoris felle sit amarities.

Ex hoc genere hominum fuerunt olim Pharisæi, qui præcipiti mente, præpropero pede in dignitates, & principes cathedras inclinabant. Atque ex hoc etiam sunt ii, qui insano ambitionis æstu ad Infulas aspirant, primasque in Ecclesia curas eas ex honore, non ex onere metientes, quos ita carpit Gilbertus Abbas;

Nimis prompti, & parum providi vires nostras minus pensantes, festinamus ingredi in labores Prælationis, in sollicitudinum molestias, & materiam lapsus, nec expectantes vel semel vocari, ultrò nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel prævenientes, vel arte procurantes. Serm. 29. in Cant.

Non sic sponsa, non sic mens excelsa, & Deo cara; si vocatur illa ad gloriæ culmen, ad coronas, ad eas non venit nisi iterum, iterúmque vocata.

Testes illæ sponsi voces: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Quæ verba etsi de corona beatitatis intelligi putem; ea tamen etiam de sacratiori dignitatis culmine, ac corona accipi posse opinatur Gilbertus Abbas, indéque conficit ad Infulas, non esse eundum nisi quàm tardissimè, & quidem coelo vocante. Cant. c. 4.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad eadem verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum?*

QUÆ SINT JUSTITIÆ LEGES? in quas peccarunt Pharisæi?

Justitia quid sit? JUSTITIA à Theologis quandoque latiùs sumitur, ut sit complexio virtutum omnium; quandoque pressiùs, ut sit una virtus singularis ab aliis omnibus, naturâ, officio, dignitatéque secreta. Hanc ita definit Ulpianus:

L. Justitia D. de Iure & Iustitia. *Justitia est constans, & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi.*

Eam Jurisperiti partiuntur in commutativam, distributivam, & legalem, & si pateris, etiam vindicativam.

Justitiæ species. Commutativa privatum cum privato sic nectit, ut suum huic, & illi jus cedat.

Distributiva Rempublicam spectat, & illius capita, à quibus sic dividuntur beneficentiæ fontes, ut non fluant in immeritos.

Legalis, civem cum Republica sic jungit, ut illius bonum procuret tanquam ejus pars, & membrum magni corporis.

Vindicativa animadvertit in delinquentes, & æquam scelere poenam infligit.

Et quia Servator Optimus dum meminit Justitiæ Pharisæorum, sic intelligi potest, ut tam Justitiæ latè sumptæ meminerit; quàm illius, quæ pressiùs accipitur; ideò hic exponam tam hujus, quàm illius leges, contra quas peccarunt Pharisæi. Justitiæ Leges.

I. Lex. Justitiæ latius acceptæ pro quovis opere justo, hæc esto Lex. Seipsam spectet ipsa, seipsa contenta sit, nec aliorum oculos, aut famam, aut præmium quærat; sibi enim satis est ipsa. de illa sic D. Ambrosius:

L. 2. Offic. cap. 1. *Beata planè Iustitia, quæ non alienis æstimatur judiciis; sed domesticis percipitur sensibus, tanquam sui judex: neque enim populares aliquas opiniones pro mercede aliqua requirit, neque pro supplicio pavet.*

Meritò sanè *sui judex* est Justitia, & virtus omnis: sibi ipsa præmium decernens, imò præmium ipsa sibi. Ut enim pulchrè Seneca:

Epist. 113. *Doceat me quam sacra res sit justitia alienum bonum expectans, nihil ex se petens nisi usum sui. Non est quod spectes, quod sit justæ rei præmium, majus quàm justum esse.*

Contra hanc Justitiæ legem deliquerunt Pharisæi, qui si fortè elaberentur in opus rectum, in actum alicujus virtutis; sibi inde nomen, famámque facere moliebantur, eam ore patulo jactabant etiam ad tubæ clangorem: hoc uno certè rei, quod non tam virtuti studerent, quàm famæ. *Qui enim* Suprà. *virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ*; inquit Seneca.

II. Lex. Altera lex Justitiæ est, ut qui eam tulit, aut docuit, ex illa quoque vivat ipse, & ad illius normam actiones omnes, facta, dictáve componat.

Extat ea de re hoc Theodosii monitum nulla unquam oblivione delendum.

L. digna vox C. de Const. Princip. *Digna vox Majestate regnantis, legibus alligatum se profiteri.*

Principibus, ac rerum Dominis imperat recta ratio, atque æquitas, qua duce, ac præceptrice eas sibi leges servandas esse censent; quas aliis imposuerint ipsi.

De Divina Providentia, de primo, ac summo Legislatore Deo id asseruit Seneca:

Lib. de Div. Provid. c. 5. *Ille ipse omnium conditor, ac rector scripsit quidem fata; sed sequitur: semper paret, qui semel jussit.*

Hæc ille, qui errat in eo, quod fatum statuat, Deúmque illud sequi velit: quàm verissimè tamen ad institutum meum verti potest illud in humanis; *semper parere, qui semel jussit.*

At non sic Pharisæi; multas illi leges condere, nullas servare; onera gravia aliis imponere, ipsi excutere, & ne digito levare. Et hinc etiam in hanc justitiæ Legem quàm gravissimè delinquere.

III. Lex. Sed & alia Justitiæ lex, & ratio æquitatis: Spectat illa commune bonum, non privata commoda.

B. Laurent. Iustin. *Vera Iustitia magis aliis, quam sibi prodest, & utilitates suas negligit, communia emolumenta præponens*, inquit B. Laurentius Justinianus.

Quod effatum magni Præsulis consonum est ipsi naturæ, genióque Justitiæ: inter quam & alias virtutes hoc interest, quòd hæ uni quodammodo supposito suo studeant, uni illi serviant, ac consulant; at verò Justitia aliis potissimùm vacare videtur.

Prudentia dictat quid tibi quáque in re sequendum, quid fugiendum.

Temperantia libidinem, iram, tristitiam, aliósque animi motus temperat, ne rationis Leges excedant.

Fortitudo timorem expellit, & nimiam abjectæ mentis demissionem erigit, ac sustinet. Sicque à prudentia, temperantia, fortitudine uni tibi est benè; à Justitia autem aliis est quàm optimè. Neque enim teipsum, tuúmque bonum hæc attendit; sed aliorum cōmoda, facultates, utilitatem spectat, ac tuetur.

Ethic. l. 5. cap. 7. *Omnium virtutum sola Iustitia in bonum alienum dicitur: quia non ad suum commodum, sed ad aliorum omnia confert. Aliorum enim commodis, utilitatiq; servit, aut Principis, aut Reipublicæ*, inquiebat olim Philosophus.

Ab hac Iustitiæ lege recedunt quàm longissimè ii omnes, qui aut fortunas suas augere student, aut lucrum amant, ac venantur improbè; sive populo jus dicendum sit, sive dicendum è pulpito, & divinioris Sapientiæ placita evulganda.

Apud Thebanos Magistratuum statuæ formari solitæ sine manibus; Principum autem clausis oculis, ut vel in ipsa eorum specie legeres, quæ esse deberet veræ Iustitiæ ratio: ea scilicet, quæ nec manibus ad se dona raperet, propriis intenta commodis; nec oculis capi posset, & à communi utilitate dimoveri.

Si quos sic capi, sic dimoveri contigerit, audiant illud B. Etmundi; audax quidem, & liberum pronuntiatum, sed verum tamen: *Prendere*, & *pendere*, nonnisi unâ litterulâ discrepare. Henriquez. l. 1 Ordin. Cist. D. 51. c. 6.

Nimirum suspendio proximus est, qui munera præter nefas accipit. Et cum una manu à clientibus suis dona Judex arripit, altera sibi laqueum texit, ac parat. Et hoc D. Etmundo judice. Sed ne minis istis, & secali ligno chartam ampliùs quàm par est oneremus; institutum prosequamur.

Quæ Magistratibus, ac Principibus Justitiæ lex imposita; eadem & Doctoribus, quibus ex officio incumbit subjectum populum è cathedra docere: Et hoc quidem studio boni communis, non privati.

Ad hoc porrò studium, & normam æquitatis alludere visum olim *Rabbini* nomen, quod populi Doctores, & controversiarum arbitros significavit. *Rabbi* enim Hebraice dicitur *multus*, à radice *ramam*, hoc est multiplicari; quòd Doctor, ac Fidei Magister quodammodo multiplicari, ac multus esse debeat, & hoc quidem ut multis ab illo benè sit.

Ab hac Justitiæ Lege defécere Pharisæi, quos petit illud Christi fulmen, & horrendum *Væ*.

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis Matth. c. 23. v. 14. *domos viduarum orationes longas orantes, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum Proselytum, & cùm fuerit factus, facitis illum filium gehennæ duplo quam vos.* Vers. 15.

Duo hic acriore stylo notat, pungítque Magister cæteroquin mitissimus.

Primùm, quòd excederent, exhauriréntque domos viduarum, exigentes immane pretium orationum suarum, quas effundebant non zelo Iustitiæ; sed insano ardore lucri.

Alterum quod ex eodem mali fonte manavit, fuit istud, quòd & terras peragrarent, & tranarent maria ut Iudaismo adderent animulam unam, non tam illius amore, non tam æstu propagandæ religionis, quàm sui nominis, ac fortunarum.

Et hinc illum Proselytum, jam additum religioni Judaicæ perdebant malo suo exemplo, faciebant gehennæ filium, quem gratiæ cœlestis, æternæque gloriæ hæredem facere debuissent.

Venio ad quartam Justitiæ Legem: Ea vetat personarum rationem haberi: Crœsus, Irúsve fluat, nihil interest; & hunc, & illum æquus animus aspicit. IV. Lex.

In hanc Legem turpiter impegêre Pharisæi, apud quos divites in gratia & amoribus; pauperes, abjectæque vitæ homunciones propè in odiis.

Hoc Pharisæorum vitium deducunt nonnulli ex ipsa nominis Ethymologia: dicti enim sunt à verbo *Pharats*, quod est dividere, ac separare; quòd ab aliis, hoc est à Publicanis, à pauperibus, à peccatoribus seipsi secernerent; Imò & alios quoque secerni vellent. Hinc objicere Discipulis Christi petulans illud:

Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?

Hæc illi jactare non sine injuria Servatoris, apud quem ea stata, firmáque Lex, ut divitem, ita & pauperem æqua mente, æquis oculis intueri, æquo affectu complecti.

Et hoc ex ipsa Justitiæ Lege, atque præscripto quod jam olim Antiquis ipsum Numen ostenderat; sic enim ad illos:

Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujusquam personam. Deuter. 1. vers. 17.

Majoribus nostris, oculus Justitiæ symbolum fuit, quod hæc cum illo apprimè consentiret.

Est

Est oculus speculum naturæ, quod res omnes sibi objectas exhibet, & spectantibus quasi sistit: verùm ut fideliter exhibeat, sistátque, certam requirit in objecto distantiam.

Si enim hoc removeri nimium contigerit, non videtur; & contra si nimis propinquum, non percipitur.

Quod oculo, hoc, & Justitiæ; in hac, ut in illo, æqua requiritur propositæ rei distantia: & quia hanc non servarant Pharisæi; hinc aberrare quàm turpissimè. Nimirum apud illos longiùs abesse pauperes, quàm ut videri possent, & pensari eorum merita: & è contrario divites ita oculo propinqui esse ut nec percipi possent eorum demerita. Et hinc immaris error etiam in amore, & prona benefaciendi voluntate. Nec mirùm: *Ubi enim errat oculus, ibi errat affectus*, ut pulchrè D. Ambrosius.

QUÆSTIO QUARTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Dictum est Antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, qui irascitur fratri suo: reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* vers. 21. 22.

UTRUM LEX ANTIQUA PROHIBUERIT tantummodò actum externum?

ET UTRUM NOVA IRAM PROHIBEAT? Et quid illa sit ex natura, aut vitio?


U o sibi proposuit Servator Optimus: Primum ostendere quantum interesset inter antiquam, & novam Legem. Alterum damnare voluit futiles, ac perversas Scribarum, ac Pharisæorum interpretationes, quas eo ipso refellit, quòd & Legem apertiùs, ac fusiùs explicet, & suppleat quæ illi deesse videbantur. Igitur ut ad rem propiùs accedamus: distinguit eò loci tres peccati gradus.

Tres Iræ gradus.

I. Primus est ira, quæ sese intrinsecùs in animo continet, nec elabitur extrinsecùs.

II. Alter iram habet, quæ sese explicat, atque effundit per vocem *raca*, de qua variè sentiunt SS. Patres.

Sunt qui velint nihil omninò significare; sed tantùm exprimere iram animi motus, atque æstus.

D. Chrysostomus ait idem esse, atque *tu*, ut si quis proximum nihili ducens dicat: *Vade tu. Quid vis tu?* Quæ vox despectum sonat.

Theophilacto *raca* idem est, ac conspuendus, dignúsque, qui sputo petatur, tegatúrque; à radice *roc*, id est *sputum*.

Alii *raca* deducunt à Græca voce *ῥακὸς*, id est pannosus: itaque appellare *raca*, est appellare pauperculum, abjectum, hominem nihili.

D. Augustinus opinatur *raca* esse interjectionem spernentis, atque adversantis; & signum animi malevoli.

D. Hieronymus, qui vitam propè omnem in sacris litteris trivit, censet *raca* esse Hebræam, aut potiùs vocem deductam ab Hebræo, *ric*, id est inanem: itaque *raca* notabit, exprimétque hominem inanem, leviusculum, & cerebro vacuum.

Gregorius Michaëlis Minorita in Prooemio grammaticæ Syriacæ, addit quod *raca* idem sit ac *testudo*; quod animal Syris ita deforme habetur, ut ab illo abhorreant quàm maximè: inde hominem appellare testudinem pro gravi injuria reputatur.

Ecce ut in una vocula sudat pius Interpretum labor.

III. Postremus peccati gradus (de quo hic Christus) est ira, quæ sese aperit, ac prodit nomine pleno injuriis, ac calumniis, quæ fatuum sonant.

Hæc tria scelerum genera, revocat Christus ad tria Tribunalia. Ad tria Tribunalia revocantur.

Primum apud Hebræos dicebatur *Din Mammona*, id est, judicium de re pecuniaria; quod erat Triumvirum. I.

Eò vocabantur causæ minoris momenti, & eò quoque à Christo trahitur ira, quæ hactenùs animo sese continuit, ideòque minor culpa fuit.

Secundum appellabatur *Din Impsat*, hoc est, tribunal Judicii, erat illud Vigintitriumvirum, & in eo agitabantur causæ capitales: v.g. homicidii, aliæque in quibus non jam de fortunis; sed de sanguine, ac vita agebatur. II.

Et eò trahit Christus iram, quæ se verbo acriore ostentat extrinsecùs. III.

Tertium Tribunal vocabatur *Sanedrim*, & continebat illud Judices duos supra septuaginta. In hoc tractabantur causæ longè gravissimæ: quæ scilicet Religionem, Deúmque spectabant; ut Hæresis, falsi Prophetæ, Idololatriæ, Apostasiæ. In illo Tribunali jus quoque ei dicitur, qui in vocem contumeliosam eruperit, fratremque suum fatuum appellarit.

Et hæc ad historiæ Evangelicæ Fidem, ac sensum attinent. Descendo ad pauculas, quæ inde moveri possunt Quæstiones. Et quidem

Prima, an Lex antiqua tantùm prohibuerit peccatum, quod in opus externum iret? An non etiam illud, quod animo concipiebatur? An ira menti tantùm impressa prohibita non esset? Ita opinabantur Scribæ, ac Pharisæi, quibus favere videbatur vulgare illud pronuntiatum:

Lex vetus manum prohibebat, non animum.

Verùm ut dicamus, quod ex saniore Theologia dici potest, ac debet: cum ipsa naturæ Lex non modò opus ipsum malum inhibeat; verùm etiam ipsos æstus animi, atque insolentes impetus, necesse est, ut eosdem quoque vetuerit Lex antiqua, utpote conformis, ac consona Legi naturæ, quæ æterna est, atque inviolabilis.

Et hoc ad primam quæstionem sit satis, ea quippe in aperto est.

Quid sit Ira? Venio ad alteram quam initiò proposui: quid sit ira? & quæ damnanda? Ira spectari potest ex natura, ex vitio, ex virtute.

L. 2 de Morb. caus. c. 2. Ex natura. Ex natura, *Ira est fervor caloris circa cor*: Ita Galenus Medicorum Princeps; quo authore, iracundia est quidam ardor, & motus animosæ facultatis, in quo primùm accenduntur sanguis, ac spiritus circa cor; deinde effunduntur, ac totum corpus inflammant.

Ex vitio. Ex vitio autem Ira alia est, atque alia: eam quippè SS. Patres variis nominibus, ceu coloribus, depingunt.

I. Nebula. Ira *Nebula* est, quæ menti lucem eripit, tenebras offundit, & parva ostendit ut grandia.

Ut per Nebulam corpora, ita res per iram apparent grandiores, inquiebat olim Plutarchus, & rectè: animusenim, mens & intelligentia iracundiâ, ceu nebulâ, offuscata etiam minimas injurias in maximis reponit, & ex pusillo culice facit immanem Elephantum. Et hinc voluntatem acuit, armatque in vindictam.

II. Fumus. Orat. de Ira. Ira *Fumus* est: ut enim hic oculos malè afficit; sic & animum Ira, ut scitè notavit D. Nilus.

Tom. 5. Ser. de Mansuet. III. Tonitru. Ampliùs aliquid dico: *Ira quasi fulmen in animis*, inquit ore aureo Chrysostomus. Fulmen concipitur in nube exhalationibus ignitis gravidâ, quæ per circumstans frigus accensa latera nubis quatiunt, tonitru creant; tandemque eâ disruptâ in fulmen exiliunt, & oculos feriunt. Sic & ira primùm corde concipitur, & impatiens continen erumpit in verborum fulmina, & injuriarum tonitrua.

IV. Fluctus. Orat. 4. de Ira. V. Fons turbidus. Ira *Fluctus* est, ac veluti æstus concitati maris. *Aqua ventorum impetu commovetur*, & iratus animus suis cogitationibus quaquaversum agitatur; ut rectè B. Nilus, cujus opinione, & calculo etiam Ira *Fons est; sed turbidus*. Si fons relictus sibi, si quietus; limpidas volvit, atque eructat aquas; at si turbes, lutulentas, ac sordidas.

Iracundi mens fons est turbidus, sordidus & inutilis, inquit ille ipse S. Præsul; à quo transeo ad D. Basilium.

VI. Torrens. Huic Ira *Torrens* est: ut enim hic valido impetè montibus illapsus in concava vallium, obvia quæque abripit, secúmque volvit; sic & Ira.

Hom. de Ira. *Quemadmodum torrentes ad curva loca decurrentes secum obvia quæque trahunt: sic & Irarum impetus violenti & instabiles omnia percurrunt, atque obruunt.*

D. Basilio consonat D. Nilus, ad quem revocor; sic enim ait: *Ut torrens exundans, quidquid obvium habuerit devolvit: sic ira inservescens mentem secum trahit.*

Erhæ suot iræ descriptiones à rebus inanimis petitæ: demus alias, quæ ducantur ab animantis, & eam vivis quasi coloribus exprimant.

VII. Leo. D. Chrysostomo Ira est *Leo* truculentus: ut enim hic animantium generi timendus, ut efferus ac cruentus: sic & Ira ubi rationis frænum excussit, jugúmque cœuit vel maximè formidanda: lacerat quippe, laniátque quà dentibus, quà unguibus ut Leo.

VIII. Vipera. Eidem aureo Oratori, Ira *Vipera* est; ut enim hæc venena diffundit: sic & illa. Atquæ, inquies, Iræ venena? Cogitationes atræ, odia, meditatæ cædes, incendia, ferrum, ignes; quos ut mente concipit Ira: sic & re etiam ipsa dispergit. Ideóque judice eodem Hom. 90. ad Pop. Chrysostomo: *Satius est anguem, vel viperam in corde tuo latere, quàm iram.*

IX. Scorpio. Lib. Hom. Hom. 32. D. Augustino Ira *Scorpio* est, aut *Aspis*: imò tot Scorpiones, tot Aspides, quot insurgentes sine ratione iracundiæ motus. Hanc ubi Iræ notionem extulit S. Præsul, tum conversa ad populum oratione monet, instat, urget: ut sicuo domum (si fortè in eam irrepsissent Scorpiones, & Aspides) purgarent illicò: sic & animum à venenatis Iræ motibus illæsum fervent: & si fortè insurgant, illos statim refrænent. *Frænate iram*, inquit, *quæ vos stimulat ad vindictam: Ira enim Scorpia est.* Serm. 93. de divers.

X. Canis. Hom de Ira. D. Basilio Ira est veluti rabidus *canis*: sic enim de iracundia philosophatur S. Pater: *Rabie ut canes afficiuntur, pungunt ut Scorpii, mordent ut Serpentes.*

XI. Bellua. Isidoro Pelusiotæ *Ira Bellua* est, eáque indomita, atque impatiens fræni, nisi hoc valida vi potens injecerit manus. Utque injiciat hortatur S. Doctor: L. 3. Ep. 154.

Oculum; inquit, *& iracundiam velut injecto fræno coerce: ne ille ad adulterium; hæc ad cadem te velut porrectâ manu ducat.* Ne porrò ad illud vitiorum Barathrum præcipiti cursu ducat, agè, illi frænum injice, habenas contrahe, & rege. Eo modo, quo effrænem, atque indomitum equum, quem si domes, & iram quoque domes est necesse. *Quid enim* (ut Senecæ verbis utar) *quid prodest equum regere, & cursum ejus fræno temperare, affectibus effrænatissimis abstrahi? Quid prodest multos vincere luctatione, ab iracundia vinci?* Ep. 88. Enimverò nihil prodest, nisi ut apud Deum judicem reus sis magis; ut qui equum, qui belluam refrænes, ac domes; teipsum autem nec refrænes, nec domes.

Et hæ iracundiæ notiones petitæ à belluis, quarum scilicet naturam, vitiúmque exprimit. Quas subjiciam, ducentur à peccati macula, ab immani peste, à pernicie æterna, quam animo importare solet.

XII. Dæmon. Chrysost. Serm. 46. de divers. Ab hac dicitur Ira *Voluntarius Dæmon, insania spontanea, mentis defectio*; à quibusis, *qui irascitur Diaboli ludibrium est, Dæmonum effusum, & nequitiæ illorum dignum minister.* Ecce quibus coloribus Iram, iratósque depingit D. Chrysostomus.

Dæmon est, non necessitate; sed voluntate in animum, ceu hospitium, inductus: si fortè quempiam mortalium tartareus ille genius invadit, atque occupet; infœlicem, atque misellum clamitamus: at infœliciorille, quem superavit ira; utpote, quæ unà cum malo illo hospite gravissima importet mala: Et quidem primùm *insaniam*, eámque, non naturæ errantis, aut deficientis vitio; sed sponte accersitam: Deinde *defectionem mentis*, quæ ferè summum est malum, & à qua cætera mala. Si Sol Orbis oculus; & terræ vita, huic & illi penitùs occideret; propè omnia cum illo occidere esset necesse. Quod mundo Sol, id homini mens, & ratio: hæc ab iracundia cùm deficit, cætera ut deficiant oportet.

Lib. 1. de Gubern. Iræ mali partus. Deficiant, inquam, in omnia propè vitiorum genera, quæ teste D. Basilio, *Iræ sunt appendices*. Ira enim, ut disertè Salvianus; primùm, *Mater est odii*; deinde etiam dissidiorum; tum injuriarum, quæ fœdè jactantur. & proximi famam lacerant; tùm etiam cædium, ac homicidii, aliorúmque vitiorum, quæ ex Ira prodeunt tanquam ex malorum officina.

Horum omnium exemplum habes in Saule; Primùm enim Scriptura teste: *Iratus est Saul nimis*: deinde *post diem alteram invasit eum spiritus malus.* 1 Reg. c. 18. vers. 8.

Ecce ut Ira viam sternit, portámque aperit maligno Dæmoni; tum etiam insaniis ædis, imò & cædi Davidicæ: De hac & illis sie præclarè B. Petrus Damianus: *In Saulis cor ira præcessit, & mox nequitiæ spiritum introducit, qui abreptitium suum in rabiem vesani furoris accendit: fremebat enim in vasculo suo iracundia spiritus.* L. 4. Ep. 17.

Fremebat, inquam, in Saulis corde, velut in vasculo; è quo odia, calumnias, ferrum, hastas in Davidem innoxium emittebat. Adeò verum illud Divi Basilii.

Vitia omnia *Iræ appendices esse*. Et hoc verum in Ira, quæ rationem, aut excutit, aut præfocat; non autem in ea, quæ illam ducem sequitur.

Qua Ira vocetur in judicium. Et hinc descendo ad ultimum caput propositæ initio quæstionis: quæ Ira hic vocetur in judicium?

Stoici omnem Iram damnarunt, ut malam. Hoc à natura, & ratione alienum est: Ira quippe, uti &

alias

aliæ humanæ passiones, bonæ esse possunt, saltem non malæ.

Est etiam *Ira quædam perfecta*, consona rationi, æternæque Legi; ea scilicet, qua Dei, ac Justitiæ zelo commovemur, quâque sic vitia odio habemus, ut tamen homines amemus. Ad illam nos manu, voceque ducit Propheta Regius. hâc quidem, dum ait: *Irascimini, & nolite peccare*. Illâ verò dum sic de seipso: *Perfecto odio oderam eos*. Psal. 138.

Sed & alia quoque est Ira, quam D. Chrysostomus *intempestivam* appellat, & D. Augustinus *sine causa*. Et hæc peccatum est, quod à Christo vocatur in Judicium, & eâ qui tenetur, dicitur reus esse Judicio.

Lib. 1. Retract. c. 19. Hujus & illius meminit D. Augustinus: *Intuendum est*, inquit, *quid sit irasci fratri suo; quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur.*

Ex illo D. Augustini pronunciato habes, amice Lector, qui irasci possis, ac debeas; qui etiam nec debeas, nec possis sine alicujus culpæ nævo.

Ut hanc evites, author tibi sum; ut semper Iram regas ex rationis moderamine: ita regere Doctus olim summus Sacerdos, qui *Rationale* gerebat in pectore, ut hoc illi esset quasi *Rationis delubrum*. Est pectus sedes Iræ, ac cupiditatis; ne hæc, aut illa plus æquo effervescat, statue in eo rationem, quæ *aurigæ in modum* insideat: ita insidere voluit Isidorus Pelusiota: ita Deus ipse qui rationem homini infudit, ut esset quod dux in acie, quod in Lycæo Didascalus, quod in orbe tenebricoso Sol, quod in corpore oculus, apertus scilicet, ac vigil; qui si is semper sit, ejicientur à te *odium, duritia, amaritudo; quæ venena impatientiæ* (hoc est Iræ) vocat Tertullianus. L. 3. Ep 10. Lib. de Patient. c. 12.

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade, priùs reconciliare fratri tuo.* vers. 23.

CUR RECONCILIATIO CUM FRATRE SACRIFICIO, aut oblationi debeat esse prævia?

Reconciliatio Sacrificio prævia.



RATIONES Divinæ illius præceptionis petendæ mihi erunt; tum ex ipso loco, in quem venit victimam oblaturus; tum ex ipsius orantis habitu; tum etiam ex oratione, quæ Sacrificium est labiorum; tum denique ex ipsa supremi Numinis præceptione, atque instituto, cui parere pusillos mortales est necesse.

Probatur I. ex loco orationis. Ad primum quod attinet. Majores nostri, pacis ac concordiæ cultores eximii, sedulò cavebant ne ferrum, & arma in templum inferrentur, quòd ea crederent paci inprimis, ac concordiæ inimica.

Cujus moris amans, ac retinens Theodosius, potentissimus juxta, ac piissimus Imperator, si quando interiora templi subiret adita, & munera oblaturus sacras ad Aras accederet; & foris arma relinquebat, & diadema deponebat: hoc in signum reverentiæ; istud ad symbolum Pacis ac concordiæ. Juvat audire quid ipse de his, & illis.

Nos, inquit, *qui legitimis Imperii armis circumdamur, quósque sine armatis stipatoribus esse non convenit, Dei Templum ingressuri foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema Regiæ Majestatis insigne humiliter deponimus.* Hactenus Augustus Cæsar, qui primò Diadema posuit, quòd crederet coronato vertice se minùs reverenter accedere posse ad eum, per *quem Reges regnant*; & in cujus oculis abjectum est illud omne, quod pusillis mortalibus erectum, ac sublime.

Deinde foris arma reliquit, ut vel hoc ipso doceret foris relinquendas inimicitias, aliáque omnia quæ Christianæ Paci, atque concordiæ essent adversa. Quod ipsum quoque à Gentilibus video usurpatum, non sine laude, ac totius antiquitatis approbatione.

Apollonius apud Philostratum dicitur nunquam preces fudisse, aut sacrificasse *Gladium habens ante oculos*; hoc est cum animo alicui nocendi, aut vim inferendi. Quod Christianis omnibus optarim esse, aut exemplo, aut etiam documento: ut nunquam ipsi vel ad orationem, vel ad sacras Aras venirent acerbiore mente; & qua persæpè, non tam preces in Templis fundere veniunt, quàm ferrum & ignes in capita sibi inimica jacere.

Hujus farinæ hominem sic compellat Divus Augustinus:

Figis genu, collidis frontem in terram, & dicis: O si moriatur inimicus meus! Deus, si quid à te promerui, occide inimicum meum: & utique tu, qui oras ut homo malus, oras contra malum, & facti estis duo mali: ille malè agendo; Tu malè orando incipis esse, quando dicis: Deus occide malum. Serm. 4. de Sanctis.

Non sic dixit, non sic oravit David; etsi multos, & graves pateretur inimicos; etsi Saülem adversum; etsi Semei ore fœdo injurias enormes vomentem; etsi rebellem Absalonem & à Patre profugum. In his enim, aliisque adversantium sibi tumultibus: *Voce mea*, inquit, *ad Dominum clamavi*. Rectè *voce mea*, quia ut rectè notat D. Chrysostomus: *Qui clamat adversus inimicos, non edit vocem hominis, sed feræ, sed serpentis.* Psal 141.

At David, utpotè hominum mitissimus, hominis vocem edebat, ut qui veniam spiraret, & pacem; non vindictam, & acre bellum: & hoc, & illam, qui petit, Deum orat, Deum alloquitur: *Voce non sua*, sed aliena, qualis esset, aut voracis lupi, aut invidi canis, aut callidi serpentis, aut efferi leonis. Hæ quippè sunt voces perperàm orantium, dissonæ profectò, ac dissentaneæ homini, tum ubique locorum, tum verò vel maximè in sacris ædibus, ad quas venit ad Deum supplex.

II. Ex habitu orantis. Habitus orantis hic olim fuit antiquo, & probato more: externo totius corporis habitu, ac compositione supplicem præ se ferebat; nec manu solum, sed etiam ore gestabat oleæ virentis ramum, pacis scilicet, ac concordiæ symbolum; cujus ita meminit Euripides:

Moris fuit supplicum, ut in supplicando ramum oleæ tenerent, & manibus, & ore. In Androm.

Manibus quidem, ut re etiam ipsa atque opere testatum omnibus facerent, pacem se velle, & concordiam prensare impensiùs: ore autem ut etiam verbis exprimerent, quis esset animi sensus, quæ cogitationes, quis æstus voluntatis; is scilicet, qui pacem cogitaret, ac loqueretur. Et jure sanè meritissimo: quid enim aliud ab oratione, aut speres, aut expectes?

III. Ex oratione.

Est *Oratio elevatio mentis in Deum*: utque ea sit abesse debet omnis dissensio, omnis inimicitia: hæc enim Deum inter, & hominem atram offunderet, atque interponeret nubem, quam pervadere nunquam posset vel lux ipsa orationis, vel ardor eotheus:

De Orat. c. 9.

Memoriam injuriæ obscurat rationem orantis, & ejus orationi tenebras offundit, inquit S. Nilus.

De Orat.

Est deinde *Oratio* teste D. Ephrem, *temperantiæ custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, & ad modestiam revocatio, odii ob acceptas injurias medicina.*

Quod si ea est, in illam bono duce Angelo quisquis venit, oportet ut & iram (si fortè insurgat) refrænet, & animum ad quandam modestiæ serenitatem revocet, & illatas injurias, etiam ultrò condonet. Hoc enim vel ipsa orationis natura exigere videtur, & amabili quadam necessitate importare. Et hoc ipsum est, quod SS. Patres innuere volunt, ubi eam componunt cum cythara: hæc quippè pacis, ac concordiæ hieroglyphicum est. Ut enim grata appellat auribus, ut sonum edat, ac concentum; fides inter se conciliari, atque convenire necesse est: Sic & oratio, ut superis placida accidat, ut cœlo amabilem edat harmoniam, animum requirit benè cum proximo consentientem.

Ideòque si quæ fortè dissensio, si quæ voluntatum, id est affectionum inter se pugna, si quæ effervescens ira, si quod odium menti insedent, illicò deponi debet, etiam in ipso sacræ ædis vestibulo, primoque limine orationis.

Lib. de perf. Just.

Quod ipsum opportuna similitudine declarat D. Augustinus: *Quemadmodum*, inquit, *serpentis quoddam genus est: cùm ad bibendum priusquam ad fontem venerit, omne venenum evomit: ita Christianus cùm ad orandum accedit, omnem iracundiam, & odium proximi deponat.*

Est oratio veluti fons aliquis limpidissimus, in quo se ipse inspiciat homo, imò & impressas cœlestium rerum ideas, ac simulacra; quæ equidem intueri dabitur, si modò manu, aut pede, hoc est affectione prava, ira, odio non turbetur fons ille liquidus ac purus: si enim commoveri, turbarique contigerit, tum nihil in oratione, ceu bonorum propè omnium fonte, videre dabitur, nihil haurire quod ad salutem conducat, ac beatitatem.

Lib. 5 Moral. c. 30.

Nunquam commotioni contemplatio jungitur, inquit D. Gregorius, *nec prævalet mens turbata conspicere ad quod vix tranquilla valet inhiare.*

Quia nec Solis radius cernitur, cùm commota nubes cœli faciem reducunt: nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillus propriè ostendit.

Hæc S. Pontifex, qui orationem primùm comparat cum Solis radio, quem eripit interposita inimicitiæ, aut odii nubes: deinde etiam cum fonte, quem turbat ab affectu pravo commota conscientia, sic ut nec seipsam videat, nec Deum.

IV. Ex Dei reverentia.

Venio ad postremum caput, quod mihi in hac quæstione proposui; scilicet ad supremi Numinis præceptum, debitámque illi submissionem, quæ exigit ut homini dimittat homo injurias omnes, si victimam, aut orationem superis gratam esse volet: Ut audire licet in illis Christi vocibus, & oraculo primæ Veritatis: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi*

Matth. c. 5. v. 23.

recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo.

Hoc fuit Christi mandatum, quod duo involvit: primum ut ante sacratiores Aras relinquatur munus, non autem asportetur. Et hoc tres potissimùm ob causas, quas paucis attingit D. Paschasius in Matthæum.

Una, *quia quidquid coram Deo rectè offertur, immutari non vacat*; adeóque nec asportari.

Altera, *ut ad eum quantocius coram quo munus stetit, festinus redeat.*

Postrema, ut interea ibi remaneat munus, veluti pignus aliquod futuræ brevi reconciliationis: *Chirographum interea illud esse voluit*, inquit ipse S. Præsul.

Alterum, quod præceptione sua inclusum voluit Salvator Optimus, est: ut leviore gressu vadat, & prius reconcilietur fratri suo; tum deinde redeat, & munus offerat: cujus mandati legem, ordinémque dum attendit D. Chrysostomus, exclamat:

Hom. 16.

O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! honorem suum despicit dum in proximo charitatem requirit; quid his verbis mitius esse possit? Interrumpatur, inquit, *cultus meus, ut tua charitas integretur?*

Hæc S. Doctor, ex quo duo stylo notari velim, quæ Dei charitatem mirum quantum commendant.

Primum, quòd propter charitatem in proximum honorem suum despiciat.

V. Ex ratione.

Secundum, quòd etiam aliis primas cedat, & secundas sibi servet; ait enim: *Vade priùs reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*; quasi dicat: *Interrumpatur cultus meus, ut tua charitas integretur*; cujus rationes duas produco.

Lib. de Patient. c. 11.

Una est Tertulliani, ut nulla nobis dies abeat sine patientia, sine charitate: sicut nulla abire debet sine sacrificio, & oratione.

Nemo, inquit, *convulsus animo in fratrem suum munus apud Altare perficiat, nisi priùs reconciliando fratri suo reversus ad patientiam fuerit; non licet nobis una die sine patientia manere.*

Altera est D. Cypriani; quia nulli dabitur venire in Dei charitatem, nisi illi, qui priùs venerit in proximi dilectionem; nec ulli pax erit cum Deo, nisi cùm pax priùs fuerit cum proximo: de hac, & illa sic S. Præsul:

Nullam impacifica orationis precem fieri patitur Dominus; sed Altari munera offerentes, si recordentur habere se cum fratribus aliquid, reconciliata humana pace reverti in Divinam pacem jubet, in Dei charitatem de charitate hominum transituros.

Oculo nota, & animo, mi Lector, hæc duo: de humana pace redire te in divinam: & de proximi charitate transire in Dei tui charitatem; cujus consciæ bonæ mentes illud in primis curis habuerunt, ut proximo donarent omnem offensam, & sic grata accideret oblata Deo victima, & labiorum sacrificium.

Exemplo erit in Petri Sede magnus Pontifex.

Unus aliquis è fæce popelli animo irreverenti, ore maledico, lingua impudentiore, Sanctissimi Pontificis Pii V. famam libello famoso, (quem vulgò Pasquillum vocant) fœdè prosciderat. Is tandem aliquando comprehensus, & Pontifici oblatus, cùm ab omnibus indubiè extremo supplicio afficiendus crederetur, jussus est primò maledicum libellum recitare, tum exponere suóne, an alieno consilio scripsisset illum, ac vulgasset. Cùmque subjecisset reus, se non alieno, sed suo, sed mali dæmonis impulsu id fecisse, adjecit Pontifex illud dignum cedro:

Surius in Comment. rerum in Orbe gestarum, p. 827.

Si tu mihi ut summo Pontifici maledixisses, non ferres impunè; at nunc quia in fratrem Michaëlem, in monachum Scarponem, in Cardinalem Alexandrinum convitia jactasti, abi liber quò vis. Ego verò humilitatem generis mei, vitæ, & habitus semper & animo retinebo, & libens confitebor, & ero vilis, & abjectus in oculis meis.

Hæc Summus Pontifex. Hoc illius oraculum; hoc clementiæ, & indulgentiæ miraculum, quod

utinam

utinam ut excepit: sic & imitaretur posteritas, quæ etiam probè docta est: D. Cypriani, invicti Præsulis exemplo.

VI. Ex Sanctorum exemplis. In carceres, & vincula venerat; ac deinde in theatrum, in quo vitam Christi causâ poneret inclyta Cœlo victima: quaoi, priusquam illud exciperet, & hoc excepit dignum Cypriano, dignum Martyre. Carnifici, cujus manu, capite minui debuit, aureos quinque supra viginti donari voluit, tum ut eâ munificentiâ injuriam omnem remittere se testaretur, tum ut hoc genus supplicii etiam pretio emendum esse probaretur.

Habes in viri pectore infractum injuriis animum, sui immemorem: memorem verò Christianæ pietatis: accipe etiam in molli, fœmineoque sexu. Blondæ, marito vitâ functo, unicus restabat filius, & is quidem viduæ matris amor, ac deliciæ; sed, ô malum! ô nefas! ô furor inveteratæ inimicitiæ! ea quondam adversus patrem cœperat, tenuerat ad usque mortem illius, ac tumulum, in quo tamen needum sepulta; erupit enim, evasitque in filium: sicarii quippè cùm in parentem sævire ampliùs non possent, in natum ab illo sævierunt, ipsumque vulneribus è medio sustulerunt.

Quid hîc bona mater orba marito, orba & filio? ad lacrymas, ad lamenta, ad fœmineos ejulatus confugit, cœlúmque lacessit justis querelis, ac gemitibus: dúmque his aut suam solatur, aut deplorat orbitatem: ecce tibi ingens aliud paratur malum, alia eáque immanis luctus ac doloris materia. Quid non meditatur? quid non audet? quid non potest præceps & cœcus concepti jam odii furor.

Illi ipsi sicarii, sepultum adolescentis cadaver, egesta humo eruunt, ferrum algido pectori immittunt, rimantur viscera, cor immani crudelitate extrahunt, & parato jam epulo, inter fercula commiscent, improbèque conditum apponunt ferali mensæ, cui cum aliis nobilibus fœminis assidebat mœsta, ac plorans mater; cùm ecce inscia, incautaque de ferali isto ferculo edere jubetur: edit illa, nihilque sinistri metuens etiam cor filii absorbet, & in stomachum demittit. Eo facinore tam barbaro, tam immiti satiata videri potuit antiquæ inimicitiæ rabies: at necdum satiata, nisi illud ipsum facinus sub oculos afflictæ matris poneretur. Et verò positum est; intellexit enim infœlix mulier inter fercula, cibósque & illatum cor filii, & sibi etiam in escam datum.

Quid hîc expectes, benevole Lector? quæ irarum fulmina? quæ tonitrua verborum? quæ lacrymarum flumina? quos æstus excitatæ mentis, ac vindictam spirantis? At nihil horum in matre quantumvis desolata; illicò quippè & se in genua abjicit, & ad JESUM, & MARIAM, delicias suas, recurrit, & illatam filio, sibique per summum nefas injuriam deponit ad Crucifixi pedes, & sicariis illis ignoscit, ignoscique etiam è Cœlo propitio petit, patientia, ac fortitudine post homines natos inaudita: sic enim ad JESUM, quem sibi in sponsum adlegerat.

Per has ego te lacrymas, per gemitus, per suspiria propè expirantis animulæ; imò tua per vulnera mortémque rogo, atque obtestor, uti perditis illis veniam, vitámque dones; geminum illud facinus, vindictam, & filii innocentis cædes, & feralis esca, in eaque viduæ matris ludibrium, etiam invito propè Cœlo, extorquere fulmina, & in noxia capita demittere possunt, ac debent.

Verùm, ô Deus, ô Amor, ô JESU corculum meum, ea fugio, ea horreo, & Cœlum ad veniam etiam misellis aperiri volo. Emissa hæc è terris oratio mirè placuit superis, placuit & immortali Deo, qui exinde granas suas, Cœlíque gazas in viduæ pectus uberiùs effundere; imò & à sæculo ad religiosam, sanctioremque vitam traducere. Hanc certè exegit inter monales, quas vulgò Servitas appellamus, & relicto sui desiderio, magnáque virtutis opinione vivere desiit secunda Septembris, anni millesimi, quadringentesimi undecimi. Ex hist. Ordin. Servit.

Habes, amice Lector, in fœmina quod mireris, quod ames, quod imiteris; ingentem scilicet animum, injuriis omnibus, ipsáque morte superiorem. Habes illustre fortitudinis exemplum; habes Christianæ caritatis prodigium, cui quàm optimè ascribi potuit hoc lemma: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Cant. c. 8. vers. 7.

****

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.



IN ipso CHRISTI vultu, ore, oculis potentes erant amoris illecebræ, quibus abstracta ingens hominum multitudo, è villis, oppidis, urbibus excesserat, abierátque in avia deserti loca, etiam itinere tridui, quo si quid annonæ delatum erat, etiam absumptum illud omne. Id ubi advertit Salvator optimus: *Misereor*, inquit, *super turbam, quia ecce triduo sustinent me, nec habent quod manducent.*

Dubia videri potuit, atque anceps cura: Iejunos dimittere, videbatur immanitatis; pascere verò, alienum à vitio solitudinis. Quid igitur? Discipulos quasi in consilium adhibet, quæritque ex eis, quid opus facto? Cui sic illi: *Vnde illos quis poterit saturare panibus in solitudine?*

Nemo certè, nemo unus omnium. Ubi dubios vidit, ubi spe bona vacuos; tum ex iis rogat:

Quot panes habetis? Respondet unus aliquis: *Septem.* Tum CHRISTUS præcepit turbæ, ut discumberet: ita pro mensa erit nuda tellus, excipiet illa panes septem, & reddet ingenti fœnore.

Ubi in nuda humo consedit turba, accepit CHRISTUS panes septem; gratias agens fregit, deditque Discipulis, & illi turbæ, quæ ex iis comedit liberaliter, etiam ad satietatem: Additi pro secundo ferculo pisciculi pauci, & illis benedixit, jussitque apponi.

Postquàm expleta fames epulis, collecta fragmenta, cibotumque reliquiæ, ne perirent.

Superfuerunt autem septem sportæ; & hæ quidem è septem panibus, licèt pro his convivæ fuissent etiam ad quatuor millia. Et hæc summa rei gestæ, ex qua D. Thomas more suo, moraliter, & mysticè hæc deducit.

EX D. THOMA.

PRIMUM, Dominum pascere Sanctos suos *tripliciter:*

Psal. 102. Primò, *Panibus corporalibus;* ideóque *educit Panem de terra.*

Secundò, *Panibus spiritualibus,* id est Doctrinâ sacrâ.

Tertiò, *Panibus æternalibus,* hoc est, Gaudiis cœlestibus.

Deinde explicat, quid mysticè sint isti panes septem, quibus Fideles pascit ne deficiant in via justitiæ.

Primò, *Panis est dulcissima ex desiderio gloriæ lacrymarum effusio.* Eo se pavit olim David, qui hæc de Psal. 41. seipso: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.* Eo se pavit & Augustinus, qui olim ista: *Fluebant mihi lacrymæ, & bene mihi erat cum illis.*

Matth. 4. Secundò, *Panis est ineffabilis in verbis Dei consolatio. Non enim in solo pane vivit homo; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Eo se pavit olim Jeremias, qui Cap. 15. hæc ad Deum: *Inventi sunt sermones tui, & comedi eos.*

Tertiò, *Panis est ineffabilis de sumptione Eucharistiæ delectatio.* De hoc Sapiens: *Panem de Cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporem suavitatis.* Cap. 16.

Quartò, *Panis est admirabilis dulcedo,* de præsentia Christi, qui hæc de seipso: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Ioan. 6.

Quintò, *Panis est æternæ beatitudinis prægustatio.* Ita nimirùm *Panem Angelorum* etiam in via *manducavit homo.* Psal. 74.

Sextò, *Panis est de omni virtutum possessione gaudium,* ad quod invitat Sapiens: *Venite vos, ait, & comedite panem meum.* Prov. 1. 9.

Septimò, *Panis est de testimonio conscientiæ exultatio. Panis ei datus est,* inquit Isaias de Justo. Cap. 33.

Ubi eos panes mysticè sic explicuit, tum etiam pisciculos, quos ait esse gaudia de præsentia Sanctorum, qui ex amaro hujus sæculi mari sunt abstracti, atque etiam assi ut Martyres, ut sanctus Laurentius, & hi etiam vivis pro spiritali alimento, ac solatio.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 6. post Pent. Ser. 1. AD illa verba: *Cùm nec haberent, quod manducarent: Primò,* inquit, *notatur necessitas indigentiæ provocantis.*

Ea porrò indigentia triplex: *Primò* enim *indigebat ea turba manducatione corporalis sustentationis. Secundò manducatione salutaris eruditionis. Tertiò Sacramentalis refectionis:* ut huic, & illis subveniret Salvator Optimus, exclamat: *Misereor super turbam.*

Ecce secundum, *benignitas patientiæ subvenientis,* quam exhibet tum *sustentando cibo corporali,* tum *illuminando documento salutari,* denique *inflammando oblectamento Sacramentali:* & hoc & illa promereri potuit, *Longanimitas perseverantiæ impetrantis,* quam ostendunt illa verba: *Iam triduo sustinent me.*

Et ecce quid impetrarit ea turba *isto triduo; scilicet dolore amaræ Contritionis in corde, mœrore apertæ Confessionis in ore, & labore condignæ Satisfactionis in opere.*

Utile profectò triduum, quod utinam exigerent etiam hoc ævò Christiani.

Alterum, quod ad Divinæ Bonitatis commendationem traducit S. Doctor; ex his verbis elicit: Serm. 5. *Misereor super turbam.* Et hoc *quadrupliciter: Miseretur enim super turbam viventium in terris, super turbam quiescentium in sepulchris, super turbam gementium in pœnis, super turbam fruentium in Cœlis.*

Ternum quod commendat, & in quo se ampliùs explicat Dei miseratio, est, quòd pascat de panibus in solitudine, quæ etiam quadruplex: *Infra nos, extra nos, intra nos, supra nos.*

Prima, *est Mundus, in qua panibus vitiorum,* suo malo pascuntur plerique mortales: *sunt autem septem panes Diaboli; septem scilicet vitia capitalia.*

Secunda Solitudo, est *Ecclesia,* in *qua pascuntur septem panibus Sacramentorum.*

Tertia, *est Cor & conscientia sancta,* in quam sese recipit homo, sedétque solitarius, & tacet: quia *ejus solitudo est secretum mentis;* in hac pascitur *septem panibus Donorum Spiritus Sancti.*

Quarta, *est Cœlum,* in *qua panibus præmiorum homo reficitur;* sunt autem ii *panes septem, septem dotes: Claritas, Subtilitas, Agilitas, Impassibilitas, Cognitio, Dilectio, Fruitio. Beatus qui manducabit panem in Regno Dei.* Et hæc mystico sensu D. Seraphicus, ut bonæ menti appetitum, id est, desiderium protitet, excitétque ad gustum illius panis, hoc est, spiritualium, cœlestiúmque deliciarum, à quibus sua illi erit saturitas; ut olim illis è turba, qui *manducaverunt & saturati sunt:* & hinc Luc. 1. 24.

Quartum, nempe *quadruplex saturitas,* quam hoc loco distinguit D. Bonaventura:

Prima, *est bonorum temporalium:* hac se replent avari; nec replent tamen, nec satiant.

Secunda, *Donorum spiritualium: hac saturamur in solitudine Ecclesiæ, post triduum Confessionis, Contritionis, Satisfactionis.*

Tertia, *Præmiorum æternalium.*

Quarta, *Denique tormentorum Infernalium.* Vide, ô anima, quam appetas, tibique designes.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Misereor super turbam.* Marc. c. 8. v. 2.

AN EA MISERATIO SIGNUM LATENTIS in CHRISTO *Divinitatis?*

Rhodig. l. 22 lect. antiq.



EMOCRITUS inter Philosophos satis nominatus, aiebat duos esse Deos, videlicet *Pœnam*; ac *Beneficium*.

Beneficentia.

Pœnam quidem, quæ sontes, ac noxios peteret; *Beneficium* autem, ex eo, quod omnibus faceret benè, quod miserationis, quod amoris est. Et inde dictum autumo à Pherecide Syro, *Deum in amorem transformatum priusquam mundum crearet.* Vel ut verius Plato in Timæo, *Deum amore fabricasse mundum*, nulla scilicet ad hoc impulsum necessitate, sed sua dumtaxat bonitate, ut haberet quibus, & quæ daret; verbo uno ut faceret benè.

Et hæc in alta Idololatriæ nocte, in qua, si quid affulsit humanæ luci; monstravit certè beneficio aliquid Divinum subesse; quasi Divinæ Naturæ proprium esset, ac singulare; egentibus benefacere.

Lib. 2. c. 7.

Deum prodit.

Deus est juvare mortalem, inquiebat Plinius; quod se Divinitas vel maximè proderet in eo, quòd alienis miseriis condolere, ac subvenire videretur.

Quod ipsum altiore quadam, ac cœlesti luce agnovit Patriarcha Jacob; cùm enim extorris esset, atque exul à patriâ sede, cùm omni ope destitutus, his seipse excitabat, his sibi faciebat animos positâ ob oculos beneficentiâ, veluti nota præsentis Divinitatis.

Gen. c. 28. v. 20.

Si fuerit Deus mecum, inquit. *& custodierit me in via, erit mihi Dominus in Deum*: hoc est, Deum se probabit: qui enim in abjecta fortuna jacenti, atque prostrato succurrit, Deus est.

Hom. 53. in Matth.

Appello D. Chrysostomi fidem, atque authoritatem: *Misericordia*, inquit, *ars quædam liberalis, in Cœlis habens officinam; & non hominem, sed Deum Magistrum possidet.*

Hæc S. Præsul, quo judice Misericordia ars est, quam non facilè in terris disces; habet enim suam apud superos officinam, ibíque conditur; nec hominem magistrum habet, sed Deum. Et hoc verum fuit, vel maximè priusquam in mortales oras descenderet Dei Verbum, & Caro fieret. Ubi humanam naturam induit, tum verò etiam in terris misericordia, ejúsque officina; Imò & artifex Deus homo: qui vel hoc potissimùm Deum sese ostendit, cùm omnibus fecit quàm optimè; uti & in præsentia cùm e septem panibus, paucisque pisciculis ingentem hominum multitudinem pavit in avia solitudine; in qua jactare potuit & illud Jacobi Patriarchæ: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, erit mihi Dominus in Deum.* Erit inquam, JESUS in Deum: Eum quippe se aperiet, ac probabit egenis, ac famelicis escam dando, etiam prodigio post homines natos inaudito. A quo discedo ut aliquid inde deducam ad mores, omnésque horter, ut ea ratione, quantum mortali fas est, homines quasi divinos, imò quasi Deos se præbent: *Ego dixi Dii estis, & filii Excelsi omnes.*

Prodit & Christum.

Ps. 81. v. 6.

Imò hominem Deum facit.

Dii inquam, dum miseris estis misericordes: ut enim vulgatum illud, ita & verum: *Homo hominis Deus*; Deus sanè fit benefaciendo. Quod altè prædicavit, Plinius, qui dum irridet Deorum pluralitatem, simul insinuat ea multitudine fictitia declarari mortalibus, quæ ad immortalitatem sit via, & quomodo possint homines in Deorum catalogum referri, si nimirum de afflictis satagant benè mereri.

Via est ad gloriam.

Hæc, inquit, *ad alternam gloriam via, hac Proceres iêre Romani, hac nunc cœlesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi benè merentibus gratiam mos, ut tales Numinibus ascribant.*

Quibus verbis apertè ostendit illud: antiquo id usurpatum more, ut ii Diis ascriberentur, qui aliis beneficia contulissent; & hanc populus gratiam reddere credebatur, si optimè de se meritis divinos honores attribueret, vanâ quidem, ac damnandâ superstitione. E qua duci potest illud ad rem nostram, aliis benefacere, quiddam esse divinum, etiam voce, calculóque totius antiquitatis.

Et hic primus ad beneficentiam stimulus esse debet, cui jungitur & alius ab insita humanitate; quæ quia in Christo fuit, eum etiam impulit ut homini faceret benè Deus homo: hoc enim suo quasi jure exigebat ejusdem consortium naturæ: uti & in nobis exigit.

Apud Turcas genus est hominum (quos Torlaccos vocant) hi ut speciem & sanctioris vitæ instituta sectari videntur, & stipem emendicare; quam ut impetrent gestare solent speculum quoddam permagnum, quod objicientes singulis à quibus eleëmolynam petunt, eam perfacilè obtinent. Cujus ratio in oculis est, dum enim se intuentur in speculo, & homines esse se vident, & insitæ monentur humanitatis, quæ ad beneficentiam erga miseros propendet etiam suapte natura.

Beneficentiæ exempla.

Et ita propendere visi inter homines omninò magni, unius Christi vel exemplo, vel etiam præcepto.

Alexander V.

Alexander V. Pont. Max. cùm audisset illud Christi: *Misereor super turbam*, adeò altè demisit in animum; adeò misericors, liberalis, propè in egenos prodigus fuit, ut de seipso pio joco dicere soleret; se Episcopum fuisse divitem, Cardinalem pauperem, mendicum Pontificem: sic in purpura pauper, in Petri sede propè mendicus & esse, & videri voluit, ne misericordiæ defuisse videretur.

Placilla Imp.

Ab Infulâ Pontificiâ ad Cæsaream Majestatem descendo, ad Regiam purpuram, Ducúmque stemmatâ.

Ex Augustis fuit Placilla Imperatrix uxor Theodosii; audierat & hæc Christi vocem: *Misereor super turbam*; ab illáque didicerat misereri egentis turbæ: utque illi miserationi viam aperiret, solebat adire pauperum casas, abjectáque tecta, & in nosocomiis angusta manu pascere egenorum greges. Quam Augustæ beneficam demissionem, cùm uti fieri solet, plerique ægriùs ferrent; ex aulicis uni fortè de eo caritatis officio querenti respondit:

Dignum est Imperio dare pauperibus eleëmosynam: augusta profectò sententia, digna cedro, omnique posterorum memoriâ.

Usualdi Regis.

Ab Augusta ad Regem venio; is erit Usualdus Angliæ Rex: exceperat & hic illam Christi vocem:

M[illegible] in[illegible] Eam a[illegible], & e[illegible], ut gazas omnes Regio luxæ effunderet; cumque effudisset, superessetque nihilominus importuna pauperum multitudo, curavit proterri suppellectilem argenteam, eamque in partes discindi, quas ipse manu verè liberali, & Regia in egenos erogavit.

Cùm in eam munificentiam abiret Usualdus, aderat fortè Richardus Mopvestriæ Episcopus, qui primum mirari cœpit beneficentiam illam Regiam; deinde eam mirè prædicare; ad extremum liberalem illam, Regiamque manum exosculatus, asseruit illud, fieri non posse, ut illa manus, in pauperes adeò effusa aliquando solveretur in cineres. Vaticinio respondit eventus; cùm enim defuncti Usualdi corpus multis annis in sepulchro jacuisset, totumque redactum esset in cineres, unica manus integra, vivida, succoque plena apparuit. Nec enim mortis legibus, mæstoque cineri cedere debuit illa manus, quæ dum viveret egeno nunquam non cessit.

Et hæc sacra fuit in diademate, purpuraque munificentia; cui supparem addo in B. Amedeo Sabaudiæ Duce, ex quo cùm quæreret Galliæ Legatus, haberetne canes venaticos? Subjunxit; omnino frequentes: tum eum ad porticum eduxit, ubi pauperculis quibus instratæ mensæ videbantur; Et hi, inquit, sunt canes mei venatici; his Cœlo venor, & beantari; cujus scilicet pretium etiam Christo judice est miseratio.

Corona Sapientum divitiæ eorum, inquiebat olim Sapiens; dum enim divitias in pauperes spargunt, sibi serta, & coronas nectunt; coronas immarcessibiles, inquit Chrysostomus, qui & hoc adjicit, omnis coronæ expertem futurum, qui non dixerit illud Christi: *Misereor super turbam.* Tres, inquit, sunt coronæ, tres laureolæ, quibus Deus Sanctos donat.

Prima corona seu laureola, est Virginitatis; hæc fine misericordia obtineri non potest. In testes voco Virgines illas, de quibus Christus; ex iis quinque erant fatuæ, quæ ideò exclusæ à cœlestibus nuptiis, quia oleum, id est, misericordiam habere non laborarunt.

Altera corona sive laureola, est Martyrum; neque hæc parari potest sine misericordia: ut enim verè & disertè Chrysostomus, quomodo sanguinem suum profundet, qui pecunias suas pro Christo effundere timet.

Postrema corona seu laureola est Doctorum; & hæc debetur quoque misericordiæ: *Corona Sapientum divitiæ eorum*; divitiæ, inquam, in pro usus & pauperes effusæ; hæ in Cœlis, æternáque beatitate sunt pro corona.

Ex quibus conficit ille ipse S. Præsul, neminem coronâ donari posse, qui non aliquando fuerit misericors.

Cui conclusioni Fidem faciunt illa Christi Judicis verba: *Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum: esurivi enim.*

Non ait, adeste Virgines, innocentes animulæ, & candidata agmina.

Non ait, venite Confessores, longâ patientiâ & diuturnis laboribus exerciti.

Non ait, advolate Martyres, fortia pectora, grandes animæ, audaces omnia perpeti.

Non ait, appellite ad æternitatis portum vos Apostoli, excelsæ mentes, quorum animis zelóque unus non sufficit Orbis; non, inquam, hæc ait Christus; non Virginum castitatem ad præmia vocat; non Confessorum patientiam; non Martyrum robur; non Apostolorum zelum: sed miserationem, & beneficentiam in egenos; huic uni palmam dare videtur, & bravium æternitatis; adeò hæc Christo est in amoribus, primisque curis; ut illius solius in decretorio illo die meminerit: non quòd illi uni debita sit merces, ut perperam credidere ex hæreticis nonnulli, quos refellit D. Augustinus; sed quòd eam ferè præ cæteris eò loci censuerit esse commendandam.

B. Amedei.

Prov. c. 14.

Hom. 5. ad P. P.

Beneficentiæ Corona.

Lib. 21. de Civit. c. 22.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quot panes habetis? Qui dixerunt: septem.* V. 5.

AN CASU TUM INVENTI PANES SEPTEM? Et cur septem?


GITARI solet inter Philosophos ea quæstio, an causæ primæ fortuitum quid accidere possit?

An Deo aliquid fortuitum?

Respondent una voce omnes, non posse; & meritò: fortuitum enim dicitur, & est illud, quod prævidentiam, & providentiam fugit; at Dei ter Opt. ter Max prævidentiam, aut providentiam effugere nihil omninò potest, adeóque nihil illi esse fortuitum. Ex quo consequens est etiam illud: quòd eò loci, & temporis inventi sint panes septem, nec plures, nec pauciores; Primo enti, id est Deo, minimè fortuitum fuisse: sed factum illud amabili Dei prævidentiâ, ac Providentiâ, destinatóque consilio; quòd in hoc numero ludere quodammodo amavit, & ingentibus bonis præludere, quæ non capiunt, qui ista humano pede metiri volunt, nec ascendere in occultas Divinæ providentiæ vias; quas hic aperire nostræ operæ erit, ac laboris.

An hic panes septem?

Igitur ut ad rem nostram propiùs veniamus: cur tantæ multitudini in epulum parati panes septem, nec ampliùs.

Et cur septem?

Dixit è Philosophis unus aliquis Deum ter Opt. Max. numerorum calculis delectari: & certè testis est Scriptura, Authorem Naturæ omnia fecisse in numero, pondere, ac mensura.

Quod si omnia in numero metiri voluit quidni & hoc epulum septenario? qui celebris est ob varias causas, quas inter & hæc.

Prima esse potuit, quòd septenarius numerus sit Deo sacer, & propè divinus. Pythagoras existimavit septenarium esse numerum universitatis, numerum Authoris Naturæ. I. Ratio.

Ratio ejus hæc fuit; quòd hic numerus sit Virgo, utpote, qui nec gignatur, nec gignat; quod autem nec gignit, nec gignitur, ipsum immotum manet ipsum habet esse Divinum. II. Ratio.

Alia ratio peti potest ex Philone Judæo; quòd scilicet septenarius numerus sit quiet[illegible] *Requievit enim Deus die septimo*: & diei septimo, inquit nec gigni datum est, nec gignere.

Requiescere potuit, imò & debuit populus in suavi Christi providentia, & fine suo labore, fine ullo molimine, annonam uberem accipere: hanc autem

accepit

accepit panibus septem, numero septenario, numero quietis; ut vel hoc ipso docerentur mortales omnes, in Divina Providentia conquiescendum: ut enim cætera desint omnia, nunquam ipsa deerit; neque verò tum defuit innumeræ illi multitudini, neque deerit unquam ulli, qui Christi causa relictis patriis sedibus, imò relictis & urbibus, in avia, atque invia penetrarit.

Exemplum dabo, quod eò gratius accidet, quò recentioris erit memoriæ.

Ex India Occidentali urbe Mexicana anno 1643. 15. Februarii, sic ad nos scriptum, ad posterorum memoriam, & divinæ Providentiæ commendationem.

Pater Joannes Ardennas Societatis JESU, qui olim Leodio eductus in Indias magno Indigenarum bono: discesserat ex urbe Mexicana Cinaloam versus, ut sparsas per avia & invia Indorum animulas quæreret, Deòque, ac Christianæ Religioni colligeret. Ibat vectus mulo, uno duntaxat Indo comite; dúmque ita pergeret, aberravit à via, & ad famem extremam redactus, de mulo, quo vehebatur jugulando cogitabat, tum ut ejus sanguine sitim extingueret, tum ut carne famem satiaret.

Quæ dum apud se meditatur, simúlque se totum Divinæ Providentiæ committit: Ecce tibi derepentè advolat Indus vectus & ipse mulo, qui primùm Patri benè precatur; deinde cibos offert optimos, imò & vinum, quod tamen non fert ea Regio; denique ubi annonam abundè ad plures dies suppeditavit, subitò evanuit ex oculis. Credidit Pater non Indum fuisse; sed bonum genium, bonum Angelum è Cœlo missum, ut annonam famelicis suppeditaret: verùm ea post paucos dies defecit, & recurrit eadem importuna fames; sed & eadem amabilis Dei Providentia: Ecce enim advolat aquila, quæ leporem ungues inter captivum tenebat, diceres è venatione suâ adferre, quod offerret servo Dei; & certe mox etiam obtulit: ubi enim pernici volatu sese aliquoties in gyrum egit, Patris capiti semper imminens, prædam suam adhuc palpitantem ad illius pedes demisit: victitavit illâ unà cum Indo comite ad tres dies, quibus exactis, reddit fames; sed etiam redit & aquila, commoda sanè venatrix, & captum rursus leporem abjecit ad pedes famelici Patris, qui eo se sustentavit, usque dum duce bono Angelo ad locum devenit, ubi ab incolis annonam accepit, & alia vitæ sustinendæ necessaria: quæ abundè subministrare solet propitium Numen iis omnibus, qui illa expectant in alta animi quiete (cujus index septenarius) ad cujus occulta mysteria redeo. Ducentur hæc ex ipsis Naturæ ac Medicinæ principiis. Septenarius enim est numerus Medicus, ut inquit Tostatus; Medici quippè amant numeros impares, eósque sibi deligunt, ut varias corporis affectiones prodant, naturâ ut opinor duce, ac magistrâ, quæ Crises perfectas ostentat numero dispari, atque ut plurimùm septenario, aut ejus geminatione; in hac enim, aut illo suos æstus molitur nisi aliundè sit impedita, aut lacessita. Ex quo naturæ sensu, atque inclinatione docent Medici septimo quoque anno aliquam in humanis corporibus fieri inclinationem. III. Ratio.

Verùm ne longiùs: ex his seu naturæ principiis, seu Medicinæ placitis aliquid dicamus ad mores: Erat Christus magnus animarum Medicus; languebat famelica, imò, si voles etiam ægra mortalium turba; opus numero Medico, qui index foret, ac testis perfectæ sanitatis, ac virium redditarum, quas absumpserat fames: cui depellendæ apponuntur in Epulum panes septem, numero fortunato, ac medico. Quidni enim Medicum appellem? cùm eum esse voluerit prodigiorum artifex Elisæus? Ad illum venerat Naaman Syrus à lepra languidus, ac solutus totus, jussit eum Propheta in Jordane lavari septies: paruit, lavit, & lepram eluit; adeò illi salubris, ac medica septena lotio. Verùm hæc de mysteriis numeri septenarii attigisse sit satis: delabor ad aliam quæstionem, qui scilicet sint isti panes septem? IV. Ratio Moralis.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad eadem verba: *Quot panes habetis? qui dixerunt septem.* vers. 5.

QUI SINT ILLI PANES SEPTEM?



Quod triduum? DIvus Bernardus, qui pia, & solerti eloquentia Scripturæ verba ad mores traducere solet pulchrè explicat: Primò quod sit illud triduum, quo Salvatorem sustinere debet fidelis anima: deinde qui septem illi panes, quibus probè satiatur post trium dierum patientiam.

I. Dies. *Prima dies*, inquit, *est Timoris*: hæc interioris animæ tenebras discutit, & ostendit exteriores; hoc est imminens æternæ gehennæ supplicium. Et hinc inquit *nostra primordia conversionis*, adeóque prima dies. De Evang. 7. panum. Serm. 1.

II. Dies. *Secunda, est Pietatis dies, qua respiramus in luce miserationum Dei.*

III. Dies. *Tertia dies, est Rationis, in qua veritas innotescit, ut tanquam ex debito natura Creatori subjecta sit creatura, servus serviat Redemptori.*

Et hi sunt dies omninò tres, per quos anima sibi aditum parat, ac facit ad Epulum Christi Salvatoris.

Primùm enim dissipare debet incumbentes sibi à peccato tenebras tartareámque noctem; & hoc quidem timore sancto, qui Solis instar in anima surgit, diemque facit serenorem.

Deinde concepta spe veniæ, ac fiducia Divinæ pietatis respirare meliores auras, & aspirare ad lucem Divinæ miserationis.

Denique assurgente altiùs ratione, ceu sole bonæ mentis, liquidò intueri quid domino servus, quid creatura Creatori, quid figmentum figulo debeat.

Ubi hos dies exegit anima, tum evocatur ad paratum à Christo Epulum, in quo septem panibus apprimè reficitur. Qui panes septem?

Primus panis, inquit, *est verbum Dei, in quo vita hominum.* I. Panis.

Secundus panis, obedientia, & hunc etiam suum esse voluit Christus, qui sic de seipso, *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* II. Panis. Ioan. c. 4.

Tertius panis, meditatio sancta, qua videtur panis vita, & intellectus. III. Panis.

Quartus panis, orantium lacrymæ: his enim, ceu pane, saginatur anima, teste Propheta Regio, qui sic ad Deum de seipso, & aliis verè pœnitentibus: *Cibabis nos pane lacrymarum.* IV. Panis. Psal. 79.

[V. Panis.] *Quintus panis*, est *pœnitentiæ labor*, quem qui assumit cibo meliore collapsas vires reparat, [Psal. 127.] quia labores manuum suarum manducat; & hinc illi benè.

[VI. Panis.] *Sextus panis*, est *jucunda unanimitas socialis*; ut enim panis ex diversis granis compingitur; sic etiam in cœtum unum coactæ personæ quasi coalescunt.

[VII Panis.] *Septimus panis*, est *Eucharistia*, de qua sic olim Servator Optimus: [Ioan c. 6.] *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vitâ.*

Hi sunt septem panes, qui Dei ter Opt. ter Max. beneficio vel in nobis, vel si voles, etiam aliquo modo à nobis.

[Septem alii Panes & fragmenta.] Septem alios proponit ille ipse S. Præsul Bernardus, unà & eorum fragmenta, quæ sedulò colligi vult ne pereant.

[Serm 3.] *Primus panis*, inquit, *est conservatio gratiæ*. In sæculo, eras, ò misella anima, inter mundi lenocinia, & car- [I. Panis.] nis illecebras; longè difficillimum tibi erat acceptam à superis gratiam, sartam tectam servare. Ut porrò servares Dei miseratio fuit, & virtus illius panis, cujus hæc fragmenta accipe, & studiosè custodi.

Tribus enim modis te à peccato immunem reddidit Deus: [Supra.] *Occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate.*

Si in varias peccandi occasiones incidisses, indubiè (quæ tibi in malum erat conniventia) pronus ac præceps in scelera ivisses, uti vere quamplurimi quos oblata malè agendi occasio à ratione, à gratia, à Deo longiùs abduxit: ne te quoque abduceret, providit Dei miseratio, & hoc beneficio primi fragmenti panis illius cœlestis, cui accessit etiam secundum à secundo fragmento.

Quandoque gravior incurrit tentatio, seu ea foret à dæmone, seu à mundo, seu etiam à carne, domestico hoste: appulit tamen ingenti vi, atque impete; pulsavit animi fores, quæ illicò patuissent, nisi eas continuisset vis addita resistendi, quæ & hostem exclusit, & animum tenuit in sua statione.

Et hinc alterum Dei miserentis beneficium, cui addo ternum; affectionis sanitatem.

Natura nostra plus æquo fœcunda in alias, atque alias pullulat affectiones, ceu malas propagines; quas resecare, aut impedire ne luxurient, Divinæ virtutis fuit, quæ fecit ut ne assurgerent illæ, aut si assurgerent ratione magistra temperarentur.

Et hæc tibi, ò anima, à tertio fragmento vis, & gratia.

[II. Panis.] *Secundus panis*, quem benigna Dei largitoris porrexit manus, *fuit expectatio, qua tardabat ultionem, indulgentiam cogitabat*; & hujus quoque panis *tria fragmenta*.

Primum, *Longanimitas*, qua te etiam labentem sustinuit, nec expedivit fulmina in ultionem.

Alterum, *Electio prædestinationis suæ, quam impleri voluit.*

Postremum, *Charitas nimia, qua dilexit nos.*

Tertius panis est *Misericordia*, qua convertit nos ad [III. Panis.] pœnitentiam.

Hujus quoque tria fragmenta; Unum est admissi sceleris conscientia, & natus inde dolor.

Alterum, horror imminentis supplicii; mente nimirum, ac cogitatione deduxit ad portas inferi, & reduxit.

Postremum consolatio cœlestis, qua & terrenam extingueret, & spem certam faceret indulgentiæ; quâ tandem adeptâ habetur &

Quartus panis, qui est *Indulgentia*, cui & sua sunt [IV. Panis.] fragmenta: sic enim ex toto indulget Deus; *ut nec damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando.*

Secùs omninò faciunt plerique mortales; sunt enim qui ex parte injuriam remittunt, non ex toto; sunt qui donant, nec vindictam requirant; improperant tamen: Etsi fortè non improperent, manet tamen altâ mente reposita.

Hi profectò non colligunt fragmenta Divinæ illius Indulgentiæ.

Quintus panis, est *Continentia*; hanc impugnat [V. Panis.] mundus, dum objicit gloriolæ, ac vanitatis auram, sumúmque; hanc sollicitat blanda caro, dum suis illecebris, ac titillationibus demulcere conatur, ac perdere; hanc impetit malus dæmon, & in eam facto velut cuneo incurrit, arietátque.

Et huic quoque pani sua sunt fragmenta; sedula videlicet ac perennis sensuum omnium, ac maximè oculorum custodia. Hæc collige ne pereant, imò ne pereas ipse.

Sextus panis, est *gratia promerendi bona vitæ æternæ*; [VI. Panis.] hujus quoque fragmenta tria, scilicet *odium præteritorum malorum, contemptus præsentium bonorum, & desiderium futurorum.* Hæc collige, & tibi erit benè, & æternùm quidem.

Septimus panis; est *spes obtinendi*, cujus etiam fra- [VII. Panis.] gmenta tria, quæ eam sustinent, ac roborant; nempè *Charitas adoptionis, veritas promissionis, potestas redditionis.*

Fueramus aliquando servi, imò mancipia mali dæmonis: sed quæ Dei miseratio fuit, mutatâ sorte venimus in partem filiorum Dei, eximia, ac Divina prorsus Charitate, quæ nos adoptavit in filios æterni Patris, & Christi cohæredes: de quo ne dubium superesset, obsidem se fecit *Veritas promissionis*; vadem ac sponsorem *Potestas redditionis*.

QUÆSTIO QUARTA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia.* vers. 9.

QUOMODO E SEPTEM PANIBUS MANDUCARE, imò saturari potuerint quatuor millia?

[Panes illi veluti semen.]  T huic quæstioni faciat satis Divus Chrysostomus, ore ut solet aureo, respondet panes illos septem, fuisse veluti semen: manus autem Christi [Christi manus terra.] adinstar subactæ, mollis, fœcundæque terræ, quæ ingenti fœnore reddidit, quod accepit.

D. Augustinus non semel & revereri, & prædicare illud naturæ benignioris miraculum, quo fit ut ex uno grano nascantur & succrescat longè plurima.

Spicæ nostrates, ut annotavere agricolæ, continere solent plerumque grana sexaginta, ad summum centum.

In Hispania nova enascuntur spicæ adeò ingentes, ut humano brachio exæquentur, capiantque singulæ ferè duo granorum millia; adeò fertile, ac benignum est novi Orbis solum, cujus ubertatem auget

get illud, quòd frumentum satum mense Februario, in exitu Martii meti possit; ita propera, ac præceps in segetes est illa tellus.

Verùm alia nobis in oculis est; nempe divitiores Christi manus, quæ panes illos septem, veluti semen excepêre, & restituêre magno prorsus, ac mirabili fœnore. Primò enim derepentè in ipsis Christi manibus multiplicari panes; deinde turbæ illi famelicæ dari in cibum, & annonam.

Eorũ multiplicatio II. modis fieri potuit.

Et ea quidem panum multiplicatio in aperto est; at ratio qua facta, in occulto.

I. Modus. Potuit enim fieri duobus modis: Primus is erit: ut non iidem numero panes; sed tantùm specie fuerint; in usum tantæ multitudinis produxerit Deus alios, atque alios panes, eósque omninò novos, vel ex eadem materia, vel ex aere vicino: hoc si quis censuerit necessum erit, ut censeat non è septem panibus Christum pavisse quatuor millia, sed è longè pluribus.

II. Modus. Alter modus, quo ea panum multiplicatio fieri potuit, is fuit. Si Christus pro ea, qua erat infinita potestate eosdem omninò panes septem, non plures neque novos; sed eosdem numero (atque, ut loquuntur Philosophi, in individuo) toties reproduxerit, quoties necesse fuerit reproduci ut tantæ multitudini sufficerent.

Quod si ita est, ut esse probare videtur ipsa Evangelicæ historiæ series, & miraculi ratio; inde evidens petitur argumentum pro sacro pane Eucharistico: si enim septem duntaxat panes ita multiplicare potuit, ut alendis quatuor millibus satis essent; quidni & corpus suum, ita replicare possit, ut in annos, & sæcula reficiendis fidelibus sufficiat? Poterit enimverò (imò quæ illius amoris est inclinatio) etiam reipsa sic reproducit. Sed ne longiùs; de hoc enim argumento, aliàs dixisse me memini.

Eleëmosyna similis illis panibus. Descendo ad aliud, liberéque istud pronuntio; eleëmosynam, quæ pauperi datur similem esse panibus illis (de quibus in præsentia est quæstio) ut enim hi in Christi manibus in immensum aucti; sic etiam quod egenis, ceu Christi manibus commiseris, cum fœnore & tibi, & aliis accrescet: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* inquiebat olim Sapiens & sua, & aliorum experientia probè doctus, reddi à Deo etiam cum usura, & ingenti fœnore, quod pauperi fueris elargitus. *Prov. c.19.*

Serm. 8. *Manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat; da ergo pauperi terram, ut accipias Cœlum: Da nummum, ut accipias regnum,* aiebat magnus Præsul Petrus Ravennas; quo authore hoc ab eleëmosyna est fœnus. Quisquis enim eam pia manu donat, dat quidem pauperi terram; at Cœlum, & cœleste regnum accipit: ecce fœnus in æternitate, vitáque immortali: dat micam, sed accipit totum; ecce fœnus in tempore, vitáque hac mortali.

Horũ multiplicatio ostenditur.

Nimirum adeò liberalis, atque effusa est Dei manus, ut etiam in præsentia rependere velit, quod in egenos effuderis, & quidem cum fœnore, quod etiam experientia didicêre viri Sancti.

S. Paulino domi restabat panis, & is quidem unicus, cum jussit dari pauperi, qui fortè pro foribus stabat, stipémque petebat. Verùm œconomus nimiùm certè prudens, ac providus eum dare renuit; fortè ne Domino deficeret annona, & panis depellendæ fami necessarius: Placuit superis, Deóque magni Præsulis pia, & benefica voluntas, eámque compensare voluit multo fœnore: viro quippe perquàm opulento eam immisit mentem, ut S. Præsuli naves duas mitteret, easque onustas frumento; verùm ex iis una aquis hausta in pœnam inobedientiæ tenacis atque avari œconomi; altera fœliciter appulit in præmium, & fœnus etiam solius bonæ voluntatis; adeò verum illud: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* I. In S. Paulino.

Ita deinde fœneratus S. Tycho Cypri Episcopus: is cùm adhuc puer esset, & pistoris filius, panes qui fortè venales prostabant, non in furnum, sed in pauperum manus, abjectásque casas efferre; puerili quidem, sed pia, sed superis grata munificentia: at ingrata parenti, qui eum ideò sæpiùs duriusculè excepit; nec verbis modò, sed etiam verberibus, quæ tamen æquissimo animo tulit puer, nihilque adjecit, nisi unum illud. Panes illos Deo dedisse ad mutuum, imò etiam ad fœnus, de quo testem syngrapham accepisset. II. In S. Tychone.

Quid ab hac consecutus sit, si quæras, audies istud; quòd eò loci, ac temporis granaria, aliàs ferè vacua, plena inventa sint frumento quàm optimo; ita non sibi tantùm, sed patri fœneratus est puer.

Sed in hoc genere solemne est illud, & miraculo de quo agimus, affine, quod S. Ivoni pauperum Advocato evenisse legimus. III. In S. Ivone.

Erat tum ingens annonæ caritas, & fames propè extrema, quæ quàmplurimos in dies tollebat. S. Ivoni tum pauperum patrono, medius duntaxat erat panis, quo vitam tantisper sustentaret, & hunc mendiculo liberaliter donavit, indigentiæ illius memor, oblitus suæ. Spectabat illud divinæ mentis oculus, qui rebus humanis nunquam non invigilat; spectabat, inquam, & jam Ivoni suo annonam parabat etiam miraculo: mox enim adfuit fœmina, quæ tres illi panes obtulit, quos ubi manibus excepit, illicò in iis multiplicari sensit: diceres sacras Ivonis manus, esse veluti terram fœcundam, quæ pauculos panes accepit, ac reddidit ingenti fœnore; ut non illi solùm, sed aliis quoque quamplurimis sufficerent: uti quondam multitudini quatuor millium plus satis fuere panes septem.

Nimirum etiam miraculo, indigentibus subvenit Deus, ut hac ratione etiam nostram in pauperculos beneficentiam provocet.

QUÆSTIO QUINTA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas.* vers. 8.

QVID ACTVM FRAGMENTIS ILLIS?

POSTQUAM epulis expleta fames, Apostoli fragmenta collegêre ne perirent: fuit illud parsimoniæ, & frugalitatis; hoc quod subjicio, liberalitatis, & charitatis in pauperes: est enim illa communis SS. Patrum opinio, ea fragmenta ab Apostolis in egenos distributa, ut vel inde docerentur eorum successores, & asseclæ, de superfluis pascere Christi membra: quod officium charitatis, etsi cadat in omnes; maximè verò in eos, qui opimos reditus accipiunt de Christi manu, vivuntque illius patrimonio, atque Ecclesiæ bonis, ac censibus.

Fragmenta data pauperibus.

His

Iisdem danda superflua

His enim incumbit superflua dare pauperibus: quod charitatis esse docent omnes; justitiæ etiam quamplurimi, ut patebit ex quæstione, quam hîc subjicio.

Gravis ea quæstio inter Canonistas; an Clerici beneficiarii sint Domini fructuum suorum beneficiorum?

Ut illi controversiæ faciant satis, distinguunt proventus in duas omninò partes. Una est necessaria honestæ sustentationi, altera superflua: de hac, & illa sitalis, & controversia, in qua nonnulli adeò rigidi fuere, ut pronuntiarent beneficiarios non esse Dominos; sed tantùm dispensatores, etiam illius portionis, quæ ad honestam sustentationem requiri videtur.

Contra tamen est communis opinio, apud Theologos passim recepta; illius partis in solidum esse dominos.

Favet huic sententiæ ratio, è natura, & quadam æquitatis lege petita.

I. Probatur ex sententia Theolog.

Debetur operæ, ac labori sua merces, eáque ex lege justitiæ; ea porrò in beneficiarios alia esse non potest, quàm ii fructus, qui debentur decoræ, ac liberali sustentationi: Sed difficilis, atque implexa quæstio est, quid censendum de iis, quæ illi superflua videntur.

In hac quæstione Theologi aguntur in diversas opiniones.

Navarrus, Alexander Hallensis, Richardus, Gabriel, Paludanus, Petrus Soto, aliique censent beneficiarios non esse dominos illius partis, quæ superest; sed tantùm dispensatores.

De Instruct. 4. Sacerd. part. 2. lect. 3

Et quidem Soto liberè pronuntiat: *Id constare ex decursu totius Ecclesiæ, ab Apostolis, & ipso jure divino, bona Ecclesiarum cùm Christi sint, meritò etiam pauperum esse; nec ulla ratione aut potestate humana fieri posse ut licitè in alios usus, quam Ecclesiasticos, & pauperum expendi possint.*

Hæc ille, qui contrariam opinionem etiam censurâ graviore notat, atque errorem esse gravissimum; saltem contra bonos mores, & justitiam, imò & Scripturam. Nituntur hi authores alia, atque alia ratione: & quidem

II. Ex Canonibus.

Primò, quòd SS. Patres, Pontifices, sanctique Canones, Ecclesiastica bona iis nominibus appellare videantur, quibus apertè insinuent ea in pios pauperum usus derivari oportere, saltem quoad eam portionem, quæ decenti sustentationi potest superesse.

Apostoli enim canone quadragesimo vocabant proventus illos Ecclesiæ, græca voce κυριακά, id est Dominica.

III. Authoritate Patrum.

D. Bernardus ad Eugenium, *Patrimonium Crucifixi.*

In Apolog. cap. 39.

Tertullianus, *Deposita pietatis*, quòd censeret ea bona in Clericorum manibus deponi ad pios usus, ad egenorum opem.

In Epist. ad Christianos

Urbanus hujus nominis primus, ea dicebat esse *Vota fidelium, Pretia peccatorum, Patrimonia pauperum.*

Adv. Rel. Sym.

Magno Pontifici consentit Ambrosius, cujus hoc breve, sed elegans, ac verum pronuntiatum: *Possessio Ecclesiæ, sumptus est egenorum.*

Hi modi loquendi, aliique illis affines satis indicant, quis fuerit totius antiquitatis sensus, quæ SS. opinio, iis appellationibus velut oraculis expressa.

IV. Ex partitione bonorũ Eccles.

Accedunt Sacri Canones Gelasii Papæ, Gregorii primi, qui reditus Ecclesiasticos in quatuor omninò partes distinxerant:

Una cessit Episcopo, altera Clericis, tertia Fabricæ, quarta Pauperibus: videtur autem ea quarta pars jam aliis permixta coaluisse, ideóque singulis incumbit id oneris, ut suam pauperibus portionem concedant.

Omitto alia argumenta, quòd passim apud Canonistas obvia sint. Venio ad aliam opinionem.

Trid. sess. 25. c. 1. de Refor.

Hæc censet, Ecclesiasticos esse quidem dominos omnium proventuum, etiam eorum, qui superflui sunt: existimat tamen eos ex Ecclesiæ præcepto, & quadam æquitatis lege teneri superflua in pios usus, aut pauperes erogare; secùs si fecerint, peccato mortali obnoxios videri: & hæc sententia modò invaluit, eámque probat usus ipse, & ratio Clericalis officii: sunt enim Clerici Patres, ac Tutores pauperum, & jam inde cùm in communi viverent erat illud receptum, ut quod superesset Episcopo, Clericis, ac Fabricis, iret in pauperes.

V. Ex Ecclesiæ præcepto.

VI. Ex mente Fundatorum.

Accessit ipsa Fundatorum mens, atque intentio, quæ opulentos reditus in manibus Clericorum deposuit, ut per eos meliùs, atque uberiùs in egenos possent derivari.

Ad hanc fundatorum mentem adjungi potest ipsum Clerici munus, atque officium, quod est immortali Deo sacrificium offerre: quod autem & illustrius, & superis gratius exhiberi potest eâ in pauperes beneficentiâ?

In l. 50. Hom. hom. 29.

D. Augustinus eleëmosynam vocare solebat *Sacrificium Christianorum*: pio sanè, augustóque nomine, quod cum venia tanti Præsulis, mutatâ voculâ dixero, *Sacrificium Clericorum.*

At quæ inquies Ara? quod Altare illi sacrificio paretur?

VII. Ex ordine Clericali.

Respondet Orator aureus esse pauperum ora manúsque; sic enim ait:

Hom. 2. in 2. ad Cor.

Cum vides pauperem, Corpus Christi, Aram Christi te videre puta & reverere, ac eleemosyna sacrificium offer.

Judæis olim hæc data lex: *Non apparebis vacuus coram Domino.* Nimirum illis sacras ædes subeuntibus, semper aliquid esse debuit ad manum, quod Deo immolarent.

Hom. 67. ad pop.

Si Judæis, quantò magis nobis? inquit Chrysostomus, *Propterea pauperes ante fores positi sunt, ne quis vacuus ingrediatur: ut intret cum eo eleemosyna*, quam Deo suo offerat in victimam, quæ subinde etiam de necessariis esse potest, ac debet; multóque magis de superfluis, quæ plerumque causa mortis sunt, & quidem æternæ.

VIII. Ex natura superfluor.

D. Bernardus bona homini superflua componit cum humore noxio, quo nisi corpus vacuetur, interibit.

Serm. 7. in Fer. 6. post Cineres.

Sæpè, inquit, *humores superflui sunt ad hominis necem; sic & substantia superflua sæpius est causa perditionis æternæ.*

Ita fuit diviti Epuloni, quem Cæsarius Arelatensis comparat cum arbore, quæ ramos sic in altum extulit, ut ad pauperem nunquam demiserit: & hinc illæ lacrymæ, luctúsque æterni.

Arbor erat, inquit, *amœna & sublimis in mundo; sed quia ramos misericordiæ non expandit ad Lazarum, flammas recipere meruit in inferno; & ab illo petebat guttam, cui negaverat micam.*

Erat mica mensæ illius superflua; imò & decidua catellis cedebat in escam, quæ Lazaro non cedebat: si porrò cessisset, non gemeret modò in obscuro carcere, infernique flammis.

Hom. 65. ad pop.

Ut enim de illo Chrysostomus: *Non quia dives fuerat, puniebatur; sed quoniam misericordiam non exhibuit, propterea nullum alium videt nisi illum sui indigentem, ut discat quod hæc justè patiatur in memoriam eorum veniens, quæ gesserat.*

Latebant in sinu Abrahæ aliæ præcelsæ mentes & heroum animæ, quæ beatius ævum expectabant; & tamen diviti Epuloni, non apparet nisi una Lazari anima; quia scilicet huic micam panis, hoc est mensæ superflua, denegarat: ut vel inde appareret, ob hoc unum potissimùm cruciari.

Ne porrò sic aliquando crucieris, si quid è supellectile linea, laneáve superest, illo nuda Christi membra obtege. Si quid è mensa reliquum est, etiam hoc pasce pauperum greges, qui miserum in modum ad fores tuas clamitant.

Imitare

Prov. 6. Imitare providam formicæ curam; ad hanc enim te mittit Sapiens: *Vade*, inquit, *ad formicam.* Hæc frumenti grana, quæ in hyemis usum collegit, detruncat, atque obserat ne putrescant, aut germinent: sunt tibi horrea frumento plena atque exundantia; age provido consil[io], superflua reseca, & pauperibus elargire.

Ut addiscas a formica sapientiam, superflua resecare debes, & dare pauper[ib]us, [n]e simul omnia reservata putrescant, inquit Ugo Caren[si]s.

****

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.



[C]Um insinuasset Magister optimus, ar[ct]am esse viam, quæ ad superos ducit: ne fortè quis eam latiorem faceret, contra Veritatis, Cœlique leges, monet cavendum esse à falsis Prophetis, quia *plerumque plus periculi in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto.* (S. Leo Ser. 9. de Quadra.) At falsus Propheta, falsusque Doctor, insidiator est occultus, qui extrinsecus ovinam pellem induit, cùm intrinsecus mentem lupinam circumferat. Cognoscetur ille à fructibus, ut in viridario solet arbor, quam si adulta hyeme videris, nescias bona sit, an mala? At ubi Vere novo sese explicat in flores, Autumnoque in fructus; tum quæ sit, apperebit. Sic & Propheta à bonæ vitæ fructibus dignoscetur; non à ventosa lingua, cultáque oratione, quam solam si dederis, nihil dederis Deo dignum, ac beatitate. Quia ut rectè D. Gregorius: *Radix verbi virtus est operis*; & *nihil prodest verbis proferre virtutem, & factis destruere*, ut scitè notat D. Cyprianus; ide[m]que *non omnis, qui dicit mihi, Domine, intrabit in Regnum, sed qui facit voluntatem Patris, qui in cœlis est*: Et hæc summa Evangelii, de quo (Hom. 11. in Ezechiel. Serm. 4.)

EX D. THOMA.

Serm. 2. EX hujus Evangelii serie distinguit S. Doctor, *In Insula hujus mundi, tria genera arborum.*

Primò, Arbor est faciens fructus bonos, hæc commendatur à tribus: 1. *A fructuum multiplicitate*; ea est multiplicitas virtutum, qui bonæ arboris, id est, animæ fructus sunt: & ab Apostolo recensentur duodecim. *Fructus autem, Spiritus, Charitas, Gaudium, Pax*, &c. (Gal. c. 5.) 2 *A fructuum pretiositate*, quibus scilicet pro pretio est regnum Dei. 3. *A fructificandi assiduitate*; ex qua scilicet, *non defluet flos* boni desiderii: & *non deficiet fructus* boni operis, ut annotat Ezechiel; (Cap. 47.) quia scilicet plantata est ad ripam torrentis gratiarum cœlestium. Hæc scilicet est *quasi lignum vitæ. Ecce pretiositas. Afferens fructus duodecim: Ecce multiplicitas. Per menses singulos: Ecce fructificandi continuitas.* (Apoc. 22.)

Secundò, *est arbor faciens fructus malos*; ob *tria* scilicet in iis mala. 1. *est fructuum mortificatio*, quia sunt fructus mortis, non vitæ: mala nimirum opera, opera mortis. Ea recenset Apostolus, dum ait: *Manifesta sunt opera carnis.* (Gal. 5.) 2. *Fructuum perversitas: malus* quippe *homo de thesauro suo profert mala.* (Matth. 12.) 3. *Malefaciendi assiduitas*, quam notat Oseas: *Fornicati sunt*, inquit, *& non cessaverunt.* (Cap. 4.)

Tertiò, *est arbor nullos faciens fructus*, & hujus tria quoque sunt genera. 1. Est ejus, quæ *facit frondes sine floribus*: & *hi sunt, qui habent verba sine operibus*, similes arbori ficulneæ, cui maledixit Christus, 21 *Est illius, qui facit flores sine fructibus.* (Matth. 21.) Hi sunt, qui bona apparenter, non verè, *habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus negantes.* (2. Timot. 3.) 3. *Est ejus, quæ quidem fructus facit; sed inutiles: fructus eorum acerbi, & inutiles ad manducandum.* (Sap. 4.)

Væ talibus arboribus, nam excidentur securi divini Judicii, & in ignem mittentur: & verò *jam securis ad radicem posita est.* (Matth. 3.)

EX D. BONAVENTURA.

SERAPHICUS Doctor hæc ad mores ritè formandos.

Matth. c. 7. Primò, in his verbis: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*; tria distinguit:

Primò, Internam peccati originem, quæ à mente procedit, ceu arbore, ceu radice: hinc dicitur: *Omnis arbor.*

Secundò, *Exteriorem peccati consummationem*; quæ est in opere, hinc additur: *quæ non facit fructum bonum.*

Tertiò, *Finalem ordinationem*; quæ est ab igne, in quem projicitur: inde subditur horrendum illud: *Excidetur, & in ignem mittetur.*

Secundò, in illis verbis (*Omnis arbor scilicet mala; non naturâ, sed mentis arrogantiâ*) invenit triplicem arborem: (Dom. 7. post Pent. Serm. 1.)

1. *Quæ est adulterina; quia non inserta Divino nutu in horto Ecclesiæ.*

2. *Quæ est arida; quia non superfusa superno fluxu, sine stillicidio gratiæ.*

3. *Quæ est in[illegible]: quia non humano promota cultu, [illegible] exercitio Justitiæ.*

Prima arbore notantur infideles, & hæretici, qui per fidem non sunt inserti corpori Ecclesiæ.

Secunda, fidelis quidem sed aridus, & gratiâ vacuus, qui instar illius ficus, cui maledixit Christus: *dicitur esse secus viam, in via carnis & non in viâ spiritus.* Matth. 21.

Tertiâ describitur animus iners, & piger, qui non exercet sese in operibus Justitiæ, qui malè terram occupat: *quia locum, quem tenet, bonis operibus non exercet*; imò exemplo malo cæteris impedimento est, ne calore Solis, hoc est cœlesti amore calescant: & hæc de arbore.

Veniamus ad fructum, & quidem *bonum*: ut is sit, tria requirit S. Doctor.

Primò, ut habeat pulchritudinem munditiæ, & puritatis delectantis visum.

Secundo, suavitatem mansuetudinis dulcorantis gustum.

Tertiò, utilitatem Charitatis informantis affectum: & hæ conditiones, unde dignoscatur bonus fructus. Vis etiam unde malus? Accipe ex eodem Doctore; habet hic:

Primò, fœditatem carnalis lasciviæ contristantis visum.

Secundò, acerbitatem iracundiæ amaricantis gustum.

Tertiò, venenositatem invidiæ deformantis affectum: hæc S. Præsul, qui redit ad arborem bonam, bonúmque ex ea fructum; & de hoc, & illa sic ait:

Bona arbor, est bonus homo; bonus fructus, bona vita: fructus autem bonitas probatur Serm. 1.

Primò, utilitate, quæ est in æterna retributione.

Secundo, multiplicitate, quæ est in operatione, idest bonis operibus. Certè arbor *quæ non afferret nisi duo, vel tria poma*, minimè commendaretur, at maximè, quæ longè plurima.

Multi fructus, sunt multa bona opera; multi verò rami, sunt multa corporis membra: benè habet, si ab his fructus multi, ut olim *à Diva Magdalena quæ multos fructus in multis ramis habuit quando multa opera bona in multis membris exhibuit: Pedibus enim ad Christum accessit, oculis flevit, crinibus tersit, osculum dedit, manu unxit, corde dilexit.*

Tertio, delectabilitate, quæ petitur ex colore ex odore, ex sapore; ex colore, pulchræ conversationis; ex odore, bonæ opinionis; ex sapore, mellifluæ devotionis.

Quarto, ex durabilitate, quæ est in perseverantia & consummatione. de hac Salvator Optimus sic olim ad Discipulos: *Fructus vester maneat. Manere, est durabile esse; ut non citò putrescat per vitium*: ut olim Ægypti fructus, de quibus Vates Regius: *Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ*: & occidit *in grandine vineas eorum: in ærugine Luxuria in locusta Superbia, in grandine Avaritia intelligitur.* Ioan. c. 15. Psal. 77.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Matth. c. 7. v. 15.

QVI SINT ILLI FALSI PROPHETÆ? Et quæ in illis ovium vestimenta?

ROPHETA apud Hebræos appellatur, *Videns*; quod scilicet arcana, & abscondita videat, eáque aliis revelet. Hinc in sacris paginis Prophetæ nomen, aliter, atque aliter solet usurpari. Propheta qui?

Pressiùs significat eum, qui futura præscit, ac prædicit.

Latiùs autem sumitur etiam pro Doctore, Interprete, aut viro spirituali, cui ex officio incumbit arcana Scripturæ, modúmque vitæ sanctioris (qui sæpè sæpiùs plebem ignaram latet) explicare. Sic Prophetæ nomen Apostolus visus est accepisse: Sic enim ad Corinthios:

Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo. Ex his quæstioni propositæ facio satis. 1. Cor 14. v. 37.

Falsi Prophetæ dicuntur ii, qui aut falsa vano spiritu prænuntiant, aut falsa docent, aut Scripturas ex suo genio perperàm interpretantur, aut ementita sanctitate aliis illudunt improbè, abducuntque à via veritatis, ac virtutis: Etsi quondam erant Scribæ, ac Pharisæi; modò verò hæretici, ac hypocritæ, à quibus cavere docemur, etiam oraculo primæ Veritatis: Qui falsi Prophetæ?

Attendite, inquit, *à falsis Prophetis*; & quidem primùm ab hypocritis, qui ficta specie probitatis; & virtuti nocent, & virtutum sectatoribus; & his, & illi certam perniciem afferunt. I. Hypocritæ.

Audi, & vide quibus eos coloribus depingat magnus Præsul Bernardus:

Sunt, inquit, *qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali.* Serm. 66. in Cant

Etenim minus semper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, nisi similitudine boni, deceptus est. Ita ergo in malum bonorum, boni apparere student; mali volunt ut plus liceat malignari.

Habet malus dæmon mille nocendi artes, modósque mille: at nullum magis perniciosum, quàm ille sit, quo clanculùm, & quasi per cuniculos irrepit in animum. Hoc autem facit per hypocrytas, qui iniquitatem tegunt virtutis colore. Illa si propria specie, vultúque prodiret, nunquam admitteretur in adita bonæ mentis; at ubi hujus formam assumpserit, tum blandè sese insinuat, & glisci improbè in mortalium animos; ut meritò dixerit Orator Romanus:

Totius injustitiæ, nulla capitalior est, quàm eorum, qui tum, cùm maximè fallunt, id agunt ut viri boni esse videantur: dúmque videntur, incautos abducunt in errores longè gravissimos: non abducerent autem si, ut sunt, mali viderentur. Lib. 1. de off.

Verùm quid agas, qui dignoscas? qui vites, & fugias, cùm veniant *in vestimentis ovium?*

Quæ sint illa si quæris; audies ex D. Chrysologo, esse virtutes, quibus ceu veste bona, seu etiam armis se tegunt improbi: *Hypocrisis crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit.* Quæ ovium vestimenta? Serm. 7.

Ubi hypocritam extrinsécus aspexeris, amabis in eo modestiam, continentiam mraberis suspicie[illegible] gravitatem, aliáque virtutum decora: & si vides etiam arma: at cave si sapis, virtutem truncat mucrone virtutum, sed fictarum: *Foris homo videtur*, Lib. 2.

intus

intus bestia fremit, inquiebat Etherius Episcopus: Lib. 33. Mor. cap. 36. imo ut benè notat D. Gregorius. *Assumit agni speciem, ut draconis exerceat operationem.*

In quo simile est Polypodi, hæret hic affixus scopulo, quem sui operit pars; cum quippe refert, & firmitate, & colore, hinc pisces ad eum appellere tanquam ad scopum, at ubi appulere, mox præda fiunt.

Quod piscibus, hoc mortalibus plerisque usu venit: videns unum aliquem, qui inter hujus vitæ æstus, ac tempestates videatur esse quod scopulus inter tumultuantes undas firmus, atque immobilis, tincta ita fortè firmitate, & inconcussarum virtutum specie, qua illecti, ei sese adjungunt; at suo malo perniciem eorum patientur sine remedio. Adeo verum illud D. Basilii: *Hic est extremus injustitia terminus, justum videri eum, qui non sit justus.*

Et is est hypocrita, quem proinde SS. Patres similem faciunt Proteo, qui ut ait D. Augustinus: Lib. 10. de Civit. c. 10. *Formas se vertit in omnes, hostiliter insequens, fallaciter subveniens, utrobique nocens.*

Ita deceptores illi, diversas virtutum formas, ceu vestes induunt, & cùm opem ferre simulant, tum nocent quàm maximè, & malè cautos malè perdunt; & hoc quidem quia probi videntur, ac pii; utpote primo aspectu personati, quos proinde histrioni similes esse censet magnus Basilius:

Hypocrita, inquit, dicitur histrio, qui in theatro personam sustinet alienam; sæpe heri, cum sit servus; aut Regis, cum sit privatus. Itidem plerique vitam suam velut è proscenio ad ostentationem componunt: utque componant vestem mutant, & modò vilem lacernam induunt, modò purpuram, & regium paludamentum; sicque modò servos se, modò dominos, ac Reges malè mentiuntur.

Quod illi, hoc & hypocritæ, qui virtutis specie oculis improbè illudunt.

Ibidem. Specie, dico, quia in iis non est virtus ulla: sed illius dumtaxat extima vestis; ratione cujus D. Hieronymus ejusmodi hominum genus componere solebat cum arbore, quam Christus olim damnasse auditus, vel eò tantùm, quod folia gestaret, non fructus.

Arbor illa qualis qualis erat, typus fuit hypocritæ, typus & hæretici, in quo nihil invenit Christus nisi folia tantùm, hoc est (interprete D. Hieronymo) jactationem legis, & ornamenta verborum.

Et hæc sunt quæ venditant hæretici, hæc quibus II. Hæretici. se, ceu ovina pelle tegunt, ut sic in Christi peculium irrepant; & verò etiam irrepunt; imò sæpius ultrò admittuntur à rudi, ignaraque plebecula. Et hoc quia extrinsecus nihil præferunt, nisi Dei legem, ac sanctitatem illitam veneno mellitæ orationis. Ut enim scite Maldonatus: *Nihil in eorum ore nisi Dominus, nisi Pater noster cœlestis, nisi Christus, nisi Fides.*

Ecce bona verba: vis etiam facta in speciem bona? Attende quid affectis suis præscripserunt olim illi ipsi hæretici, & hoc quidem ad famam, nomenque sanctitatis, utque suos inter veram Ecclesiam esse, quà possent, testarentur.

Montanistæ tres Quadragesimas in anno strictè observant; Euchitæ perpetuò orandum esse aiebant. Eucratitæ à Matrimonio tanquam à re absurdâ se continebant; alii alia, atque alia dabant virtutum magnarum ficta specimina, atque documenta, quibus sese tegerent tanquam vestimentis ovium, qui intrinsecus erant lupi rapaces.

In hos verò potest illud adagium: *Dant panem & Eustathius Iliados 23. pugnum.* Hoc est in speciem bona videntur tribuere, cùm tamen in re ipsa non tam panem, quàm pugnum; hoc est, non tam utilia præbeant, quàm noxia.

Ab his cavere nos voluit Christus, ne incauti veniremus in fraudem, retiáque doctrinæ malesanæ; quæ spectari debet non oculo corporis, sed mentis; non in ipso limine, ac capite, sed potiùs in fine, & velut caudâ.

Monuit olim Pythagoras, & benè: *Ne gustandum Pierius in Hierogl. 23. quidem ex iis, quibus est nigra cauda.* Hoc est, ut clariùs eloquar, ex iis, qui prima fronte niveam prætulerunt integritatem; ut deinde occultiùs atrum virtus nequitiæ suæ, errorúmque in animos inspirent. Ne porrò inspirent; videndum, qui illorum fructus: ex his enim facilè dignoscentur.

QUÆSTIO SECUNDA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* vers. 16.

CUR NON ETIAM A FOLIIS, ET FLORIBUS? Cur à fructibus, & qui sint illi?

Arboris laus à fructu. IN arbore est amœna quædam foliorum viriditas, & florum nitor, & gratia; est & fructuum ubertas: ab hac petitur arboris bonitas, & commendatio; ab aliis non item: quæ causa?

A foliis nulla ducitur laus arboris, quia hæc citò decidunt, & arescunt.

A floribus etiam exigua, imò Cœlo judice, nulla; cujus alia, atque alia est ratio.

Prima, quia natura arboris non se aperit in flore: sed tamdiu latet, quamdiu in fructus sese non explicat.

Secunda, quia verno tempore, auráque benigniore multi erumpunt flores, qui deinde decutiuntur vento, auráque asperiore; sæpiúsque pauci remanent ad fructus.

Etiam hominis. Quod arbori, hoc etiam homini, qui arbor est inversa: non cognoscitur hic ex veste, ceu foliis; non etiam ex floribus, id est, ex iis, quæ pollicetur, ac spondet; sed ex fructibus, hoc est, ex iis, quæ extrinsecus se produnt: nemo enim bonus, aut malus; fidelis, aut hæreticus esse convincitur, nisi ex operibus, quibus aperitur, & patet, quod latebat intùs.

Quod latet in herba, manifestatur in spica, & quod Serm. 97. *celatur in gramine, aperitur in fructu*, inquit D. Chrysologus: *sic quos credentes putamus pares, fide dispares invenimus: sic judicii prodit messis, quod Ecclesiæ germen occultat, juxta illud dictum Dominicum: A fructibus eorum cognoscetis eos.*

Et hæc est prima ratio, cui accedit etiam altera eodem Doctore D. Chrysologo:

Flores multi, inquit, multitudinem fructuum pollicentur, sed examinati ventorum flabris ad fructum paucissimi perseverant: Sic credentes in Christo multi videntur in pace, ubi autem persecutionis procella perflaverit, pauci Martyres reperiuntur in fructu. Et quia hic Deo Judice spectatur, & quæritur; inde rectè Magister Christus: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Quod ut in aperto

Qui sint illi fructus?

aperto sit, claráque luce; primùm producam fructus, qui etsi subinde fidem faciant bonæ alicujus arboris, non tamen semper: deinde afferam ea signa, quæ certiora videntur.

Qui dubii?

Itaque id statuo primum: actiones alioquin bonas, & sanctitatem aliquam præ se ferentes, si singularitatem oleant, non indicare bonam arborem; sed plerumque malam, & hypocritim sapere.

Qui quod omnes non facit, & præter illos aliquid; non vult esse, sed haberi sanctus, inquit D. Bernardus.

Secundum: magna de Deo, déque perfectione loqui, piè dicere de suggestu, concionem frequentem evocare; imò & animas cœlesti verbo saluti, Cœlóque reddere, non semper est fructus bonæ arboris, etsi plerumque sit.

Ratio est, quia linguæ donum cùm sit gratia gratis data, etiam in malis & peccato graviore obnoxiis

Can 16.

stare potest; ideóque: *Blandimenta verborum, & mansuetudinis simulationem fructu operationis admonet Dominus noster expendi oportere*, ut annotavit D. Hylarius.

Tertium, neque extases, neque revelationes, certa signa sunt probatæ sanctitatis, fructúsque bonæ arboris:

D.Tho. 2 2. q 175 art.2.

Extasis enim, & raptus procedere potest ex variis causis; subinde ex causa corporali, qua quis ob infirmitatem, alienationem à sensibus patitur; aliquando ex vi, artéque mali dæmonis, ut patet in arreptitiis: subinde tamen etiam ex virtute divinâ; de qua cùm plerumque non constet, meritò dubium relinquitur, sitnè à Deo raptus, an non?

Idem esto judicium de revelationibus, quæ subinde etiam malis concedi possunt, vel in præmium boni alicujus operis, vel ut illecebræ ad vitam meliorem.

Cæsar. l. 12. cap. 5.

Ita Willelmo Comiti Juliacensi in die Natalis Domini in singulis Missis ter insonuere voces Angelicæ, cœlestisque concentus.

Et tamen is gravioris culpæ reus tum erat, & pœnæ deinde æternæ reus fuit.

Quartum, neque Prophetiæ donum, neque miracula, neque quodvis Martyrum obitum ad defensionem doctrinæ, aut signa certa, aut fructus sunt bonæ arboris; tum quia illa sunt gratiæ gratis datæ, quæ etiam cadere possunt in scelestas animas; tum quia hoc saltem in speciem subire possunt etiam hæ-

Contra Adimantum.

retici, de quibus olim hoc pronuntiavit Augustinus: *Vivebant ut latrones, & mori volebant ut Martyres.*

Igitur ut ad rem propiùs accedam, signa integræ

Qui certi?

mentis, & bonæ arboris fructus, sunt opera bona, in charitate facta, cum eodem semper inviolabili tenore, invictáque constantia, quæ perennet ad usque mortem, & sacros cineres.

De his olim sic D. Paulus: *Fructus Spiritus, est Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas.*

At, inquiet unus aliquis: etiam bona opera quis ostentare potest, ad usque extrema vitæ limina, mœstósque cineres; & tamen Cœlo, Deóque teste esse quàm pessimus.

Prateolus de dogm. heret.

Ita quondam Ferrariæ ostentavit Hermannus unus aliquis, & is quidem hæreticus, quem tamen per annos omninò viginti, ut sanctum coluere Christiani, abjecti ad ipsius sepulchrum, profanúmque cadaver, quod tandem habito diligenti examine, exhumari jussit Bonifacius hujus nominis octavus, & in cineres redigi.

Bernard de Lucemburg. in Catalog. heret.

Ita in Germania Guido de Laca vulgò habitus ut alter Baptista, & tamen post accuratam vitæ illius indaginem, hæreseos damnatus, & jussus etiam post fata flammis tradi: cúmque traderetur, ossa arida, atque exsucca in mediis ignibus sese erexêre ad stuporem populi, & commendationem; quam ut tolleret Episcopus ad sacras Aras ascendit, Sacrificium Deo obtulit, inter quod auditæ illæ dæmonum voces: *Amice jam non possumus te sustinere, quod potuimus usque fecimus.*

Sic in flammas recidêre ossa, & in cineres abiêre. At prius rudi populo fuerant venerationi, opinione sanctitatis, hausta ab operibus in speciem bonis; propter quæ *vulpes* appellat D. Bernardus, qui docti male simulare, oculisque hominum illudere: Is nimirum hæretici genius est, de quo sic disertè Divus Bernardus:

Nescio, inquit, *qua arte fingendi, ita sua confundit vestigia callidissimum animal, ut qua vel intret, vel exeat haud facile queat ab homine deprehendi. Si Fidem interroges, nil Christianius; si conversationem, nil irreprehensibilius; & quæ loquuntur, factis probant. Videas hominem in testimonium suæ Fidei frequentare Ecclesiam, honorare Presbyteros, offerre munus suum. Confessionem facere Sacramentis communicare: quid fidelius? Iam quod vitam moresq́; spectat. Neminem concutit, neminem circumvenit, neminem supergreditur, pallent insuper ora jejuniis, panem non comedit otiosus, operatur manibus unde vitam sustentat. Ubi jam vulpes?* Hanc ubi quæstionem intulit D. Bernardus; respondet: *Vinearum demolitio testatur vulpem*; qui autem fiant illa, ostendit.

Serm 66 in Cant.

Qui mali?

Mulieres, inquit, *relictis viris, & viri dimissis mulieribus ad istos se conferunt; Clerus, & Sacerdotes, populis Ecclesiisq́; relictis, intonsi, & barbati apud eos, inter textores, & textrices plerique inventi sunt, inter scandalosum contubernium, consortiúmque fœminarum.*

Ecce fructus malæ arboris, ecce opera vulpis; & si voles etiam lupi; demolitio vineæ, hoc est Ecclesiæ; Apostasia, & defectio Clericorum, & inter fœmineos greges lascivientis libidinis effrænis licentia, à qua sacra omnia tandem insano ausu profanari est necesse; ut eleganter declarat D. Bernardus epistolà ad Hidelphum Comitem:

Versatur, inquit, *in terra nostra sub vestimentis ovium lupus rapax; sed ad Domini designationem, à fructibus cognoscamus illum.*

Subjicit deinde qui sint illi fructus: *Basilica, sine plebibus, plebs sine Sacerdotibus, Sacerdotes sine debita reverentia: sunt & sine Christo Christiani; Ecclesiæ Synagoga reputantur; Sanctuarium Dei, sanctum esse negatur; Sacramenta non sacra censentur; dies festivi frustrantur; solemniis moriuntur homines in peccatis suis; rapiuntur animæ passim ad tribunal terribile, nec pœnitentia reconciliantur, nec sacra Communione muniti; parvulis Baptismi negatur gratia.*

Ecce fructus, à quibus innotescere potest, ac debet falsus Propheta, id est hæreticus, qui venit in vestimentis ovium; sed intrinsecus est lupus rapax, qui scilicet oves, & ovile perdat, qui sacras Aras ausu nefario violet, qui Templa Immortali Deo, ac Divis dicata, aut profanet, aut destruat.

Qui falsorum Prophetarum?

D. Antonius in æstu orationis, & mentis excessu, visus est sibi videre Arianos in specie, formâque muli, qui pedibus sacratiores Aras obterere, imò & evertere videbatur.

S. Athan in ejus vita.

Objectæ visioni respondit eventus; vix enim elapsi erant anni duo, cùm expilata, eversáque ab Arianis Templa, & Altaria ipsa ovium (hoc est, Cristianorum) sanguine respersa.

Nimirum hic ferè primus est fructus, qui ex hæresi, ceu mala arbore pullulat, ut videre est per lapsa retrò sæcula,

Quæ hereticorum?

Annò Christi tercentesimo vigesimo quarto Eustachiani in profanis ædibus celebrare conventus, quòd sacras aversarentur.

Sozom. l. 3. hist. c. 13.

Hos proximè secuti Eunomiani, qui & ipsi renuebant pedem inferre in SS. & Martyrum basilicas: quod genus dementiæ dum horret, ac detestatur D. Hieronymus, sic adversus Vigilantium exclamat

O portentum in terras ultimas deportandum! rides de reliquiis Martyrum, & cum authore hujus hæreseos Eunomio, Ecclesiæ Christi calumniam struis.

Ariani

Ariani sub annum Christi tercentesimum quinquagesimum, dicata Deo templa violare, quà lascivis verbis, quà gestu petulantiore, quà eoam actionibus indecoris.

Theodor. Julianus Apostata anno tercentesimo sexagesimo sexto, eò venit impudentiæ, ut etiam in Altaria mingeret; quod facinus impedire cùm vellet Euzoius ab eo alapam accepit: ita malignum, & pervicax Apostatæ illius ingenium.

Donatistæ post annos viginti, eodem spiritu, eademque impietate & Templa, & Aras evertere.

Manichæi Christianorum Basilicas cum tripode componere;

Scholares authore Petro Brusio, cum tabernis, & equili.

Albigenses cultum Sacrum, Templorumque venerationem, idololatriæ incusare, atque damnare, & in ipsis Altaribus veneri vacare.

Lutherus monstrum hominis, comparare cum idolo Baal.

Calvinus, ut acriori, ita ferociori vir ingenio, eadem evertere, atque incendere: quod genus impietatis Germaniâ, Galliâ, Angliâ, longè lateque diffusum, innumera propè Templa æquavit solo; adeò ut in sola Anglia paucis annis ad decem Templorum millia diruta censeantur, alia spoliata, ac deserta.

Ecce fructus, à quibus hæreticus digito monstrari possit, & dicier: hic est.

Sed ab hoc discedo, venioque ad alios fructus, ex quibus bona, maláve arbor, hoc est bonus, malusve Doctor dignoscatur.

Bonus erit, si oves quærat, non vellus; si animarum lucro studeat, non implendo marsupio, damnabili profectò avaritia. De qua sic D. Ambrosius: *Cæca est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis; non videt quæ Divinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis.* *Serm. 13. in fest. B. Alexii.*

Ita cogitarunt olim Scribæ, & Pharisæi, qui, ut ait Salvator optimus: *Devorabant domos viduarum, sub obtentu prolixæ orationis.* *Marc. c. 12. v. 35.*

Non sic Apostolus Gentium Paulus, qui hæc ingenuè, & verè de seipso: *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos.* *2. Cor. c. 12. v. 14.*

Sed & alius est fructus, è quo pateat cujus generis sit arbor, hoc est Magister.

Bonus erit, si durus in se, ac severus; in alios indulgens, ac benignus: si nihil suaserit ipse quod non præstiterit prius; si sibi gravia, aliis levia imposuerit.

Contrà, quàm fecêre Pharisæi, qui aliis appendebant onera gravia; ea verò ipsi ne digito attingebant: *In quo duplex erat malitia,* inquiebat Chrysostomus: *una quod à subditis exposcerent summam diligentiam vitæ, & sibi multam concederent licentiam:* contra officium boni Pastoris, ac Principis, qui sibi gravis judex esse debet; subditis autem benignus, & pius. *Hom. 73. in Matth.*

Non ii fuere Scribæ, ac Pharisæi: testis fuit olim mulier illa, in adulterio fortè deprehensa, quam importunis clamoribus ad cædem, ac saxorum grandinem deposcebant. Ita nimirùm *ad aliena peccata punienda ibant, qui sua reliquerant,* ait D. Gregorius; ad quos proinde sic Christus: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in eam lapidem mittat.* Nempe Doctor & Judex æquus *Priùs propria corrigat est necesse, & tunc aliena reprehendat:* sibi primùm quisque censor sit, & severus Judex; tum deinde aliis: sua delicta puniat, aut tollat; dein, aliena: & ubi illis purus fuerit, tum lapidem mittat in noxium caput. *Lib. 14. Mor. cap. 9.* *Greg. suprà.*

Omitto alios fructus, qui facilè legenti SS. Patres atque Interpretes occurrent; nobis, pro solita brevitate, præcipuos attigisse erit satis.

QUÆSTIO TERTIA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine; intrabit in Regnum Cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum,* vers. 21.

ECQVIS ILLE QVI DICIT: DOMINE, DOMINE?

Qui semel dicunt Domine? UGO Cardinalis in hunc Matthæi locum ingeniosè notat, quosdam esse, qui *semel* dumtaxat dicunt: *Domine.* Et hi sunt hæretici, quibus in ore tantùm ea vox: *Domine*; nihil enim apud illos sonat nisi Christus.

Qui bis? Alii sunt primis paulò meliores, non tamen boni; & hi *bis* dicunt; *Domine*; sunt hypocritæ, qui Dominum in ore habent & opere; sed ficto, & in speciem bono: re verò ipsa malo.

Qui ter? Postremi *ter* dicunt; *Domine*: scilicet corde, ore, & opere: & hi soli boni censeri debent, & aliquando futuri hæredes Regni cœlestis.

Qui opere docent. Is olim fuit Humbertus Monachus: de quo hæc Bernardus in oratione funebri: *Factitium vobis sermonem in omni forma sanctitatis iste Dei servus exhibuit.*

Rectè *factitium sermonem*, quia explebat opere Humbertus, quod ore docebat, & quam sanctitatis imaginem, ac formam oratione, ceu penicillo, depingebat; eandem opere, ceu vivis coloribus animabat.

Noverat nimirùm, & altè in animum demiserat illud S. Leonis Pontificis Maximi: *Validiora sunt exempla, quam verba; & plenius est opere docere, quàm voce:* plenius, inquam, est, atque efficacius; quia ut canit Poëta: *Serm. 1. de S. Laurent.*

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Hæc nempè etiam ad animum pervadere, & novos in eo ciere motus, versareque in omnes virtutis partes; ea quippe operi vis inest, non autem orationi.

Pulchrè ad institutum nostrum Divus Basilius: *Qui opere confirmat eam Philosophiam, quæ apud alios verbis tantùm commendatur, is sane sapiens est; qui autem verbotenus sunt philosophati, nec vitæ sermonem sunt comitati, umbris comparandi.* *Hom. de legend. libr. Gentil.*

Umbra lucem impedit, aut etiam lucis illius est privatio, & quoddam inane simulacrum corporis, quod non rarò spectantes deludit, aut terrore complet. *Qui voce tantum.*

Et hoc facit, qui verba tantùm venditat, qui oretenus inclamat sacrum illud: *Domine.* *Hi similes umbræ.*

Primùm enim inani vocis sono auras, & aures verberat, nec ad cor evadit.

Deinde veritati lucem aufert, & tenebras quodammodo offundit, atramque noctem.

Denique auditoribus illudit, & quibusdam terriculamentis à virtute avocat, regnóque Cœlorum, in quo seipse condemnat, alios dum malè perdit.

L. 6. in 1. Reg. c. 3. — *Qui enim dicit, & non facit, oris proprii gladio condemnatur*, inquit D. Gregorius.

Hi seipsos cõdamnant. — Et verò quidni condemnetur, cùm voce Dominum & Deum suum agnoscat; opere autem neget?

Ita simul & agnovit, & negavit infœlix Israël, ad quem sic olim eotheo spiritu Elias Propheta: *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; Si autem Baal, sequimini illum.* — 3. Reg. c. 18. v. 21.

Hi claudicant. — Claudicabat Israël, quia jactabat sæpiùs illas voces: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Jactabat illud: *Domine, Domine*; at voce tantùm; re autem ipsa, nec Dominum, nec Deum profitebatur: si enim professus fuisset, nec vitulo aureo sese inclinasset, nec Cœlo duram cervicem, & indomitum caput objecisset; sed illicò submisisset.

Quod Israëli quondam, hoc deinde posteris sæculis quamplurimis usu venit.

De Deo, de virtute magnificè, & sentiunt, & loquuntur; at ex ejus placitis minimè vitam exigunt. Iis objici posset illud, quod olim Augustinus laudatoribus suis:

Serm. 16. in Matth. — *Omnes me laudant, non amo in voce laudatorem, & in corde contemptorem; cùm enim laudas, & non te corrigis, contra te testis es.*

Si virtuti sua mens esset, atque intelligentia, si sua vox probè animata; diceret illa: Omnes me laudant, at non amplectuntur omnes; non amo in voce laudatorem, in corde contemptorem.

Ut olim Philosophi profani. — Et verò nec amat Deus, qui opera in nobis requirit, non inanem vocis sonum; qualis olim fuit in profanis Philosophiæ sectatoribus, qui præclara dabant præcepta benè vivendi; at exempla non dabant.

L. 7. de vita beata. c. 18. — Hinc ut ait Seneca: *Optimo cuique objectum fuit, Platoni, Epicuro, Zenoni, omnes isti dicebant, non quemadmodum ipsi vixerunt, sed quemadmodum ipsis vivendum erat.*

Quod Philosophis olim obtrusit Seneca, nec immeritò; hoc ego in præsentia Christianis, imò quod deplorandum magis, etiam viris religiosis, & divini Verbi præconibus.

Non præstant Philosophi quæ loquuntur, nam si paria dictis agerent, quid esset illis beatius? — Cap. 20.

Ut modò mali Concionatores. — Dicam ego non præstant Oratores Christiani, quæ loquuntur, nec paria dictis agunt, imò impania longè, atque inferiora; quibus ego lubens silentium imponerem, & æternum quidem.

Navigabat olim cum nefariis hominibus Bias philosophus, cùm ecce subitò tempestas oritur, tolluntur venti, intumescunt maria, turbatur æther, naufragium imminet, & sub oculos est ipsa mortis imago; qua perculsi scelerati illi, voces attollere, Deósque invocare; quibus illicò Philosophus: *Silete*, inquit, *ne vos hîc Dii navigare sentiant.* — Laërtius in vita Biatis.

Hæc ille ex profana sua sapientia, qua edoctus existimabat actum de salute jactatæ navis, si facinorosi vel de rogandis Diis verba facerent, vel ab iis etiam audirentur.

Nimirum summa illa, Divináque bonitas pati non potest pias voces ab impiis ad ostentationem proferri, nec vitam cum lingua consenore; uo non consentit in iis qui dicunt: *Domine, Domine*; mali profectò, importunique oratores. — Et mali Christiani.

Primò, quia in Deum injurii, ut qui eum linguâ ad se invitare videantur; re tamen ipsa repellere: deinde quia & ipsi naturæ quodammodo injuriosi, ut qui aliud voce, aliud opere exprimant: voce enim, pia, cœlestia, divina jactare videntur omnia; at opere, & impia, & lutea cuncta, contra animatæ vocis, sermonisque humani leges, inditámque à natura illi vim, ex qua etiam Solone judice: *Sermo est imago operis.* — Laërtius in vit. Phil. l. 1.

At non est imago in iis (de quibus agimus) qui inani vocis sono usurpant sanctum illud: *Domine, Domine*; quos proinde etsi audit Deus, at non exaudit.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.



EXHIBET Salvator optimus parabolam villici perquàm iniqui, ut in ea se quisque videat, sua vitia legat, & imminentem Dei manum, Iudicis oculum, severas Cœli leges, ac rationes timere discat, sibique dum vita patitur, prospicere.

Lucæ c. 16. — *Homo quidam*, inquit, *erat dives, qui habebat villicum, & hic malè audire cœpit, quasi dissipasset bona illius.*

Ab ista fama, pessimóque nomine villicum evocat, & ait: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.*

Quid hîc ageret misellus homo? quò se verteret? quid consilii caperet? Est ipse sibi malè conscius, eóque secum ipse malè. Ut enim D. Augustinus: *Qui malus est, malè secum est; benè cum malo esse non potest.*

Neque verò etiam cum Domino illi poterit esse benè: quî enim possit, cùm omnia ejus bona abligurîerit, absumpserit, ac dissipârit?

Quomodo igitur sibi consulet? *Ingens telum necessitas*, qua dum premitur, seipse colligit, atque in consilium vocat: *ait enim intra se: Quid faciam? Quia Dominus meus aufert à me villicationem?*

Quid

Quid tandem erit opis? quid effugii? quî ultimas perituræ vitæ reliquias sustentabo?

Ut duro me subjiciam labori, ut vires atteram aratro, ut frangam subigenda terra, non possum: *Fodere non valeo.*

Ut vacuis manibus, decussatisque brachiis dies totos in otio perdam; nec illud ad victum satis; otia vitam non sustentant.

Ut mendicato victitem, & ostiatim stipem quæram, unde corpusculo quid modicum accedat, & pellendæ fami: nec illud fert animus, justúsque rubor: *Mendicare erubesco.*

Quid igitur? Ubi de seipse diu torsit, ubi facultates omnes in mentis conclave evocarit: *Sio* ait *quid faciam.* Accersam debitores omnes, & illis faciam quàm optimè, ut cùm amotus fuero à villicatione, me recipiant in domos suas.

Placuit id consilii: Debitores vocat, & quidem singulos nominatim, tum ex primo quærit: *Quantùm debes Domino meo?* subjunxit ille: *Centum cados olei*; cui villicus: amabo te bone vir: *Accipe cautionem tuam, & sede citò, & scribe quinquaginta.*

Tum etiam ad alterum versus, ab eo petiit: *Tu verò quantum debes?* Respondit: *Centum coros tritici*: tum villicus, Indulgens, inquit, *accipe litteras tuas & scribe octoginta.*

Paruit ille, scripsitque. Interea fama volat, & primùm ad Domini aures appellit ea villici prudentia, eæ fraudes, dolique: Deinde laudat Dominus *villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset*:

Denique adjicit illud lemma, & deptomptum è primâ Veritate oraculum: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.*

Et hæc est brevis Parabolæ species, ac Paraphrasis: de qua

EX D. THOMA.

Luc. c. 16. AD illa verba: *Redde rationem villicationis tuæ.* Oportunè monet Angelicus Doctor, dum
Serm. 2. ait: *Istud verbum dicetur cuilibet, vel in morte, vel in Iudicio.* Ut ergo eò loci, ac temporis reddi possit bona ratio, spectanda ejus difficultas longè maxima. Ea petitur ex triplici capite.

Primò, *A materia* de qua; hoc est, 1. *De omnibus cogitatis*; nam *in cogitationibus impii erit interrogatio.* (Sap. 1.) 2. *De dictis omnibus*, etiam de omni otioso verbo. (Matth. 12.) 3. *De factis omnibus. Cuncta quæ fiunt adducet Dominus in Iudicium.*

Secundò, *A testibus*, qui rationes illas examinabunt, atque excutient accuratiùs: & hi tres erunt; è quibus, 1. *Deus* ipse, qui sic per Malachiam: (Cap. 3.) *Accedam ad vos in Iudicio; & ero testis maleficis, adulteris, perjuris.* 2. Erit *Conscientia*; testimonium reddens *cogitationibus* etiam *invicem accusantibus.* (Rom. 2.) 3. *Omnis creatura. Revelabunt enim Cœli iniquitatem, & terra adversus consurget.* (Iob. 20.)

Tertiò, *A sententia ferendæ severitate*; hæc autem apparebit in tribus, & quidem 1. In hoc quod spoliabit omnibus bonis: ita nimirum *divitias, quas devoravit avarus evomet, & extrahet eas Deus*; (Iob. 20.) divitias, inquam, id est bona omnia. 2. *Quia ardentissimi ignis incendio cruciabit.* (Isai. c. ult.) 3. *Quia in æternum.*

Hæc tria importantur in ea Domini sententia.

I. In hoc: *Discedite à me*, sine quo non potest esse bonum. *In ignem*: Ecce Secundum. *Æternum*: Ecce Tertium.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 8 post Pent. serm. AD illa verba: *Habebat Villicum: Villicus*, inquit, *Domini est omnis homo, cui bona sua commisit*: vel certè est *peccator, dissipator bonorum Dei.* Hunc vocat Deus.

Primò, verbo Evangelicæ prædicationis, ut illuminet, & partem rationalem cœlesti luce perfundat.

Secundò, beneficio continuæ administrationis; ut appetitum concupiscibilem alliciat: *vocat*, inquam, *Deus cum muneribus prævenit, & collatis beneficiis quasi emissis vocibus ad se ducere studet. Respondet* autem *homo, quando digna opera juxta percepta munera reddere festinat.*

Tertiò, vocat flagello correptionis, ut deterreat, & appetitum irascibilem edomet, avocétque à malo; quando nimirum adeò sensus omnis expers est peccator, ut *nec erudiri per documenta, nec allici per beneficia* se patiatur: tum enim per flagella vocat, ac propè cogit intrare. Sic vocavit, sic coëgit, cùm ad servum dixit: *Exi in vicos, ubi sunt Diaboli tentamenta; & sepes, ubi sunt inutilia incitamenta vitiorum, & compelle intrare infirmitatibus, & calamitatibus præsentis vitæ*: (Luc. 14.) Ut rectè explicat Glossa,

Ubi Villicum sic ad se vocavit Dominus, tum ad illum: *Quid hoc audio de te?* quasi dicat: accusaris apud me de criminibus longè gravissimis.

Nam audio de te arrogantiam detestabilis inobedientiæ contemnentis celsitudinem immensæ potentiæ.

Audio de te malevolentiam invidiæ effundentis sanguinem humanæ naturæ.

Audio de te demolcantiam carnalis lasciviæ subvertentis imaginem Divinæ essentiæ.

Ubi Villico, ceu reo, hæc scelera objecit Dominus, justus Judex; tum ulteriùs elabitur, & ait: *Redde rationem villicationis tuæ.* De tribus postulat sibi fieri satis.

Primò, *De immundis cogitationibus cordis.* Secundò, *De vanis, & dorisi sermonibus oris.*

Tertiò, *De malis, & pravis maleficiis operis.*

Vel si mavis, dic illi Villico: redde rationem *de tribus. Videlicet de malorum commissione, bonorum.* Serm. 2. *omissione, subditorum commissione.* Verùm cum solvendo non sit, ad novas confugit artes, & cum debitoribus Domini sui convenit etiam fraude, doloque; è quo occasionem cepit Christus adjiciendi monitum illud cœlo dignum.

Serm. 4. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* in quæ verba sic Doctor Seraphicus:

Quadruplicem amicum habet homo; scilicet Deum, Angelum, hominem, diabolum: habet amicum Deum creantem; Angelum dirigentem, hominem, id est pauperem, exorantem; dæmonem persequentem.

Hos omnes amicos sibi facit de mammona iniquitatis. Deum quidem, ejus bona quàm optimè dispensando; Angelum, ei obediendo; pauperem, eleemosynam largiendo; dæmonem autem, eandem subtrahendo; hunc, inquam, hac ratione sibi amicum facit homo: *Amicus peccatoris, est Diabolus.* Amat enim illum: at quàm pessimè. Quia *sicut amat gulosus porcellum ut comedat: sic Diabolus animam peccatoris, ut perdat.*

Cave istum amicum tibi feceris de mammona iniquitatis; sed potiùs pauperem: *Cui si eleemosynam dedisti, non gratis dedisti; sed hospitium æternum tibi conduxisti. Prabe tectum & accipe Cœlum; prabe calicem aqua frigida, & accipe torrentem voluptatis æternæ; recipe pauperes, ut recipiaris ab illis.*

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Homo quidam erat dives, qui habebat Villicum, & hic diffamatus est apud illum.* Lucæ c. 16.

QVIS ILLE HOMO? QVIS VILLICVS? Et quomodo diffamatus?

Homo ille Deus.



OMO ille, qui primæ Veritatis testimonio dives appellatur, est Deus; de quò ita Sapiens, ex versione Tigurina:

Cant. 5. vers. 14. *Manus ejus Orbes aurei, pleni mari.*

Munificentiæ symbolum est manus, & aurum opulentiæ; quam ne putes ulla profusione exhauriri posse: dum se perenni fluxu, ac beneficentia in mortales effundit: dicitur ea manus aureos jactare globos pleno mari; ne scilicet unquam deficiat, aut exarescat.

Manus ejus aurea plena hyacinthis.

Concinnè Dei manus dicuntur, & sunt tornatiles, globosæ, sphæricæ, in quibus nihil eminens, nil lacunosum, nil incisum angulis; sed levia, mollia, sphærica, amantia sunt omnia: ut quæ continuo lapsu volvantur, & aurum fundant, gemmas, ac hyachintos.

Plutonem Deum divitiarum finxerunt antiqui, eúmque cœcum, ac jacentem: cœcum quidem, quòd bona sua spargeret impete cœco, deplueretque in immerentes, & noxia plerumque capita:

Jacentem autem, quòd ad fundenda bona piger, tardus, miniméque volubilis esset.

Dives est. At non sic Deus noster: dives ille est in omnes, & dum cœlestes gazas aperit, omnibus aperiri vult, ac patescere; & hoc provida mente, destinato consilio, concita vi, explicata manu, qua vult omnes beneficentiâ suâ frui, & quidem probè.

Villicus peccator. At plerísque id usu venit, quod Villico iniquitatis. Quis ille quæris? Peccator est, tam apud mortales, quàm immortales, multis nominibus infamis.

Primùm, quia recessit à Deo suo, à quo omnis honor, sine quo nihil nisi dedecus, atque infamia.

I. Infamisquia à Deo recessit. Testem volo etiam è profanis unum aliquem; is erit Philo, cujus hoc est pronunciatum:

Homo hunc præcipuum honorem sortitus est præter animalia cætera, quòd Deum colat.

Si dignus honore, & quidem præcipuo; quòd Deum suum debito cultu prosequatur; certè eo indignus est si secus facit: & hoc calculo hominis Iudæi, ac profani; at magis suffragio D. Augustini, cujus hoc oraculum:

Honor noster, Deus noster: si honor noster est Deus; profectò, qui Deum amore continet, ac possidet; & ipsum quodammodo contiuere, ac possidere honorem videbitur: è contrario, qui Deum excusserit, atque abjecerit (uti facit peccator) unà etiam honorem omnem exuisse, & dedecus, & infamiam induisse liquidò apparebit. Serm. 4. de Verb. Dom.

Et hæc prima nota mali nominis, addo & secundam; quòd scilicet & à natura, & à seipso quodammodo recesserit. II. Infamisquia à natura, & à se.

Testem habeo adolescentem prodigum, de quo hæc prima Veritas Evangelistæ calamo: *In se autem reversus dixit, quanti mercenarii.* De illo sic ore aureo Sanctus Præsul: Luc. c. 16.

In se autem rediit, ut rediret ad Patrem; quia à se ante recesserat, cùm recessit à Patre. Chrysol. serm. 2.

Est in homine natura, est ratio, est mens, atque intelligentia; & ab hac, & ab illis longiùs abit, qui peccat.

Primùm quidem à natura, à qua sibi inditam acceperit Dei sui imaginem, quam à peccato mutat in imaginem bestiæ; videlicet: *Leonis per superbiam, lupi per voracitatem, vituli per lasciviam, tauri per extollentiam, pardi per hypocrisim, hyæna per crudelitatem, apri per iram, canis per invidiam, vulpis per hæresim, cameli per gibbositatem, id est divitiarum, & avaritia sarcinam;* inquit Greveus Cancellarius Parisiensis. Serm. 177.

Ecce quàm longè à natura discedit peccator, quàm ab indita sibi forma alienus est; attende quantum etiam à mente, atque intelligentia.

Dixit olim orator Romanus: *Sua quemque fraus, suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat;* & quod inde consequens est, etiam à ratione. De Israëlitico populo questus olim Deus Jeremiæ voce, quòd insipiens esset, atque amens. Cap. 4. v. 22.

Quia, inquit, *stultus est populus meus;* in quæ verba sic disertè D. Hieronymus: *Stultus non naturâ, sed studio voluntatis.*

Ita nimirum, qui insolentes passionum æstus, imperiúsque

Impetúsque ſequitur, qui cupiditati indulget ſuæ, qui aliquo lethali ſcelere ſe polluit; ſeipſe deturbat de mentis poteſtate, non neceſſitate aliqua inductus; non naturæ connivencia, ſed ſtudio perverſæ voluntatis, à qua infamiæ notam incurrit, dum ex mento ſtultus audit, atque inſipiens.

III. *Infamis quia a ratione.*

Sic audit olim David, qui hæc de ſe pſallit iſti nænia: *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, a facie inſipientiæ meæ.*

Pſal 37. v. 6.

Hoc eſt peccati lethalis, quod inſipientiam vocat, & quod ab inſipientia procedit: ut enim rectè D. Baſilius:

Eo loco.

Omne peccatum per ſtultitiam fit, nec ſapit, nec mentem habet qui peccat. (Ut vere D. Chryſoſtomus) Qui enim haberet eruta penitus, atque effoſſorationis oculo? Rex Babylonis, ut Sedeciam inſigni notare infamia; primùm immaturo fato filios ejus extinxit: deinde illi oculos eruit.

Quod Sedeciæ, hoc peccatori, cui, ut advertit B. Petrus Damianus: *Malignus ſpiritus, ſubductis prius bonis operibus* (ceu fœcundæ, bonæque mentis filus) *intelligentiæ lumen tollit.* Deinde facit, quod olim Philiſtæi Sampſoni; damnat ad molam, hoc eſt, ad opera ſervilia, inſtar infœlicis mancipii, imò & jumenti: & hinc aliud infamiæ caput.

Lib. 2 Epiſt. Epiſt. 5.

Ubi enim (ut eleganter Euſebius Emiſſenus) ubi, inquam, *Superbia, malitia, obtrectatio, invidia, quæ ſunt opera tenebroſa, lumen mentis obcæcarint;* tum abjiciunt ad turpem, Infamémque peccati ſervitutem.

Hom 2 de Nat. Dom.

IV. *Infamis quis ſervus.*

Philoſtratus in vitis Sophiſtarum, ait lege cautum olim, ut ab hominum ingenuorum albo eraderetur is, qui aliquo modo ſervili artificio dediſſet operam; rebantur nimirum viri ſapientes, ab hoc aliquid adhæreſcere infamiæ, & tantum ab honeſtate morum, atque ingenuitate receſſiſſe; quantum ad opificium exercendum acceſſiſſet. Imò in hoc ipſo aliquod eſſe genus ſervitutis: *Eſt enim in ipſis opificibus ipſa merces auctoramentum ſervitutis*, ut inquit Tullius.

1. Offic.

Quod ſi is eſt quiſquis mechanico addictus fuerit opificio; quem eſſe judicabis peccatorem, qui viliſſimo operi (hoc eſt paſcendis porcis inſtar prodigi) intentus eſt totus?

Enimverò infamem eſſe proclamabis; imò ſervum, ac viliſſimum mancipium: de hoc ut ſolet aurea eloquentiâ D. Chryſologus:

Erat homo peccati ſervus, erat mancipium dæmonum, erat idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus, ſic malis Dominis, talibus, tantiſque exhibebat homo malam, & miſeram ſervitutem.

Serm 6. in Pſal. 99

Hæc S. Præſul, è quo pauca ſtylo notari velim, & alnis animo memori infigi.

Primum, quod ſit peccati ſervus, adeóque tot Dominos; imò tot tyrannos patiatur, quot peccata. Ut enim utar ipſis Euſebii Emiſſeni verbis:

Et ſervus peccati.

A quo quis vincitur, ejus & ſervus eſt; iſte obtemperat injuſtitiæ, ille iræ; iſte ſuperbiæ, ille ſævitiæ; iſte malitiæ, ille iracundiæ; iſte avaritiæ, ille luxuriæ. Neſcio quomodo ſe inter hæc ingenuum ducere audeat, quem tot Domini in partes ſuas diſtrahunt.

Quid prodeſt quod liber eſt in natura, qui ſervus eſt in conſcientia? Hæc magnus Præſul de peccati ſervitute, cui aliam adjicit D. Chryſologus, de quo ſuprà.

Quòd ſcilicet peccator ſit *mancipium dæmonum:* quo quid vilius? quid abjectius, di cip. teſt? Sunt dæmones primi fœtus peccati, ſuperbiæ mala germina, inferni monſtra, ſuperum ac Dei jurati hoſtes; & iis ſubeſſe adinſtar mancipii, quid miſerius? Sed etiam additur aliud ad miſeriæ illius cumulum; quòd peccator ſit, *idolorum vernula*, hoc eſt ſcurrile procax mancipium ſuarum cupiditatum, quibus genua ſubmittit; imò & animum, ut idolis fieri ab infanis ſolet: & hoc infame genus ſervitutis.

Mancipium dæmonum.

Sed & aliud; quòd ſit *vitiorum verbero.* Romani (apud quos ingenuus pudor erat in primis curis lege latâ caverant, ne ingenui verberarentur, quòd id genus ſupplicii non caderet niſi in ſervos, abjectáque mancipia.

Vitiorum verbero.

Quod ſi verum eſt de verbere, quod corpus hoc mortale malè afficit; quantò magis de illo, quod evadit ad immortalem animum, & hunc deturpat, perimitque infami plaga; dum ſcilicet tot patitur verberones, quot vitia; ab his fœdè vapulat peccator, imò & tunditur, ut in incude ferrum ſolet.

Hinc enim vulnus infligit avaritia, inde luxuria, ſericis quidem ut apparet flagellis: at flagellis tamen, & quidem acrioribus: iſtinc ſuperbia, gravibus implexa vinculis, nodiſque: illinc ira ſcorpionibus armata, ignitiſque catenis, quæ tot ſulcos ducunt in carne, imò & in mente, quot incutiunt verbera. Et en tibi ſub his miſeram peccatoris ſortem; en turpiſſimum genus ſervitutis; à qua nihil eſt reliquum, niſi infamia, eaque æviterna: ut enim rectè Sidonius: *Improborum probra, æquè ut præconia bonorum, immortalia manent*

Lib 9. Epiſt. 8.

Et iſta ſunt, quæ ſpectare debet ingenuus animus, & ſecum ipſe cogitare, ſecum loqui, ſecum agere, ubi vel mundus ſuis illecebris, vel caro blanda, ac molli titillatione, vel dæmon pravis ſuggeſtionibus ad ſcelus aliquod aut vocat, aut impellit.

Ecquid enim, ſibi dicet unus aliquis, quò impelleris? quò proruis animule; ubi ad peccatum impellens externa vi, aut tua ipſe ſponte proruis? Impelleris in barathrum infamiæ, irruis in probra, in dedecus, quod nomini tuo ſic adhæreſcet ut revellatur nunquam.

Quiſquis in hanc vitæ ſcenam venit, venit in theatrum, aut bonæ famæ, aut infamiæ; ſi vitam agit ex virtute, ex Chriſtianis præceptionibus, ſi Cœlo, Deóque dignam; theatrum eſt gloriæ, ac honoris. Ejuſmodi fuit Zeno, de quo à morte ſublato, ſic Rex Antigonus: *quale theatrum amiſi.* Exiſtimabat nimirum, clariſſimi viri vitam, animique dotes ſumma in varietate poſitas, & undique radiantes, *Theatrum* eſſe.

Et verò Theatrum fuerant, ſed boni nominis, bonæ famæ: uti è contrario impiorum vita theatrum eſt dedecoris, atque infamiæ, in quod nunquam deſcendet generoſus animus.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad eadem verba: *Homo quidam erat dives, qui habebat Villicum, & hic diffamatus est apud illum.* Lucæ c. 16.

QVIS ILLE HOMO DIVES? QVIS VILLICVS? Quæ mala fama?

Serm. 121.



HAs quæstiones solvam ex D. Chrysologo, in quo quot verba, tot sententiæ; imò tot propè Oracula: Igitur

Dives Christus. Ad primam. Quis ille homo dives? *CHRISTVS est:*

Primò, Dives, *ut qui in paupertate nostra totas creaturæ divitias possidebat.*

Secundò, Dives, *quod inesset ei locuples Deitas, cui erat humana paupertas.* Ita nimirum *in majestate sua Dives erat, qui oculis Iudæorum erat pauper.*

Et quomodo Dives non erat, cui ministrabant Angeli, Virtutes parebant, Elementa serviebant, & quæ non erant, fiebant jussa; vocata veniebant?

Homo Villicus. At quis est *Villicus?* Omnis homo: *Quem enim nisi hominem, cui ad colendum mundum tota fuerat commissa possessio.*

Et hic *diffamatus est apud illum*: on ergo ex fama cognovit? An non oculis usurpavit? An non præscivit? An non prævidit *Cui occulta nota sunt, cujus oculis etiam illa nuda sunt, quæ sequuntur? Ergóne fama credidit? Fama nuntiante cognovit? Absit; sed quia illa, quæ noverat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra.*

Cur diffamatus? Nimirum illa Dei, ceu Patris bonitas est, illa miseratio: etsi prævideat, etsi præsciat, etsi in oculis habeat; dissimulat tamen, & pœnam differt, dum altùm inclamet terra, dum per eam fama longè, latéque diffundatur.

Ita in ipsis mundi cunis tacuit, accelavit Caïni fratricidium, usque dum illius impatiens terra, exclamaret. hinc illud:

Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat de terra. Clamabat terra, clamabat Cœlum, dolebant Angeli; quando jam tota sæculi fama loquebatur.*

Quod olim Caino, hoc in præsentia isti villico; hujus enim iniquitatem, malósque dolos, & artes tacuit Deus, tacuit & Christus Judex usque dum fama loqueretur; inde dicitur: *Diffamatus est apud illum.*

At unde diffamatus? Quo nomine? *Quod dissipasset bona ipsius.*

Quomodo vocatus? Hinc *vocavit eum*; At quomodo vocavit? *Vocavit per Evangelium; per hoc enim mores arguit, occulta nudat, dinumerat mala, & in his persistenti minatur pœnam.*

Judex etiam ait: *Quid hoc audio de te? Cognita velut, audita imputat, quia in reum non vult accelerare sententiam, & convicium penes se velut accusatum convenit,* & addit istud quasi indulgentis.

Et ad quid? *Redde rationem villicationis tuæ. Rationem petit, non ut exigat; sed relaxet. petit, ut petatur: petit hic, ne petat ibi: petit in sæculo, ne petat in Iudicio: petit citò, ne pœnarum tempus, tempus satisfactionis excludat.*

Hinc adjicit illud: *Jam enim non poteris villicare. Quare? Quia venit finis vitæ, tempus mortis, jam te appetitio superna constringit, jam Iudicium vocat. Festina ergo ne satisfactionis tempus perdas, qui tempus operis perdidisti.*

Age ergo: *Redde rationem; hoc est dicere, compone rationem, compone tua, ne reddas mea. Compones autem si jam desinas dissipare: priora debita suscepi ego, cum te suscepi; solvi ego, cum te absolvi [illegible] cognitor pro te cognitori audiendus astiti. Iudicium [illegible] Iudex rei mei reus factus sum, a pœnalibus suscepi [illegible] damnatus sententiam non refugi.*

Mortis *perditor mortem excepi, penetrator Inferos destructor inferni, ut te per ista non modò subducerem tuæ pœnæ, sed & meæ consortem facerem dignitatis. Age ergo ut te, quem tempus villicationis exclusit perpetuitas [illegible] donationis includat. Age redde rationem villicationis tuæ.*

Hæc ille Dives homo, id est, Christus indulgens Judex, misericors Pater.

Quid ad hæc Villicus *Ait intra se? Quærit intra se consilium, qui foris unde sibi succurreret, non habebat.*

Hinc *ait intra se*, id est, *pungit cor suum, stimulat mentem suam, & omnia vexat interna, ut à se pœnitentiam, quam pro se dare possit, exquirat.*

Inde sedulò inquirentis est istud: *Quid faciam?* Quid ad hæc Villicus? Ita nimirum *semper homo bona facere tunc incipit, quando mors faciendi tempus ademit.*

Vita præsens quamdiu suppetit, laboris tempus est; tempus meriti, tempus quo aliquid à superis paupercula emendicet anima. At ubi propero pede mors advenerit, nec laboris, nec meriti, nec mendicationis occasio dabitur, & oportunitas; hinc veræ, sed seræ nimium Villici nostri querelæ: & quidem

Primæ: *Fodere non valeo: non quòd vires isti; sed tempora defecerant ad laborem*, uti etiam ad mendicationem: & inde

Secundæ querelæ cum multo gemitu: *Mendicare erubesco.* Ita nimirum *confusionem futuri Iudicii pertimescit, in quo jam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum; & ubi reus plus de conscientia, quàm de gehennæ erubescit incendio.*

Et verò quidni erubescat? Quidni perhorrescat, cùm neque hujus, neque illius tormentum evadere possit? Qui enim posset, cùm neque ex se quicquam suo labore valeat, neque aliena ope egestatem sublevare? Inde rursum ingeminat frigidum illud, ac triste:

Mendicare erubesco: Et quis non erubescit in cœlestibus mendicare? Miser, quem temporalitas habuit divitem, mendicum sempiternitas possidebit: & habebit hunc nudum tartarus quem locupletem suscipere cœlum potuit & tenere.

Hæc ubi de Villico iniquitatis extulit S. Præsul, tum ad subjectum populum, atque ad nos ipsos delabitur, & ait:

Parabolæ applicatio. *Præsens figura tendit ad populum; sed bonum nobis, bonum nimis, si ad nos ista aptemus singuli, si ad nos ista referamus, qui in terra nos debemus sentire Villicos, Dominos non putare; prorogationis temporaria ministerium suscepisse, non invenisse jus perpetuum possidendi. & cavere ne ad Patrem-familias fama versa substantiæ nos præcedat* si enim præcesserit, actum est, & actum malè: manet enim *vocatio amara, & ipsa acerbior exhibitio*; ad quam ut nos, dum licet, paremus quàm optime votum audiamus magni Præsulis, quod suis, quod nobis, quod posteris omnibus, stylo aureo notavit, atque edidit:

Primam,

Et fructus. *Vtinam*, inquit, *quando nos de vocatione commonet ægritudo, quando febris à villicatione inclementer avellit, quando vis doloris ad reddendam villicationem properare compellit, præsentis villici factum, sensumq; sequeremur, converteremur ad animæ consilium, ad compunctionem cordis, ad mentis pœnitentiam, ad misericordiæ suffragium, ad pietatis patrocinium.*

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Laudavit Dominus Villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset.* vers. 8.

QVOMODO DOMINVS LAVDARE POTVIT? Quomodo & Villicus prudenter fecisse?

Serm. 126. D Chrysologus. POSTQUAM hujus Parabolæ seriem, & villici factum ipsis Evangelistæ verbis exposuit D. Chrysologus, hanc quæstionem movet:

Quid hoc loco mundanus capit animus? Quid on communis capit, & recipit auditus? Vbi inter Villicum, & dominicos debitores versuta fraudis laudatur inventio, ubi debitoris honestas tollitur, aufertur pudor, violatur innocentia, verecundia tota sepelitur; ubi Villicus reddenda rationis tempore plus ardet in fraude, quàm tempore villicationis anhelavit in luxu: in articulo discussionis, Præposita ratione dubii. *in dominicum dispendium plus sævit quàm diebus sua fudit & disperdidit actionis: & qui ante substantiam vacuaverat dissipando, vacuando chyrographa quod remanserat plus evertit, nec curat unde possit sarcire, quod deerat; sed quod remansit quemadmodum minorare possit excogitat?*

Dicit enim debitori: *Quantum debes Domino meo?* Cùm subjecisset ille: *Centum cados olei; Accipe*, inquit, *cautionem, & scribe quinquaginta*; tùm etiam alteri: *Et tu verò quantum debes?* & cùm dixisset: *Centum coros tritici*; & illi ait: *Accipe cautionem, & scribe octoginta: Et laudavit Dominus Villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset. Quare probat fraudem? Furta collaudat? Prædicat falsitatem; quod est nequitia prudentiam dicit, & hoc pium judicat, quod multis pessimum falsitatis præstat exemplum?*

Hæc sibi objicit S. Præsul: hæc importunis, ut videtur, Domini pro Villico laudibus; hæc contra commendatam in eo facto prudentiam.

Tum addit: *Sapiat ita carnalibus sensibus: spiritualibus, quod est Divini luminis, jam lucescat.* Ut porrò lucescat. Exponit primò: Quid Mammona? Quævè ejus tyrannis? Secundò, Quis Villicus? Quis debitor?

I. Quærit Quis Mammona? Ad primum: Mammona, inquit, Dominus est; imò & tyrannus, qui *mundo, & mundanis tyrannico furore dominatur. Imperat gentibus, jubet regnis, bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, vexat cives, foro præsidet, jus delet; fas, nefasq; confundit, & ad mortem usque tendendo, fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, solvit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit; ut quid plura? Hoc est Mammona, Dominus iniquitatis, qui iniquè humanis & corporibus dominatur, & mentibus.*

II. Quis Villicus? *Hujus* porrò *Mammonæ Villicus, est Gentilis populus, qui dissipata taliter substantia reus a Domino per Evangelium convenitur, ut reddat rationem villicationis suæ, id est, naturalis boni: Cui etiam tunc dicitur, jam non poteris villicare, quando ei finis sæculi nuntiatur.*

Credit ille transire tempora villicationis humanæ, & intra se reversus, ait, *Quid faciam?* Nimirum *ingemuit cor, doluit mens, respondit fides, credulitas dedit consilium salutare, ut Villicus ad verum Dominum jam rediret, & erogando Mammonam sævum Dominum suæ victor subderet servituti, ut fieret salutis occasio, quod perditionis extiterat instrumentum.* Utque fieret quàm citissimè,

Pergit Villicus, Gentilis quondam, Jam Christianus, ad debitorem Domini sui. III. Quis debitor?

Sed quis ille? Judæus. Debet is primò, *Non auri, non argenti pondus; sed centum cados olei, quod chyrographo legis ad ungendos Reges, Prophetas, & Sacerdotes* IV. Quod primum debitum. *Christum Chrysmatis acceperat in figuram donec ad ipsum Regum, Prophetarum, & Sacerdotum Principem perveniret, cui reddenda erat centenarii Chrysmatis plenitudo; sed quia contra cautionem debitor ne debitum redderet occidit impius creditorem, legalis ipsa cautio pervenit ad Gentilem;* qui eo beneficio devictus ad ipsum quoque Iudæum illud transferre satagit, dum ait: *Accipe cautionem tuam, sede citò & scribe quinquaginta; Reducit* enim *ad quinquagesimum numerum:* qui *ad misericordiam pertinet:* Et hunc *non fraudem; sed pœnitentiam suadet; sollicitat ad acquirendam misericordiam, non impellit ad falsum.*

V. Quod secundum debitum. Quod & facit in secundo debito est illud: *Centum cori tritici.* Et hoc *granum tritici est* CHRISTUS, *quod satum est in terra nostra carnis; & ad ubertatem supernam per Dominicam fœcundatum est sepulturam, ut homo centesimum fructum suo jam debeat authori. Quod videns Villicus satis providet cum dicit: Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta. Quia sicut quinquagesimus misericordiam confert, ita octogesimus totam fidem præfigurat, & gratiam.*

Itaque Villicus cùm dicit: Scribe octoginta; id agit ut Iudæus per gratiam solvat quod reddere non poterat per naturam. Et hæc mysticè: hæc allegoricè S. Chrysologus, qui deinde duo conficit:

Primùm, quod *benè iste Villicus meruit laudem Domini sui, qui in chyrographis non fraudem molitus est; sed salutem.* Resolutio dubii.

Secundò, quod *filii hujus sæculi*; quales olim fuerant Gentiles prudentiores essent *filiis lucis*, id est, Judæis *in generatione sua, qua* scilicet *renati sunt; non qua nati.*

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad illa verba: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* v. 9.

QVID MAMMON? ET CVR DIVITIÆ dicantur, & verò etiam sint mammona iniquitatis?

Quid Mammona?



DE *Mammona* primum incidit, & movetur quæstio, quid nominis; tum etiam quid rei. D. Augustinus contendit esse Hebræam vocem deductam à radice *taman*, id est abscondere; itáque *Mammon*, Hebraïcè, idem erit ac thesaurus: quod is abscondi, & altè defodi soleat, ut non oculos tantùm; sed & latrunculorum manus effugiat.

I. Thesaurus.

II. Lucrum.

Elias Hebræus vult *Mammon* è lingua punica petitum esse, & *lucrum* significare.

III. Divitiæ.

D. Hieronymus nobile, varium, & ferax ingenium, neque ex Hebræo, neque è punico idiomate desumptam esse credit vocem, *Mammon*; sed è Syriaco, quo tum Salvator optimus utebatur: *Mammon* autem eodem interprete, in sua Etymologia, *Divitias* portendit, non qualescumque; sed vi, rapinis, dolo malisque artibus acquisitas, & inde factum autumat, ut consona rebus voce, *Divitias* appellarit *Mammonam iniquitatis.*

L. 9 Nu. 325.

IV. Turbatio.

Psal. 36.

Aloysius Novarinus in Electis, existimat eam voculam *Mammon* derivatam esse ab Hebræa *Hamon*, id est, *turbatio*, & *ingens strepitus*; & ne ea nominis Etymologia videri possit à communi sensu, ab antiquitate, à linguæ sacræ genio aliena, eam ducit ex illo Psalmistæ versu: *Melius modicum justo, super divitias peccatorum multas*; in Hebræo legimus *Mehamon*, quæ vox, & *divitias*, & *perturbationem* significat, quòd magna sit & hujus, & illarum cognatio. Quod ab illis ingentes curæ, & insani motus, & inauditæ turbæ oriantur, & mortalium animos quatiant, ac perturbent.

V. Idolum.

Matth. c. 6. v. 24.

Alii denique, *Mammon*, *Idolum* esse volunt; contra quod illud Christi pronuntiatum, *Non potestis Deo servire, & Mammonæ.*

Tanta de nomine inter Authores lis est, ac contentio; de re certè non tanta: satis enim inter eos convenit, mammonæ vocabulo à Salvatore divitias exprimi, ac notari: sed cur illæ dicuntur *Mammona iniquitatis?*

Divitiæ ex se non malæ.

Nemo adeò severus censor & judex esse volet, ut divitias nativæ cujusdam iniquitatis arguat; ac damnet: habent illæ suos usus, sua commoda; & si quid iis adhæsit viti, & iniquitatis, ab hominum culpa dicendum adhæsisse. In quo id usu venit, quod olim Ægyptiis. Cùm Cœlo rebelle caput, duramque cervicem objiceret Ægyptius; ut eam molliret, flecteret, frangerétque vindex Deus, multas immisit plagas, quas inter hæc ferè gravissima; quòd Nilus totus, qui Ægyptum alluit, in sanguinem versus fuerit, quod cruentas aquas evolvent.

In hoc Divinæ Justitiæ portento, aliud fuit miserationis ostentum; si enim è Nilo aquam hauriret, epotarétque Ægyptius; sanguinem haurire, atque epotare videbatur: secus autem, si Hebræus aliquis è Nilo hauriret, si potaret ille; puras, putásque & lympidas hauriebat, atque bibebat aquas.

Ex abusu malæ.

Quod olim Nilo; hoc thesauris, hoc divitiis evenire solet: si ex iis hauriat Hebræus aliquis, id est transiens, qui humana omnia levi pede transit, decurrit, calcat, nec iis pedem, animúmque figit; educet ille puras aquas, easque salientes in vitam æternam: at verò si Ægyptius, qui totus terris affigitur, & hæret, qui auro luto mergitur, ac volutatur; excipiet ille cruentas aquas, adulterinas opes, & verbo uno, ut explicat prima Veritas, *Mammonam iniquitatis.* sed cur inquies ita appellari placuit?

Cur Mammona iniquitatis?

2. 2. q. 32. art. 7.

D. Thomas, ut facilis; ita magni vir ingenii, ea Servatoris nostri verba molliùs, ac benigniùs interpretatur: ait enim vocari, *Mammonam iniquitatis*; hoc est injustitiæ, quia vel ex hoc injustæ videntur, quòd inæqualiter sint distributæ.

I. Opinio.

Justitiæ distributivæ leges id postulant, ut bona cuique ex æquo, ex merito distribuantur; videmus autem secùs in divitiis fieri; eas abundè, plena manu, gazis apertis, ac patentibus sortiuntur etiam pessimi quique; earum inopia laborant, & gemunt etiam optimi. Quid amabo facias; est ille ludus Divinæ Providentiæ, quæ cùm præsentiat malos aliquando perituros, æternúmque exuendos bonis omnibus; patitur eos in hac aura, ævóque brevi perituro, frui divitiis etiam perituris: secùs evenit in viris probis; hos quandoque in abjecta sorte, paupere tecto, domesticis angustiis patitur ingemiscere, ac sordescere, ut deinde posita vita, oneréque corporeæ molis, animus meliores sibi, ac potiores divitias in Cœlo faciat.

Quæst. 14.

II.

D. Augustinus censet opes hujus vitæ dici, & esse *Mammonam iniquitatis*, quia divitiæ à solis iniquis habentur divitiæ; in iis spes reponitur, & pars bona beatitatis; at verò justis eæ nec numerantur in bonis, nec in iis animus ipse conquiescit.

III.

Epist. 150. ad Hebidiam. q. 1.

D. Hieronymus ait divitias reputari Mammonam iniquitatis, quia omnes divitiæ de iniquitate descendunt; & vulgata sententia sæpenumerò verissima: *Dives aut iniquus est, aut iniqui hæres*

IV.

Volunt alii, & fortè veriùs, divitias indigitari Mammonam iniquitatis, quia genuinus, & germanus earum fœtus est iniquitas: *Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Duo potissimùm sunt in terris mala, unum superos, Deúmque petit; alterum homines afficit, & malè perdit.

Ejus ratio.

Rabbini ut ostenderent quàm facilis, proclivis ac pronus esset lapsus ab avaritia ad Idololatriam; aiunt Aaronem formando idolo ingentem auri vim in ignem injecisse, aurúmque ab igne liquatum, nullo artifice, ac magistro in idolum abiisse, ac confluxisse; an quia auri, & idoli magna cognatio? Ex hac certè manavit illud D. Pauli effatum: *Avarus quod est idolorum servitus.*

Ad Ephes. c. 5.

Quod si eò ducit aurum, eò rapiunt divitiæ, ei subjiciunt servituti; jure meritissimo; ipsius Servatoris oraculo *Mammona iniquitatis* appellantur.

Verùm ut ab auro, ac divitiis emanet ea contagio, ea scelerum omnium eluvies; dicendum tamen quod ex vero dici potest, etiam ab illis peti posse tanti mali remedium; etsi enim auri, opúmque radix longè pessima; fructus tamen, qui ab ea colligi potest, quàm optimus.

Si

Col. 21. Si Majolo credimus, Baaana arbor radicem habet adeò homini noxiam, adeò plenam, fœtámque lethali toxico, ut ea ea, qui vel extremis tantum labellis gustant, intereat. Verùm ut mala, noxiaque stirada, fructus tamen (qui dicitur Nicab) & bonus, & falubris; factum enim miro benignioris naturæ consilio, ut si fortè quis à radice Baxanæ venenum hauserit, ab ejusdem fructu remedium accipiat.

Quod illi arbori inseruit natura, hoc ratio, hoc gratia divinis: radix quippe mala; at fructus omninò bonus, ut ex dicendis, luce clariùs apparebit.

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

Ad illa verba: *Vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna Tabernacula.* vers. 9.

QVOMODO ELEEMOSYNA PARET æterna Tabernacula?

FUIT Antiquis Marsupii genus, quod vulgò *Funda* dicebatur: Ejus meminit Macrobius, dum ait: *Demissâ in* 2. Sat. c. 4. *pauperem fundam manu, paucos denarios protulit, quos principi daret.* In ea bursa, Marsupii genus funda. seu funda Hebræi & lapides, & nummos circumferebant; ex quo ritu, moréque fluxit illa quæstio, cur eadem bursa, fundáve, & lapides; & nummos exciperet, atque redderet?

Quæ ratio? Nonnullis placuit lapides bursæ immitti ut succurreret animo, vigilique memoriæ, pugna illa Davidica, qua modicus pusio immanem illam, ac giganteam Goliathi molem solo instravit.

Ea obvio torrente quinque lapillulos eduxerat David, iisque inscripserat quinque nomina Patriarcharum; Abrahami, Isaaci, Jacobi, Iosue, Mosis: deinde immiserat in peram pastoralem: ita ferunt Rabbini, apud quos sit ejusce rei fides.

Ut perennis esset illius facti memoria, aiunt Hebræos, in crumenis gestasse lapides, indices & testes victoriæ Davidicæ.

Credunt alii hos lapillos eahibuisse quæ vis, quæ pugna, quæ Justitiæ strages à crumena pareret, atque immineat: ut enim funda lapides valido impete in hostes evibrat; ita magna omninò pecuniæ vis, ac potenna tela, quæ Justitiæ repagula, legúmque firmamenta labefactant: ne porrò illa contra jus, & æquitatem concurrerent, ne æquitatis pacta pessumdarent, placuit & illud addere ea Hebræo fonte, pleno pietatis, ac religionis.

Hebræi ex marsupio agniti. Iisdem Hebræis in more, usúque fuit illud; ut in crumenis circumferrent nomen Hierusalem litteris aureis descriptû, quod passim dicebatur: *Parusthelim.*

Ea eodem avito ritu fluxit, ut Hebræus, vel ex bursa tantùm notari, distinguíque posset. Unde apud eos in proverbium abiit illud: *Hominem cognosci in marsupio, in calice, in ira.*

In ira quidem, quia cùm ab illa æstuet, atque ebulliat cor; facilè exspirat qui latet in animo conceptus; & ab illo cordis æstu, irarúmque impete in auras emittitur.

In calice verò, quia ut disertum, ita loquacem faciunt fœcundi calices, & effundunt, atque evomunt quidquid animus collegit, & hausit.

In Marsupio denique dignoscebatur homo quis esset, & cujas; hoc enim Hebræos inter & Gentiles discriminis erat, quòd Hebræi in crumenis circumferrent patriæ, & urbis longè carissimæ typos, ac notas; nomen scilicet Hierosolymæ: Gentiles verò eâ carerent, quamquam & ille ritus aliò traduci potuit.

Cùm exul esset Hebræus, cùm in arido, atque extorri Ægypti solo vitam ageret, cùm duris exercerentur laboribus; ut sibi solatium faceret versare solebat animo, & oculis usurpare Solymæ nomen, & impressam imaginem, quæ ut sæpiùs occurreret, eam crumenæ, imò & in manibus inscribi, atque imprimi placuerat.

Et hoc in natale solum, in urbem amoris fuit, ac pietans; quod ex quadam naturæ indulgentia, & insita patriæ cura potuit usurpari. At Hebræis melius fuisset si & crumenis, & manibus aliè inscripsissent alterius Hierosolymæ nomen; non hujus, quæ in terris vilitur, quæ è meliore luto, & argilla fingitur, quæ peritura tecta ostentat, & brevi ruituras moles; sed illius, quæ Cœlo surgit, quæ superum est regio, quæ Beatorum, & Dei regia: illa, illa est, quæ & crumenas, & manus signare debet.

Ea eodem bona. Crumenas quidem; ut in ea divite penu, copiosis eleëmosynis nobis extruamus tabernacula, simulque in ea tanquam expoliti lapides, qui suprema artificis manu suis coaptantur locis. Et hoc etiam notabant lapilli illi in funda, bursáque Hebræorū, ut esset apud illos *Eleëmosyna, & Fides tanquam apud fabricatores bonos.* Prov. 14.

Imò & mali, qualis Sunt in horum serie, ac numero fabricatores boni, sunt mali. Hi tot sunt ut parent luteas domos, abjectas casas, rustica tuguriola, quæ velis nolis ipsa ætas dissipabit. Ejus generis fuit malus ille dives Epulo, qui tacitus hæc animo suo dicebat: *Habes, ô* Epulo. *anima mea, bona reposita in annos plurimos*; habes altam, & ingentem messem, quam non capiant horrea; proinde inquiebat, *Dilatabo horrea mea.* Hæc ille meditabatur in terris, dum alia in cœlis scribitur sententia, quæ mox indicitur: *Stulte hac nocte repetent animam tuam a te, & quæ parasti cujus erunt?* Parasti in annos plurimos, & ecce via una nocte, una horulâ datur frui; quantum interest inter judicia Dei, & hominum! *Dilatasti horrea tua*; & ecce tibi dilatatur, aperitur tellus, & infernus hiat ut prædam accipiat. *Dilatasti horrea*, ædes magnificas, amatáque tecta ereasti; & ecce in tota æternitate non erit pes terræ, abjecta casa pro domo, pro carcere, pro horreis infernus erit in quo venniera, & ardeas ut paleæ solent æternis in incendiis: quàm meliùs tibi fuisset Cœlis non terris ædificasse.

Judas. Illi non absimilis fuit infœlix ille Judas Christi proditor, & ipse loculis, avaritiáque malè captus: quid de illo tandem actum? Projectis argenteis in Templo recessit, & abiens se suspendit; in quæ verba Hugo Osthensis:

Vide, inquit, quàm magni perdebat argenteos; non projecit eos in sterquilinio, sed in Templo; ecce infelix qualiter excæcatus est. maluit seipsum perdere, quam denarios perire; denarios Templo, seipsum laqueo addixit.

Quid iniquius? quid stultius? quid amentius videri potuit? Fuit nimirum fabricator malus, fuit, & ille de quo Lucianus:

Avari omnes.

Erat, inquit, in Asia vir opulentus, cui miserabili casu pes uterque perierat; ille tam iniquam sortem expertus, infœlicitatem solari cupiens, ligneos pedes truncis accommodavit, & calceos induit: Sed quos inquies calceos? Novos semper esse voluit, pulchellos, elegantes; imò quod in eo mireris, ac rideas, aureos: fuit hæc stulta, & misera vanitas, à quâ in proverbium abiit: *Pes ligneus in aurea crepida.* Næ plerique mortalium hoc homine dementiores sunt: quid enim aliud hoc corpus, hæc lutea moles est, quàm animi calceus; & hunc novum, elegantem, pulchrum, aureum esse volumus; de animo excolendo, parum solliciti: sit ille ligneus, sit luteus nihil interest. An non misera illa, & stulta vanitas? *Pes ligneus in aurea crepida, & animus ligneus in aureo corpore.* Ita volunt fabricatores mali: at boni non sic; altiora illi meditantur, æterna spectant, & sibi in Cœlis tabernacula moliuntur.

Boni cõtrà, quales

Qua porrò via, ac ratione, ex Sapientis oraculo disce; ita docet ille è schola, pulpitoque veritatis: *Eleemosyna, & Fides apud fabricatores bonos.* In quæ verba D. Chrysostomus: *Eleemosyna*, inquit, *artifex est, architecti sunt pauperes, claudi, esurientes; illi mansionem nobis in Cœlo ædificant, & æterna tabernacula præparant; sumptus ædificio necessarii est pecunia nostra.* Illa reponitur in crumena, velut in funda; quæ valido impete in altum lapides emittit, atque evibrat extruendæ beatæ mansioni necessarios: illos ipsi avidè cumulemus; nec ædificemus in terris, cùm in Cœlis possimus; nec moliamur illud, quod paucas duntaxat fert hyemes; sed quod longam sustinet æternitatem. Ita quâ verbo, quâ etiam exemplo faciendum docuit D. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus; huic suberat Troilus Episcopus, qui cùm fortè famulo dedisset in mandatis, ut sibi suppellectilem argenteam triginta libris auri coëmeret, suasit Patriarcha, ut iis potiùs Cœlum sibi compararet, æternaque tabernacula. Paruit tum ille quidem, non tam prona voluntate, quàm tanti Præsulis auctoritate inductus; à qua dum ab invito eripitur aurum, simul etiam eripitur valetudo: tentatur enim febriculâ, quam ubi ab auri siti produsse vidit Patriarcha, illicò tot auri libras illi restitui jussit, quot ante in pauperes erogarat. Mirum dictu, visúque! ubi aurum recepit, simul & valetudinem visus est recepisse: nimirùm illi valetudo in auro erat, & febris avaritia, non tam corporis, quàm animi. Ubi redditum auri pretium, libræque omninò triginta, Chyrographum à Troilo petit Patriarcha, cui lubens annuit ille, dedítque in hæc verba:

Hom. 34.

D. Joannes Eleemosynarius.

Deus Domino meo Ioanni Patriarchæ Alexandrinorum da mercedem triginta librarum, quæ data sunt tibi, quoniam ego recepi mea. Hæc è Cœli specula contemplabatur Deus, justus Judex; qui ut palam faceret quantum ab insana illa auri cupidine Troilo decessisset; hanc in amœna somni imagine speciem objecit.

In vita S. Ioan. Eleem.

Ingens erat palatii moles, eleganti materia, exquisito opere, artéque supra naturam extructa, quam dum mentis oculis aspicit Troilus, simul etiam in superliminari januæ principis legit inscriptam hanc Epigraphen:

Auro Cœlum emitur.

Mansio æterna, & requies Troili Episcopi.

Hoc viso gaudere, sibique plaudere; at gaudium, plausúmque mox deterfit casus inopinatus. Affuit enim ex aulæ cœlestis cubiculariis unus aliquis, qui eam inscriptionem illicò tolli jussit, & hanc substitui:

Mansio æterna, ac requies Ioannis Alexandriæ Archiepiscopi empta libris triginta.

Ab hac specie excussus, qui oculos, & animum malè clauserat sopor; sibi quippe redditus Troilus, & paratâ, pecuniâ, & liberalibus eleemosynis Cœlum emere doctus, æternáque tabernacula. Qua enim ratione? qua via? qua mercede potius?

Da panem, inquiebat ore aureo Chrysostomus, *& accipe Paradisum*; quem scilicet tibi pane, & eleemosyna præparasti.

Hom. 9. de Panit.

Verùm enim in sæcula illud ejusdem Chrysostomi: *Eleemosyna mansionem nobis in Cœlo ædificat, & æterna tabernacula præparat.*

Hom. 34. in Matth.

Quod jam inde à primis sæculis agnovit Sapiens, cujus hoc pronuntiatum: *Substantia divitis urbs fortitudinis ejus.*

Prov. c. 10. v. 15.

Quæ sit urbs illa quæris? Est cœlestis Hierusalem, cujus fundamenta omni lapide pretioso ornata, & singulæ portæ ex singulis margaritis: hoc est è substantia, atque opibus divitis in pauperes expensis; ex his enim assurgit urbs fortitudinis, quæ liberales animas capiat, in quanta quanta est æternitate: quam dum sibi, Posterisque vovet Propheta regius, simul illud accinit: *Filia Tyri in muneribus* *Hæ filiæ Tyri divites sunt plebis*, inquit Augustinus; *Munera* sunt eleemosynæ, in quibus Regem Cœlorum adorant, & ejus gratiam aucupantur; ut que aucupentur, auctor est magnus Præsul, qui etiamnum in scriptis spirat, ac loquitur, & ista ad posteras ætates:

Apoc. c. 21. v. 19.

Psal. 44.

Divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent; adorent in muneribus: sed non perdant, securi penant, ubi semper inveniant.

QUÆSTIO SEXTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* v. 9.

QVOS AMICOS? ET QVOMODO EOS FACIAT Eleemosyna?

Amicos in terris.

IN hac quæstione id statuo: Eleemosynam amicos facere tum in terris, tum in cœlis.

In illis sunt imprimis pauperes, quos sibi devincit, adstringitque dives, pia illa, ac liberali munificentia; quod opportuna similitudine declarat Cæsarius Arelatensis: componit enim divitem cum ulmo, egenum autem cum vite.

Ulmea arbor sublimis & amœna est; sed vacua fructibus: extendit ramos suos ad vitem, eámque erigit, ac sustentat; imò illius gaudet, ornaturque fructibus: *Sic dives sæculi hujus, porrigit ramos suos, id est manus, & sustinet pauperes Christi*; quod illis est pro ingenti beneficio, cui ne ingrati sint, abundè reddunt in patria quod acceperunt in exilio; referunt in Cœlis, quod datum est in terris: ut enim ille ipse author:

Hom. 24.

Divites mundi abundant in hoc mundo pecunia; pauperes Christi in Cœlo vita æterna: & hanc pro illa restituunt magno fœnore; recipiunt enim amicos suos, ac

Amicos in cœlis.

ac Mæcenates in æterna tabernacula; ad cujus prima limina constituuntur veluti custodes, stationarii milites, aut janitores. Si urbem aliquam aut natura, aut arte munitam occupare quis velit; ut cætera desiciant si murorum, aut portæ custodes devincire sibi possit, occupabit illicò.

In cœlestem illam Jerusalem evadere ingentis est moliminis, & supra omnem naturæ vim; quî enim eò penetret, pervadátque carnea moles? quî vim Cœlo faciat enervis animus?

Enimverò non faciet, utpote cui desunt omnia. Verùm ut desint, si adsit amicus pauper, si beneficiolo devinctus Cœli janitor, viam aperit ad muros, intimáque adita supernæ Civitatis. Tanti refert pauperem etiam unicum sibi amicum comparasse.

Sed & altiùs assurgit eleëmosyna; evehit in cœli regiam, in Dei ter Opt. ter Max. conclave, & in divinis tabulis eorum nomina inscribit, qui in egenos fuerint liberaliores.

Serm. 14. *In Cœlo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in Cœlo; erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis*, inquit ore aureo D. Chrysologus.

Et hinc Superum omnium favor, & gratia; hinc amoris nexus, qui mortales cum immortalibus nectit; & verò quidni nectat?

Ubi beatæ illæ mentes in divinis tabulis legerint scripta nomina eorum, qui pauperibus fecerunt benè; in eos feruntur toto amoris impete, utpote futuros aliquando Cœli cives, & accolas, ejusdémque consortes gloriæ.

Hunc porrò amorem etiam produnt ex hoc ævo mortali, tum favore & gratia, tum etiam piis è cœlesti gaza munusculis.

S. Galla neptis consulis Symmachi in egenos adeò *In Monu. S. Maria in Portucal.* effusâ erat liberalitate, ut etiam in dies singulos aleret ducentos supra mille. Spectabant illud beati genii, & sæpè sæpiùs eam alloquio, suóque aspectu dignabantur.

Imò quod in iis ames, ac mireris, è cœlesti officina detulere imaginem magnæ Virginis MARIÆ *Etiam Angelos.* Matris. Spectabatur illa in lapide porphyrin aureis lineamentis illustri, non alia manu, artéve, quàm Angelica elaborata.

Ut eam vidit, inspexitque B. Galla, Pontificem adiit; is erat Joannes hujus nominis primus, quem ad id amoris, honorisque spectaculum evocavit. Ut venit ille in ædes, non sine amabili stupore iconem vidit cœlesti lumine conspicuam medio in aëre ab Angelis sustineri; ac deinde sensim molli lapsu in manus suas demitti resonantibus sua sponte urbe tota campanis omnibus. Ecce ut puellulæ unius castis amoribus sese inclinant cœlestes genii, ut munera deferunt, velut symbola quædam, tesserámque amicitiæ, quam peperit etiam una in pauperes liberalitas.

Spectasti, benevole Lector, quî Angelos amicos faciat eleëmosyna; attende quî etiam Angelorum Reginam.

De hac olim & verè, & piè dixit D. Bonaventura: *In Psalt.* *Beata MARIA intelligit super egenum, & pauperem.*

Crederes purissimum illum melioris intelligentiæ *Etiam B. V.* ocellum aperiri soli pauperi, patescerèque egeno, ut opem ferat benigna quadam, ac prona voluntatis, amorisque inclinatione. Et certè ea est in egenos, ea quoque in egenorum patronos, atque Mæcenates, quibus & oculus, & amor magnæ Matris explicatur: Testis erit B. Deodatus, origine pau- *S. Gregor.* perculus, arteque sutor. Hic Romæ diebus Sabbathinis itare ad D. Petri sacram ædem, & pia quadam, effusaque liberalitate in pauperes erogare solebat, quidquid ea septimana lucelli collegerat.

Ista in egenos pietas, ac munificentia mirè placuit, mirè devinxit Misericordiæ Matrem; utque scires placuisse, uni è servis suis aperuit Cœli valvas, eique spectandos exhibuit architectos cœlestes, qui Deodato illustre palatium ex auro puro construere videbantur; & hoc quidem diebus Sabbathinis; his enim solis vacabant isti operi, quia illis etiam eleëmosynæ vacabat Deodatus; ut inde quoque disceres eleëmosynam æterna in Cœlis parare tabernacula.

Audisti quomodo Dei Matrem devinciat eleë- *Etiam Iesum.* mosyna, & in amorem benignè inclinet; audi quomodo etiam & Filium.

Dixit olim Apostolus: *Beneficentiæ & communionis* *Ad Heb. 13. v. 16.* *nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus!* Hebraicè, *Pulchrescit Deus*: non in se (quî enim pulchrior evadat summa pulchritudo?) sed in nobis, in quibus dum à beneficentia, & in pauperes pietate pulchrior apparet, etiam amores sistit divinos, & in amicitiæ vocat communionem.

Ita vocavit B. Ivonem, quo cum & familiariter *Ut testis B. Ivo.* agere, & convivari ut amici solent.

Ivoni fortè occurrit Leprosus, pannosus ille, atque pauperculus, cujus misertus in ædes vocat, communemque mensam; cui dum assidet, ecce in meliùs mutantur oculi, os, vultus, color, faciesque tota, quæ etiam visa splendescere, nec illa tantùm; sed ab illius splendore etiam conclave totum.

Credidisses illapsum solem, jubárque cœleste: & certè illapsum erat. Erat enim JESUS leprosi specie, quam ad modicum tempus assumpserat, ut illi serviret scenæ, qua peracta mox illam exuit; sese oculis eripuit addens illud amantium: *Dominus vobiscum.*

Ecce divinos amores, cœlestem etiam cum Deo amicitiam, in quam ab eleëmosyna venit pusillus homuncio, dum sibi ex Christi præcepto *Amicos facit de mammona iniquitatis.*



DOMI-

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.



Plut. in ejus vita. ARCELLUS, qui à virtute bellica, martioque robore, vulgò audiit, *Romanus ensis*, captis Siracusis, turrim conscendit, è qua subjectam vastissimæ urbis molem despicere posset, & omnia sub oculos habere, quæ militaris licentia in domitos cives exercebat. Ea porrò ut vidit, illacrymatus est. Si licet exiguis rebus componere magna, & ex humanis Divina, ex imis summa metiri: majus aliquid fecisse legitur Servator optimus; cùm enim propiùs ad Solymæ tecta accessisset, cùm ingentes turrium, murorumque minas aspexisset, videns eò loci, ac temporis pulcherrimam Civitatem: *Flevit super eam.* *Luc. c. 19.*

Nempè animo, ac cogitatione præsentiebat futurum aliquando illius excidium, ruinámque miserabilem.

Et hinc lacrymas dabat, quamquam eas potissimùm fundebat excidio, ruinæque spirituali tot animarum, quas suis mœnibus tum claudebat Ierosolyma; hinc illæ seu querentis, seu gementis voces: *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* *Ibid. 42.* Et hinc malum quod non tecta, non corpora modò, fortunásque; sed & animos occupavit, æternumque perdidit: non perdidisset, si cognovisset tempus visitationis suæ, si suas quoque lacrymas lacrymis Christi miscuisset.

Dixit deinde D. Augustinus: *Lacrymæ Christi, gaudia mundi*; & tua fuissent, ô Solyma, si in tua corda, ceu molle, subactúmque solum incidissent, eáque imbuissent; at tibi, tuisque civibus corda erant omni saxo, marmoréque duriora.

Et inde funestus occasus florentissimæ aliàs Civitatis, cui ingemiscet omnis ætas, & cui luctum dabit ipsa quanta quanta erit æternitas.

EX D. THOMA.

Serm 2. EX ea, quæ Solymæ prædicebatur, & impendebat adversitate S. Doctor transit ad illam, quæ vanam mundi prosperitatem aliquando excipiet. In ea consideranda est:

Primò, *Ejus adversitatis universalitas*, & mala, quæ reprobis advenient ab octo partibus: 1. *A terra*, quæ eos devorabit: *Aperta est terra, & deglutivit eos.* *Psal. 105.* 2. *Ab aqua*, quæ eos suffocabit: *Excandescet in eos aqua maris.* *Sap 5.* 3. *Ab aere*, qui eos fulgurabit: *Ibunt* enim *directè emissiones fulgurum.* 4. *Ab igne*, qui eos consumet: *Ignis* enim *ante ipsum præcedet, & inflammabit.* *Psal. 66.* 5. *A Sole*, Luna, stellis: *Sol, quippè, & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt lumen suum.* *Joel. 3.* 6. *A Sanctis*, qui eos condemnabunt: *Sedentes super sedes duodecim judicantes* *Matth. 9.* 7. *A Christo*, qui eos judicabit, & dicet: *Discedite à me.* *Matth 25.* 8. *Ab Angelis*, qui eos in infernum portabunt: *Exibunt* enim *Angeli, & mittent eos in caminum ignis.* *Matth. 13.*

Secundò, *Pœnarum in ea multiplicitas*; Et mala octo, è quibus 1. *Est summa ignorantia cæcitas ad tormentum partis rationalis*; quia ut ait D. Gregorius: *In tormentis positis nihil præter tormenta scire licebit.* 2. *Continua odii, & iræ angustia ad tormentum irascibilis. Peccator* enim *videbit, & irascetur.* *Psal. 111.* 3. *Carentia omnis suavitatis ad pœnam concupiscibilis.* 4. *Continui sonitus flentium, & ululantium ad pœnam auditus. Semper sonitus terroris in auditu ejus est.* *Iob. 15.* 5. *Continua lacrymarum effusio ad pœnam oculorum.* Hinc illud: *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis.* *Luc. 5.* 6. *Intolerabilis fœtor ad olfactus supplicium. Erit* enim *pro suavitate odoris*, quæ hic fuit, *ibi fœtor.* *Isai. 3.* 7. *Ad pœnam gustus, cibus & potus amarissimus. Cibabo populos absynthio, & potum dabo eis aquam fellis*; inquiebat Deus ore Jeremiæ: *Ierem. 16.* 8. *Ignis ardentissimi, & æterni incendii*, ad pœnam tactus. *Ignis* enim *eorum non extinguetur.* *Isai. ult.*

Hæc ubi dixit Angelicus Doctor: tum conficit illud: stultos esse, qui pro momentaneis delectationibus, æternis se suppliciis obligant.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 9. post Pent. Serm. 1. DIvus Bonaventura exemplo Christi Servatoris nos ad fletum provocat, aitque:

Primò, *Flendum pro culpa, ut ignoscatur.* Ita Petrus olim: *Egressus foras flevit amarè.*

Secundò, *Pro gratia, ut obtineatur.* Ita flevit Esaü etiam cum ejulatu magno; unde & illud ab Isaaco parente audit: *In pinguedine terræ, & rore Cœli desuper erit benedictio tua:* (Gen. 27.) *pingue terræ, bonam voluntatem; ros Cœli, gratiam indicat Spiritus Sancti.*

Tertiò, *Pro miseria, ut evadatur.* Ita flevit olim Susanna, & libertatem invenit, ac salutem.

Quartò, *Pro patria, ut obtineatur;* Ita fleverunt olim exules Israëlitæ, qui hæc ore Regii Vatis: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus cùm recordaremur tui Sion;* (Psal. 136.) & ita flent bonæ mentes, quæ ad patriam cœlestem anhelant.

Hæc ubi S. Doctor dixit de fletu, tum subdit de cognitione, ex qua sequitur, & fluit; ad illa verba: *Si cognovisses & tu;* Utique etiam fleres.

Est autem ea cognitio quadruplex:

Prima, spectat *in transgressione, peccati fœditatem.* Ita spectavit olim David, cùm illud extulit: *Iniquitatem meam ego cognosco.* (Psal. 50.)

Secunda, *Retributionis æquitatem,* & severas Divinæ Justitiæ leges: ad has quoque respexit David, cùm ait: *Cognovi Domine, quia æquitas Iudicia tua.* (Psal. 18.) Ea etiam *Cognosce miser homo, nunc in mundo salubriter; ne in Iudicio cognoscas tunc inutiliter;* ut enim D. Bernardus: *Cognoscetur Dominus, Iudicia faciens; qui nunc ignoratur misericordiam quærens.*

Tertia, *Redemptionis charitatem;* cui olim compassionis lacrymas infuderunt piæ mulieres, ad quas Salvator: *Filiæ Hierusalem nolite flere super me.* (Luc. c. 28.)

Quarta, *Mortis calamitatem* attendit: & hinc etiam illacrymari solent magnæ mentes: ita illacrymatus Rex Ezechias, qui cùm Vatis oraculo moriturum se audisset: *Convertit faciem suam ad parietem, & flevit.* (Isai. c. 38.)

Hæc S. Præsul, qui ab illa cognitione descendit ad angustias, quas ab inimicis, id est, dæmonibus patitur homo; cui etiam dictum vult, quod olim Solymæ: *Circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te.*

Nimirum *dæmones animas circumdant in mundo; coangustant in extremo; prosternunt in inferno. Circumdant in tentatione; coangustant in expiratione; prosternunt in damnatione:* (Serm. 3.) de singulis pauca.

Circumdatur misella hominis animula: 1. *Inimica dæmonum malignitate, qui plus animam, quàm canes feram persequuntur.* 2. *Mundi fluctuosa tempestate;* ut olim aquis, & mari Jonas. 3. *Carnis ignea voluptate,* à qua exardet *sicut ignis in spinis.*

Coangustatur etiam eadem infelix anima in morte: & hoc: 1. *Corporis infirmitate.* 2. *Iudicis severitate.* 3. *Dæmonis crudelitate;* adeóque, *undique, quia subtus, & supra, intus, & exteriùs.*

Denique, quod summum malorum est: *Prosternitur corporaliter in sepulchro; spiritualiter in inferno; universaliter in Iudicio.* Ne sic aliquando prosternaris, amice Lector, *Elige quod vis, vel dæmones prosternent te in inferno, vel tu eos prosternes in mundo.*

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Videns Civitatem, flevit super illam.* Lucæ c. 19. v. 41.

QUOMODO FLEVERIT CHRISTUS? Quomodo etiam flere debeat Christianus?

Viri magni fleverunt. AUDIO viros magnos subinde abiisse in lacrymas, quas ex oculis aliæ, atque aliæ causæ expresserunt.

Isidorus. Isidorus Monachus, vir probatæ sanctitatis, in mensa totus in lacrymas effundi solitus; contra quàm alii, qui dum effunduntur in cibum, potúmque, etiam in risum, & cachinnos insolentiores excedere consueverunt.

Pallad. in hist. c. 1. Causam ab illo si rogasses hanc audisses: pudet me vesci cibo à ratione alieno, cùm sim ratione præditus. Ita virum sanctum pudere, ac tædere; quòd cibo cum brutis communi uteretur, qui ab his ratione discretus esset, & pane Angelorum vesci peroptasset.

D. Greg. Nyss. D. Gregorius Nyssenus si quando in oculos incurrisset Isaaci innocentis imago, & in illius cædem stricto ferro imminens pater, lacrymas non tenebat. Nimirum eas exprimebat, seu commiseratio, seu ardua virtus, seu in superos pietas, pronáque, ac præceps in ferrum obedientia.

Hist. Eccl. Part. 2. l. 6. c. 1. Abbas Pambo. Abbas Pambo Alexandriam ingressus, obviam habuit mulierem comptulam, cerussatam, mundulam, vanulam, & illicò obortis lacrymis, ductisque imo corde suspiriis, exclamavit: *Heu miserum me!*

Ad quas voces plenas novitatis, ac doloris; primùm hærere, qui tum aderant discipuli; dein stupere; tum rogitare, quæ tam insolens esset lacrymarum causa? quæ doloris, ac suspiriorum data occasio? Quibus S. Abbas: Nonne par est ut abeam in suspiria, effluam in lacrymas, usurpans oculis spectaculum illud, prodigiúmque vanitatis?

Ecquid enim? An non plus illa operæ adhibet in mundo muliebri, quàm ego in Dei mei obsequiis?

Quot illa horas malè perdit ut discriminet comam? ut cerussa, & minio genas pingat? ut vestem deducat? ut soccos induat? ut idolum fingat insanæ vanitatis? An non illa digna lacrymis, & miserabili ejulatu? digna profectò: hæc S. Præsul.

Jeremias. Jeremias olim tristi nænia, uberibúsque lacrymis deplorat Templi vastitatem, ac stragem; qua cùm potior esse debeat immortalis animæ casus, hunc certè deplorandum magis censuit D. Chrysostomus:

Hom. 22. ad pop. Antioc. *Si Templum,* inquit, *ex lapidibus constructum Ieremias lugebat eversum: quanto magis animam deplorasse convenit illo sanctiorem?* in illo quippe manna; in hac autem SS. Triadis imago recondita: hæc Orator aureus.

S. Monica. S. Monica uberibus lacrymis deflere miserabilem, ac dissolutam Augustini vitam, geminúmque hæresi jam infectum: Docta scilicet sui peccato eluendo, & filii saluti lacrymas dare pia mater. Non sic hoc

ævo

ævo stultæ matres; hæ enim si filiorum corpori malè sit, si ægrum, si languidum, si à morte frigidum; lacrymas illi infundent: at si animæ sit pessimè, si à scelere, ab ebrietate, à venere, aliisque vitiorum monstris mortua sit, nec lacrymas illi fundunt, nec ingemiscunt: in quo sanè produnt, quàm alienæ sint, quàm degeneres à genio bonæ matris; in has verti potest illud D. Augustini: *Non sunt in te viscera pietatis, si luges corpus, à quo anima recessit; animam non luges, à qua recessit Deus.*

Ut hanc inprimis lugeant bonæ matres, utque etiam illud (quod ex indulgentia naturæ concedemus) optarim illis, quod olim Axa à Calebo parente optavit, & obtinuit: *Irriguum superius, & irriguum inferius.* Inferius quo deplorent ea mala, quæ ad corpus spectant; *Superius*, quo illa, quæ ad animam attinent, & salutem, quæ debet esse in primis curis: sed ne longiùs; institutum prosequamur, videamúsque cur fleverint præcelsæ mentes? *Josue c. 11.*

B. Virgo. Virgo Mater, ut erecta ad Crucem Filii staret instar columnæ; at lacrymas tamen sistere nec potuit, nec debuit: imò eas ex oculis effundere, ceu binis rivulis, ceu etiam torrentibus, & quod mirere, sanguineis illis; quod ista deinde B. Birgittæ retulit in excessu mentis.

Lib. 1. Revel. cap 10. Cùm, inquit, *Filius respexisset ad me de Cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lacrymæ exibant*; quas etiam sanguineas fuisse vult Theophilus historicus.

Christus ipse. Ecce ut etiam magnæ mentes, dum æquo dolori indulgent, indulgent & lacrymis; & hoc illi tributum pendunt, nec immeritò.

L. 6. de Prov. *Christum flevisse legimus, risisse nunquam*, inquit Salvianus: diceres illi familiares lacrymas; & quidem

Primùm flevit Christus cùm ad mortuos abiisset Lazarus, eratque ab illis revocandus.

Serm. 64. *Christus*, inquit D. Chrysologus, *recipiens Lazarum flevit, non amittens*; fortè quia vitæ reddebat, adeóque & miseriis, ait D. Cyrillus.

Flevit deinde, cùm in oculos venit Hierosolyma, magna illa urbis moles, ac majestàs solo deinde æquanda, & cineri.

Flevit etiam in ea Cœna, quæ illi cum Discipulis fuit ultima, cùm detegenda infamis Judæ proditio; cum enim illius atrocitate cõmotus: *Turbatus est spiritu*; hoc est interprete D. Chrysostomo, *Lacrymatus est.*

Flevit & in horto Gethsemani, & in atroci illa lucta, sanguineo sudori lacrymas immiscuit.

Flevit denique altè affixus Cruci, cùm ad æternum Patrem & postremas voces, & natantes in morte oculos erexit.

Ecce ut in lacrymas discessit JESUS virorum fortissimus, mundi Servator, Deus homo; lacrymas dico, & quidem uberrimas. Credit enim Petrus Calentinus, in ultima vitæ, ac Passionis scena effudisse lacrymas ducentas supra sexaginta duo millia. Verùm ne longiùs; vidimus Christi vitam distinctam in actus quinque; abeamus ab illis; sistamúsque in secundo actu. In quo Hierosolymæ adhuc stanti, ac florenti lacrymas infudit JESUS, quæramusque, quæ earum causæ?

Inter triumphi gaudia, festivos plausus, lætásque acclamationes, lacrymatur JESUS.

Primò, ob ingratos Israëlis animos, duráque pectora, in quæ etsi sæpiùs illapsus esset ros, pluviaque cœlestium gratiarum: illicò tamen exaruerat.

Deinde, quòd Messiam tot sæculis expectatum, tot expetitum votis, cùm jam in oculis esset, nec agnoscere tamen vellent, nec amare, aut venerari.

Tum etiam, quòd inde in ingrata capita imminens esset, ac propè incumbens Cœli vindicta, quòd excidium, quòd Solymæ strages, ac ruina sub Tito, aliaque ejus generis impendentia mala, quæ deflere erat Christi miserentis.

Denique, quòd frustra pro salute Israël, tot exantlati labores, tot dolores suscepti; imò & ipsa humanitas, qua se induerat Deus, ut hominem quasi Deum faceret: at ille suo vitio, & hæc abjecit omnia, & seipse etiam ad scelera inclinavit, barathrúmque perditionis: & hinc illæ Christi lacrymæ. IV.

Dicitur olim Xerxes cùm ex edito loco despexisset ingentem exercitum, in quo censebat undecies centena hominum millia, illacrymatus; quòd brevi tantæ multitudini unus immineret occasus.

Dignæ veniâ regiæ illæ lacrymæ, quas expressit fatalis necessitas, cui cedendum est velis, nolis: at longè potiores Christi lacrymæ; hæ enim non corporibus funduntur, sed immortalibus animis; non tempori, sed æternitati, quæ si mala sit, sola digna lacrymis; cætera verò, etsi in malis numerari possint, minùs digna.

Factum amabili Dei Providentia, ut oculus, qui erat instrumentum videndi, esset etiam lacrymandi; ut scilicet inde dilui posset crimen, unde priùs emanarat, provido sanè naturæ consilio, Numinisque Providentiæ.

Quæsivit olim Chrysostomus quem in finem, usúmque datæ homini lacrymæ; & cui malo illæ fluere, concedique deberent, cui etiam arescere; ac negari? *Quis finis?*

Respondit dari eas oportere, si peccasset frater, si in scelere pertinax, si à salute, à Cœlo, Deóque aversus, tum inquit: *Flendum est.*

Adjecit deinde & illud Epiphonema: *Hæ sunt lacrymæ Philosophiæ*, hoc est, veræ sapientiæ; alias stultitia spargit, & malè perdit; quod probat idem Orator aureus facta inductione, per ea, quæ vulgus mala æstimat. Si quis, inquit, ab ampliore fortuna ad tenuem collapsus, si quis tentatus morbo, si etiam prostratus, imò si è vivis sublatus, non est ille deflendus: *Hæc enim non sunt digna lacrymis*; utpote, quæ corpus dumtaxat afficiunt malè, nec ad animum evadunt. *Hom. 12. in Ep. ad Coloss.*

Quod ipsum urget ille ipse S. Præsul ex fine, ob quem homini datæ à natura lacrymæ: *Tum*, inquit, *cernitur cujusq; virtus, quando ducitur ad aptam muneris sui functionẽ; quando autem ad alieni nequaquam.*

Ita vinum datum ad lætitiam, non ad ebrietatem; panis ad nutritionem: si huic serviat, est illi benè; sin minùs, malè: ita lacrymis suus erit finis, sua laus, si pro iis fundantur, quæ ad animum spectant, atque æternitatem; secus autem si propter ea, quæ ad corpus attinent, & ævum hoc brevi periturum: *In his* enim *non habent sui muneris functionem, nec usum suum.* Ut enim disertè Chrysostomus, lacrymis, nec morbus corporis depelli, nec mors imminens, aut etiam illata abigi potest: at animæ morbus, imò mors ipsa, quæ à peccato est, fletu vitari potest si immineat; depelli, si jam animam oppresserat. *In c. 4. ad Galat.*

Et hinc sub oculos ponitur discrimen, quod est inter *flere secundum Deum*, ut ait Euthymius, & secundùm hominem; & inter lacrymas, quas eliciat Deus, & quas ciere solet malus dæmon. *Cap. 12. in c. 6. Luc.*

De Deo dicunt Sacræ paginæ: *Ascendit fumus de naribus ejus*; utique, ut appellens ad oculos lacrymas eliciat; sed quibus peccata, aut diluantur, aut avertantur. *2 Reg. c. 22. v. 9.*

De Diabolo autem: *De naribus ejus procedit fumus*, ut scilicet evadens in oculos, ad fletum moveat: sed quo levis aut corpori, aut fortunis illata jactura, malè & sine fructu deploretur. *Iob. c. 41. v. 11.*

Et ita plorare solent homines hujus ævi, muliebrem in morem; at non sic viri fortes, qui si lacrymas dederint doloris testes, dant eas animæ pœnitenti.

Et sic olim dedit David, qui hæc ingenuè, & verè de seipso: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* *Psal. 118, v. 136.*

Erat

Erat Davidi & domi, & foris ampla doloris, luctúsque seges: erat uberrima lacrymarum materia. Domi quidem tumultus à rebelli filio, cui si lacrymas infudit, uni illius peccato infudit; foris autem à Saule mirum in modum sæviente, & quà dolis, quà vi aperta mortem machinante. At his tamen non deduxerant oculi fontes aquarum; sed uni duntaxat inobedientiæ, quà adversus Dei sui legem peccarat.

Ita nimirum solent magnæ mentes, quæ nihil æstimant dignum lacrymis, nisi peccatum; & has probat, amátque Cœlum, his pretium appendit in tota quanta est æternitate. Eas enim habet pro margaritis, & quidem pretiosis.

Cant. c. 1. v. 9. De sponsa hæc olim sponsus: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Tigurina lectio habet: *Pulchræ sunt genæ tuæ, propter margaritas;* hoc est, propter lacrymas, quæ molli lapsu per genas effluunt, densantur in globulos, & Cœli calculo vertuntur in margaritas; has Cœlo emendo dabit quisquis & nomine, & re etiam ipsa volet esse Christianus.

Biblioth. Patr. Ita quondam dedit insignis latro, de quo Niron Abbas. Sub Imperatore Mauritio in vincula conjectus, & ad furcam damnandus erat; verùm & hanc, & illa lacrymis redemit; imò & omnia scelera vitæ priùs actæ.

Cùm enim Imperator eum advertisset singulari quadam pœnitentia teneri, spondeŕeque & dolorem, & lacrymas in reliquos brevis ævi dies; vitam illi donavit, ac libertatem. Promissis stetit bonus latro, & lacrymis peccata sua eluere cœpit, adusque extremum vitæ diem; quem dum animo præsentit, faciem strophiolo velari voluit, tegíque; via velata, tectáve, cùm totum illud lacrymis maduit.

Interea viro imprimis Sancto, qui fortè tum aderat, aperuit Deus, qui ageretur cum latrone. Vidit ille hunc cingi, inde bono genio, inde malo dæmone, quos inter & libram conspexit ingentis molis, in cujus lance una diabolus conjicere omnia vitæ anteactæ facinora, quæ mirum quantum degravare, & deorsum prolabi: nec videri poterat æquale pondus, quo attolli posset lanx altera; quæ tamen illicò non sine ingenti stupore, sensúque gaudii elata, ubi in eam bonus Angelus strophiolum lacrymis madens conjecit. Tanti scilicet apud Deum ponderis sunt lacrymæ pœnitentis, quas ut impetres quisquis es in peccati vinculis, auctor tibi sum, ut cum D. Gregorio Nazianzeno exclames sæpiùs, non tam vocis, quàm animi contentione: *Venite scelerum expiatrices lacrymæ;* Venite & quidquid in me est à peccato labis, ac tabis eluite, & æternùm quidem.

QUÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua:* vers. 2.

QUÆ SIT ILLA DIES NOSTRA?



Dies varii. SACRA Paginæ dies appellant non ex Solis, & Lunæ cursu; sed ex alio, atque alio occultioris causæ appulsu, eventúve: vel ex personæ, quæ in ea sese ostentat vi altiore.

Dies caliginis, quæ? Jobo dies natalis dictus: *Dies caliginis, ac tenebrarum;* quòd eum è primo vitæ lumine, ortúve emisisset in noctem ærumnarum, atque dolorum; sub quibus dum gemit, hæc in illum diem emisit verborum jacula: *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.*

Cap 3. v. 4.

Dies pleni, qui? Prophetæ Regio dies alii sunt *pleni*, alii inanes, ac *vacui*: scelerati, & impiis dies omnes vacui; justis autem, & piis pleni; sic enim de his præsago spiritu: *Dies pleni invenientur in eis;* pleni, inquam, virtute, meritis, & sua apud superos gratia.

Psal. 72.

Hoc ipsum agnovit pius senex Barlaam, qui in extrema ætate dies vitæ suæ relegens, ex iis aliquos recensuit, quòd Dei obsequiis impensi, adeóque pleni: alios tacuit, pressitque silentio, quòd sæculo dati, adeóque etiam vacui. Quærenti enim Josaphato quot esset annorum? Respondit, quinque supra quadraginta; at erat septuagista, eoque ampliùs.

D. Damasc. in vita Barlaam

Verùm ex iis illos tantùm censuit numerandos, quos virtuti, religioni, Deóque dedisset: non autem quos in sæculo perdidisset.

Et verò illos solos Cœlum reponit in fastis, calculóque dierum; illos solos agnoscit, & probat: *Novit enim Dominus dies immaculatorum;* Ita novit Adami, Abelis, Sethi, Abrahami, Isaaci, Jacobi; Caini autem, Lamechi, Ismaëlis, Esau, Absalonis, & aliorum dies, & annos non novit, neque supputavit; quia ut longævi fuerint, inanes fuerunt, & vacui.

Psal. 36.

Aliis dies est *Anonyma*. Ea fuit illa, qua castam Josephi mentem, pudorémque tentavit procax fœmina. In Ægypto venditus Joseph, in servum cesserat Eunucho Pharaonis, cui dum sedulò inservit, venit in oculos, amorésque Dominæ suæ, à qua etiam per summum nefas vocatus in tori consortium, æstúmque nefandæ libidinis; audiit enim pudendum illud: *Dormi mecum;* cujus dum meminit Scriptura, ait: *Accidit autem die quadam.* Dies Anonyma, quæ?

Gen. c. 39. v. 11.

Quæ sit illa non explicat; sed involvit communi illa, trita, & anonyma appellatione. Erat tamen Ægyptiis solemnis illa dies, ac festa; sed eam Scriptura non est dignata nomine, neque à sole; astrísve appellatam voluit; adeò nefanda dies, quæ etiam tutandæ tantùm pudicitiæ servit.

Sed & alia est, quæ audit: *Dies hominis;* quam sibi surgere, atque illucescere Propheta non optavit: *Diem hominis*, inquit, *non desideravi.* Quæ sit illa adhuc in lite est, & quasi sub judice. Dies hominis, quæ?

Ezech. c. 17. v. 16.

Vatablo est dies afflictionis, atque ærumnarum, dies excidii, quod præsaga voce Judæis jam inde nuntiabat Ezechiel, & quam ipse (pro ea, qua erat in populum rebellem Charitate, non optabat, nec prædicebat nisi à Deo jussus.

D. Hieronymo dies hominis, seu Enos, est dies fragilis, atque ærumnosi, qualis à peccato dictus est omnis homo. Hic enim primùm à natura, & materia (de qua sumptus, audiit *Adam*, ab *Adama*, id est, *terra*, ut homo ab humo.) Deinde post commissum scelus, appellatus *Enos*, hoc est ærumnosus, vel ut alii, obbviosus; quòd apud superos, Deúmque in oblivione sit.

Aliis *dies hominis*, est dies amœnæ prosperitatis, in qua & opibus abundat, & gloria floret, & deliciis marcescit homo; & illum sibi concedi minimè patitur

patitur Propheta, nec pati debet quisquis Cœlo parando studet, ac beatæ æternitati; hic enim alium diem aspicit, alium ambit; eum scilicet, qui verus est, non inanis, atque fictitius; de quo sic eleganter, & piè D. Bernardus:

In Psal. 90. Serm. 17.

Verus dies, qui non novit occasum, est æterna veritas, vera æternitas, ac proinde vera, æternaq; satietas.

1. Cor. v. 4.

D. Paulo *Dies hominis* est humanum judicium, quod despicit animus humanis omnibus altior, cui cum Apostolo, pro minimo est, ut ab humano die judicetur; & hoc quia seipse tuetur, atque involvit sua conscientia, & Dei sui, in cujus conspectu stat, testimonio.

Ita stetit Augustinus, cujus hoc effatum dignum libera mente: *Senti de Augustino quodlibet, sola conscientia coram Deo me non accuset.* Sic ille Secundino hæretico sibi obstrepenti. Nimirum ad conscientiæ suæ, Deique tribunal sese sistebat Augustinus, & hujus, illiúsque Judicium extimescebat. Cætera despiciebat omnia; & nosipsi despiciamus oportet, si modò ii sumus, qui à gratia Christiani; imò si ii, qui à natura homines, id est, compotes rationis. Docet hæc adeundum esse internum conscientiæ forum, atque judicium; abeundum autem à cæteris.

Lib. 3. de ira. c. 41.

Appello Senecæ fidem atque authoritatem; sic enim ille suos edoctos voluit: *Conscientia satisfiat, nihil in famam laboremus: Ambitio scenam quærit*; at bona mens sese revocat ad conscientiam, Deúmque, cui & suus est dies: & hic dicitur

Dies Domini quæ?

Dies Domini, hoc est extremi Judicii; quippe hunc unum divina Justitia sibi servatum voluit, ad æquam tot scelerum, tótque malorum vindictam; alios autem, qui à primo vitæ nostræ limine, ad metam usque fluunt, nostros esse voluit: & hinc propiùs accedo ad quæstionem initio propositam. Quæ sit illa dies nostra?

Dies nostra, quæ?

Video SS. Patres, atque Interpretes in diversas abire sententias.

D. Gregorio, peccatori dies sua, dies est voluptatis, ac sceleris; sic enim inquit:

Hom. 39.

I. Opinio

Suam hic diem habet anima perversa, quæ transitorio gaudet in tempore, cui ea, quæ adsunt ad pacem sunt; quia dum rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum nulla pœna venturæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ grave damnationis scandalum in die habebit aliena; ibi enim affligenda est, & cuncta, quæ modò ei ad pacem sunt, in amaritudinem vertentur.

Modò ad pacem facere videntur opes, & arcæ nummis, auróque graves: postea bellum indicent, & acre quidem, atque æternum; dum quæ malè parta sunt, malè dilabentur in æternitate.

Modò pacis amica, & concordiæ conciliatrix esse videtur cupido malesana, & impudicus amor: at postmodum bella ciet, & discordias excitabit ipsa quanta quanta est æternitate.

Modò ad pacem videtur ducere adeptus honos, impositæ superbo capiti Infulæ, & in humeris effusa Purpura: at postea bellum movebit, disturbabit de sua statione, & abjiciet conculcabítque in totam æternitatem. Ecce, ô infoelix animula, quæ mala tibi pariet *Dies tua*.

II. Opinio.

Sed & alia Dies est, & quidem etiam tua, in qua multa Cœlum offert, quæ ad pacem tibi. Ea Judæis fuit, quæ Servatorem illis tulit, & unà cum hoc fluenta cœlestium gratiarum, quæ fundebat ille, quà ore dicendo è pulpitis, quà etiam manu morbos è corporibus, velut injustè usurpatis hospitiis depellendo. Ea si benè usi quondam Judæi, illis fuisset benè, & æternùm quidem: tanti refert, qui die tua utaris, ô anima!

Quæ sit illa quæris? Clariùs explico: ea est, qua tibi Cœlum exhibet, ostentátque occasiones mille, mille vias, modósque benè de Deo merendi; est illa qua te ad meliorem vitam evocat, qua gratiis suis prævenit: has si amplectaris, in gloriam ibis, beatámque æternitatem, in qua dies, & lux erit nunquam interitura.

In Alleg. Tilman. ad c. 12. Ioan.

D. Bernardus homines orbe Christiano sparsos dividit in tres Classes:

Quidam, inquit, *sunt, qui non sequuntur Christum, sed fugiunt*; ii scilicet, qui non desistunt peccare, etsi eos à scelere revocet & conscientiæ stimulus, & occultæ, immissæque divinitùs animo inspirationes: & hi non cognoscunt, quæ in die sua ad pacem sibi.

Alii non sequuntur; sed præveniunt Christum. Ii nimirum, qui magistrorum sententiis suas præferunt, & suo sensu duci volunt, non Dei, ac superorum nutu: & isti quoque non cognoscunt, quæ in die sua ad pacem sibi.

Nonnulli sequuntur; sed non assequuntur. Nempe, qui segniter, ac remissè agunt, vel usque in finem non perseverantes, de medio itinere avertuntur: Neque illi cognoscunt, quæ in die sua ad pacem sibi.

His ego addo classem aliam hominum, etiam Christianorum, qui Christi gratiam admittunt, etiam in die sua, die bona, ac fortunata; sed eam minimè augere satagunt, similes illi servo nequam, qui cùm à Domino suo accepisset talentum unum: *Abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui*; nec dedit ad usuram, nec impendit ad lucrum: Et hinc primùm audiit horrendum illud: *serve nequam.* Deinde & hoc ipsum, quod acceperat amisit, uti etiam amittunt ii, qui ex concessa sibi gratia lucrum non faciunt: & hi quoque non cognoverunt, quæ in die sua ad pacem sibi; proinde ab iis discedamus, videamúsque, qui sint illi, qui & diem suam agnoscunt, & ea utantur probè.

Matth. c. 25.

Ii scilicet sunt, qui cum Apostolo ex vero dicere possunt: *Gratia Dei in me vacua* non fuit; Græcè κενὴ, id est *inanis, otiosa*, vel ut vertit Ambrosius, *egena*. Nimirum fructum in eo tulerat, & quidem uberrimum, nec egena fuerat, sed aucta aliis atque aliis cœlestium divitiarum incrementis: ita nempe factum oportuit, vel ex ipso D. Pauli genio, æstúque divini fervoris, vel ex ipsa gratiæ naturà; est enim illa ex seipsa pinguis, florens, ac decora, & suis semper ditescit incrementis.

1. Cor. c. 15.

Gratia de gratia nascitur, profectus profectibus serviunt, lucra lucris, & merita meritis locum faciunt; inquit Faustus Reghensis Antistes.

In instruct. ad Monach.

Et hoc quàm verissimum est in iis, qui in die sua gratiam impendunt quàm optimè: secus evenit iis, quibus & otiosa, & inanis videtur, & quodammodo macra, ut rectè notavit Ennodius.

Gratia quippe, quæ ex se pinguis est, in nonnullis macie quadam, & exilitate tenuatur.

Et hoc discrimen non à gratia est, sed à subjecto, cui infunditur; quod etiam advertit Sapiens dum ait: *Robusti habebunt divitias*; vel ut Caietanus vertit: *Fortes fulcient divitias*; vel ut Septuaginta: *Divitiarum pigri fiunt indigni; fortes autem nituntur divitiis*: quod & de cœlestibus verum est quàm maximè; iis enim nituntur, & se fulciunt viri fortes, & eas vicissim fulciunt quibusdam virtutum fulcris, & bonorum operum sustentaculis.

Prov. c. 11. vers. 16.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* vers. 44.

QVÆ SIT ILLA VISITATIO? Et quàm varia?



In Alleg. IXIT olim Galfridus, & rectè: *Ex quo assumpsit hominem Deus dignum prorsus ut aliquatenus etiam Deum sapiat homo, & omnis ejus operatio, sermo, cogitatio divini aliquid timoris habeat, & amoris.*

Tria requirit hic Author, quæ Deo homini reddat purus, & pusillus homo.

Primò ut Deum sapiat, ac divina; utpote assumptus quodammodo in consortium Divinitatis, in eo nexu, vinculoque, quod duas naturas, Divinam, & humanam in una æterni Verbi persona copulavit.

Deinde ut homo ipse quantus, quantus is est, ostentet aliquid Divini timoris.

Denique ut etiam plusculum Divini amoris.

Nihil horum omnium Incarnato Verbo reddidit ingratus Israel; nec enim inde ad Divina assurgere, sed potiùs in terram prolabi prono, ac præcipiti in hæc inferiora affectu; nec Deum timere, nec ejus amore aliquousque incendi: sed potiùs tepere, ac frigescere. Hinc illæ adversus ingrata capita querelæ; hinc atroces, & tamen justæ minæ imminentis excidii: *Eò quòd non cognovissent tempus visitationis suæ.*

Fuit hæc olim, estque modò alia, atque alia.

Visitat nos Christus. Primùm enim visitavit Israelem Deus homo, dum medius inter eum stetit, vixit, dixit, prodigia patravit; & tamen, quæ cæcitas, qui stupor, quæ dementia; eum non agnovit.

I. Ut Consiliarius. Erat Israel, erat genus omne nostrum expers sanioris consilii, proindéque mole ruebat sua, & quidem in æternum excidium proruebat, cùm ecce:
Luc. c. 1. *Visitavit nos Oriens ex alto, admirabilis consiliarius*; vel ut Septuaginta: *Magni consilii Angelus*; vel ut D. Cy-
Isai. c. 9. prianus: *Magnæ cogitationis nuntius*; qui scilicet divina, & magnifica consilia hominibus suppeditaret. Consilia, inquam, quibus expugnari posset Cœlum, & adiri illæso pede æterna hæreditas.

Sacræ paginæ, *Sancta sanctorum* vocitabant *Do-*
1. Paralip. *mum consilii*; unde scilicet arcana promerentur consilia Numinis ore fusa, ut advertit S. Hieronymus.

Erat Humanitas unita Verbo altior aliqua, diviniórque Domus consilii, è qua homines oracula peterent, & responsa ab ea, quæ sub illa latebat Divinitate: sed proh dolor! eam tum temporis non cognoverunt, nec tempus visitationis suæ.

II. Erat inter eos Christus, ut Doctor, ut increata
Ut Doctor. Patris Sapientia; quam deinde D. Paulus appellavit
1. Cor. 2. v. 7. Sapientiam in mysterio, hoc est arcanam, neque mundo priùs cognitam.

Ea Scholas aperuit, in quibus resonarent hæ voces, hæc cœlestis doctrinæ placita; humilitatem atque animi demissionem Deo, ac superis caram, quæstum magnum esse pietatem, paupertatem opibus anteponendam, gloriosum Cœli causa contumeliam pati, aliáque ejusmodi, quæ non audivit Israel, neque admiserunt surdæ aures, atque obduratæ mentes. Admiserunt autem primùm Apostoli, deinde Apostolici viri, denique omnes Christiani, veræ Sapientiæ amatores, & discipuli non mundi, sed Christi; qui ut ait Apostolus: *Stulti propter Christum*; amplectentes scilicet veram sapientiam, quam 1. Cor. 4.
cum D. Ambrosio vocitare possumus *Veram insaniam*; qua captus est deinde D. Benedictus, quem In Psal. 32.
D. Gregorius appellabat, *Scienter nescientem, & sapienter indoctum*; ut qui profanam Philosophorum doctrinam despiceret, & aspiceret Christianam. L. 2. Dialog. in Prof.
Hanc si aspexissent Judæi, non eò miseriæ, ac malorum venissent: Sed, ô malum! ô cæcitas! ô obduratio! non cognoverunt tempus visitationis suæ.

Erat in eorum medio Christus ut sponsus, qui III.
sponsam, id est animam, vocaret in consortium Ut Sponsus.
cœlestis thalami.

Sponsus, inquam, *virginalis*, ut ait D. Hieronymus. In Ioel.

Sponsus incorruptionis, ut piè notat Epiphanius. Psal. 132.

Dei Sapientia, Dei Sanctitas, Dei Castitas; ut magnifico elogio ponit D. Ambrosius. L. de Virg.

Erat hæc in corpore Servatoris mundi, ut in Templo religiosissimo dedicata, ad quod invitare omnes, ut suppari continentia Deum colerent, ut *diligerent & ipsi castimoniæ puritatem*; quia, ut inquit S. Leo: *Christus Virginitatis est Filius*; ad hanc & vo- Serm. 1. in
cat verbo, & propè cogit ipso Incarnationis bene- Epiph.
ficio: naturam enim humanam assumens, carnémque nostram commercio Divinitatis suæ nobilitans, eidem Sanctitatem impertiit, ut ex omni parte pura esset, ac sancta.

Sed proh dolor! & surdis loquitur, & ingratis facit benè, & frustra erigit, ac nobilitat animas, carnémque nostram, quæ sese impura libidine polluit, non sine contumelia Salvatoris; & hoc quia ut olim Judæi, non cognovit tempus visitationis suæ.

Versabatur Judæos inter Christus, ut Advocatus IV.
apud Æternum Patrem, atque intercessor, & fons Ut Advocatus.
veræ consolationis, ut propitiatio pro peccatis nostris.

Erat fulgurans solium Divinitatis, quod Majestas, & terrores undique circumambirent: unde voces, & decreta fundebantur ad maleficos lacerandos: ad illud accedere nemo reus, nemo nocens, nisi esset, qui viam sterneret, & judicem molliret advocatus. Et is Isaach, is nobis fuit Christus, quem D. Petrus
appellabat: *Perductorem ad Deum*; D. Gregorius 1. Pet. c. 3.
Nazianzenus *conciliatorem*, per quem ut ait D. Pau-
lus: *Accessum habemus apud Deum.* Ad Rom. c. 5.

Vixit enim, & etiam num in Cœlis vivit ad inter-
pellandum pro nobis, & ita quidem, ut sub illo nemo Ad Heb. c. 7.
unius causâ cadere possit, nemo à salute excidere.

Amabilem illam cœlestis Advocati vim, atque energiam iterum, ac sæpiùs experti sunt primi Christiani, in scriptis Apostolorum honorato, ac lætissimo titulo *Conservati* nominabantur. Spirabat nimirum, & ad superos, Æternúmque Patrem aspirabat ea Christi oratio: *Pater Sancte serva eos.* Et ve- Ioan. c. 17.
rò servavit ille, servassétque Israelem universum, si eo uti voluisset Advocato; sed, ô pudor! ô miseria infelicis illius populi! non cognovit tempus visitationis suæ.

V. Ut Medicus

Datus erat illi Christus ut medicus, non corporum modò; sed quod amplius est, etiam animarum.

Ea subinde illius cœlestis Medici ars est, ea industria, ut morbum corporibus immittat, ut simul depellat etiam animorum. Cujus conscius bonus senex apud sanctos Patres piè querebatur, quod singulis annis ægrotare solitus, immunis à morbo vel semel fuisset. Hinc ita cum lacrymis queri: *Dereliquit me DEVS, & non visitavit me.*

Orat. ad Cives.

Noverat nimirum vir sanctus, & altè imbiberat illud D. Nazianzeni: *Anima morbo affecta, Deo propinqua.*

Noverat deinde, quæ in Christo, ceu medico vis foret, sive ad curandos morbos corporum, sive ad depellendas ægritudines animorum.

De Divina potentia in has, & illos sic magnificè Clemens Alexandrinus:

Lib. 1. Pædag. c. 2.

Verbum paternum solus est humanarum ægritudinum Pæonius medicus, & Sanctus ægrotæ animæ incantator.

Finxerunt Poëtæ Pæonium medicæ facultatis peritissimum, ut qui etiam Plutonem ab Hercule graviter vulneratum curasset.

Fabula est, doctumque commentum, è quo tamen Cyrillus illud trahit in Christi decus, ac laudem: ut ad Plutonem, inferosque evasit ars Pæonii; sic ad vulnera, plagasque, quas animæ malus dæmon, inferique infligunt, sanandas, evasit Servatoris manus, ac potentia.

Quamquam quid manum dico? nec illâ opus, cùm etiam verbulo ægritudinem omnem deterat: cujus non inscius Centurio sic olim ad illum: *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.*

Matth. c. 8.

Et hinc sine injuria illius vocis, audit apud Cyrillum: *Ægrotæ animæ incantator.* Est enim pia quædam incantamenti species, & è corpore, & ex animo ægritudines depellere, vel unico verbo; imò ne verbo quidem, sed solius nutu voluntatis.

Quod ipsum jam inde agnovit leprosus ille, qui cùm sic ad Christum: *Domine si vis potes me mundare;* audiit illicò: *Volo; mundare;* & mundatus est, miro sanè Divinæ illius artis, ac potentiæ prodigio.

Ibidem.

Orat. 30.

Periti medici (inquiebat Basilius Seleuciensis) *tunc plus de arte cient admirationis; non cùm ferro, & igni in belli modum vim mali domant, sed cùm lenibus pharmacis affectæ parti adulantes ægrum scitè persanant.*

Et ita persanavit Servator Optimus, qui non ferrum admovit, & ignem curando vulneri, seu corporum, seu animorum; sed blanda, & mollia verba, quibus piè adulari animæ læsæ, eamque (si modò vellet) pristinæ sanitati restituere: & ita restituisset Israëlem, si modò agnovisset tempus visitationis suæ: sed quæ illius infelicitas fuit, non agnovit: uti nec agnoscunt hoc ævo plerique, ad quos demittitur è Cœlo medicus, quem si vel tantùm aspiceres, sanareris.

Cùm Judaïco populo à morsu serpentum esset quàm pessimè; hoc olim pro remedio ad Moysen misericors Deus.

Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet. Num. c. 21. v. 8.

Tam prompta aderat salubritas medicandi, quàm velox erat felicitas intuendi; sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium, quia latebat in serpente mysterium, inquit Cæsarius Arelatensis. Hom. 2. de Paschate.

Mysterium porrò erat, Christus, ad quem si accedas oculo Fidei, & ingenuæ confessionis, illicò medelam invenies.

Peccatum ipsum peccati cognitione curatur, & crimen criminis confessione aboletur, ait idem Præsul, quem si benè monentem audias, ad Christum statim accedes: si tibi à malo dæmone, si à stygio serpente, si à peccato inflictum sit vulnus, accedes, aspicies, amabis; & vel momento sanaberis: & hoc erit agnoscere tempus visitationis tuæ.

A qua pendet animæ salus, & quidem æterna; quod exemplo recentiore probare hoc loco visum est, simúlque quomodo Christus etiamnum in Cœlis sit medicus.

Venerat in Hispaniam B. Franciscus Borgia, & de via deflexerat in urbem, in qua moribundus jacebat ut genere nobilis, ita vitiis infamis. Monitus de viri periculo, ejúsque juvandi apprimè cupidus, ante Christum Crucifixum ad genua procidit, rogavitque ne infœlici illi animulæ deesset divina bonitas. Francisco sic oranti, ita de Cruce Salvator. Adi confestim ægrum, eúmque hortare, ut se expiet, ego mox illi ut medicus, & infirmorum curator, adero. Abit Franciscus bonæ spei plenus, & gaudens tanto adjutore, ad ægri domum venit, & Salvatorem videt medici, ac propè famuli specie illi solatia, & obsequia deferentem; recedit interim Dominus, quasi servo suo locum cessurus, qui post paucula, de confessione sermonem ingerit, sed surdo canit, atque obdurato: hinc tristis & ipse recessit, ac denuò in genua provolutus coram Christo Crucifixo dum ferventiùs orat, hoc rursum audit ex ore Crucifixi: Conveni iterum pertinacem illum, méque tecum defer, si fortè me conspectu, Cruci pro se fixo, convertatur, & vivat. Nieremb. in ejus vita.

Redit Borgia, & submotis arbitris, ut liberior esset, verbis ad pietatem compositis, submissis in terram genibus, Christum Cruci affixum illi repræsentat, & per ejus Passionem, dolores, vulnera, mortémque orat, obsecrátque, ut peccata confessione eluat; ad omnia miser obsurdescit. Addit & vocem suam Dominus JESUS, & quidem Sanguinis, quem ex vulneribus copiosè effundebat; sed neque hanc audiit obduratum caput, at suo malo. Mox enim Salvator revulsa è Cruce manu, Sacrosanctum suum cruorem in faciem projecit obstinati peccatoris, ut quot illius tum essent guttæ, tot aliquando essent linguæ, quæ neglectam benignissimi Salvatoris, ac medici operam exprobrarent, æternisque incendiis reum addicerent. Hoc exemplo disce, mi Lector, diem, & tempus visitationis; disce & supremi medici manum agnoscere, atque admittere, ut æternùm tibi sit benè. Guil. de Waal.



DOMI-

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.



PROPONIT hic Servator optimus duas bonæ orationis leges: Prima est, ut in ea sibi constet animus, & pia quadam importunitate cœlum pulset, & superum aures; ut fecit illa vidua de qua sacer Historicus: illa *Judicem iniquum sæpè interpellando flexit ad audiendum, non justitia, nec misericordia permotum; sed tædio superatum*, ait D. Augustinus. *Aug. Ep. 121. ad Proban.* Ita ut scitè D. Chrysostomus: *Quod non potuit metus, hoc potuit deprecatio constans*; *Lib. 2. de orando Deo.* Scilicet, & oportunè importuna: ex qua gradum facit S. Præsul ad orationem, quæ ad Deum erigitur, conficitque ab ea flectendos superos omnes, ipsumque Numen. *Quid enim*, inquit, *conjectandum est de benigno Deo, si judicem crudelem adeò mansuetum reddidit vidua supplicans?*

Altera lex orationis humilem animum deposcit, & de se abjectè sentientem. Hanc ut probet, non tam verbo, quàm exemplo, duos in Templum educit oratores: Unus est Pharisæus, qui insolenti superbia tumidus, longam texit orationem, in qua non Dei sui laudes; sed impudenter suas extollit.

Et primùm se secernit ab aliis, à raptoribus, injustis, adulteris; imò & Publicano, qui coram astabat; & hic est alter Orator, qui Deo gratus accidit, quia & de se sentit, & loquitur abjectissimè: consciùs enim vitæ malè actæ, nec cœlos audet suspicere, nec cum aliis etiam pessimis se componere; sed pectus tundit, quod pœnitentis est animi; deinde pauculas voces in Cœlum emittit, supplicum, ac reorum more, modoque: *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori.*

Audîsti, benevole Lector, utrumque Oratorem: attende quod de hoc, & illo Messiæ judicium, & quis exitus orationis.

Publicanus ad se, suáque rediit justus, & superis gratus: Pharisæus, is qui priùs erat, & injustus, & Deo invisus. Publicanus ad Cœlos evehendus; Pharisæus ad inferos detrudendus, quia hæ summi Numinis leges: ut deprimatur is qui se attollit; attollatur autem qui se deprimit. & hic Parabolæ scopus.

EX D. THOMA.

TRIA hic stylo signat Angelicus Doctor:

Serm. 1. Primum est insolens *Pharisæi superbia*, expressa his verbis: *Pharisæus stans*; ea porro in tribus *Lucæ c. 19.* apparuit: 1. Quia *se simpliciter justum cogitabat*; jactabat enim illud: *Non sum sicut cæteri hominum*; quasi solus sum, inquit Glossa. 2. *Quia cæteros despiciebat.* In hos enim vertebat illud: Raptores injusti. 3. *Quia bona sua arroganter jactabat*; ex quo illud: *Jejuno bis in Sabbatho.*

Secundum, est insignis *Publicani humilitas*, quæ & pauculis his voculis notatur: *Stans à longè*; & apparet in tribus: 1. Enim à longè stat, nec Templum ingredi audet, nec *Deo appropinquare*; *ut sic Deus appropinquet ei*, 2. Indignum se censet, qui cœlos aspiciat. Ita nimirùm *non aspicit, ut aspiciatur.* 3. Peccatorem se reputat: *& agnoscit, ut ipse Deus ignoscat.*

Tertium, est *Magna Dei Justitia*, quæ elucet in tribus: 1. *In humilis Publicani Justificatione*; *descendit* enim *Justificatus.* 2. *In superbi Pharisæi condemnatione*, ab illo, id est, *præ illo.* Ita nimirum *ante ruinam exaltatur Cor* (quod pertinet ad Pharisæum) *& ante gloriam humiliatur*, quod spectat ad Publicanum. 3. *In omnium superborum humiliatione*, expressa in hac Pharisæi, & Publicani controversia hoc supremi Judicis oraculo: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.*

Hæc ubi explicuit, tum observat Publicanum Deum fecisse sibi propitium: 1. *Cordis humiliatione*, *Serm. 3.* *& contritione.* Hinc à *longè stans.* 2. *Peccatorum confessione*; *Mihi*, inquit, *peccatori.* 3. *Punitione*, *sive satisfactione*; Inde *percutiebat pectus suum.*

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 10. post Pent. Ser. 1. DIVUS Bonaventura totus abit à Pharisæo, ut accedat ad Publicanum, attendatque curiosiùs quid agat, quid loquatur, quid à DEO impetret.

Hinc primò spectat situm corporis, illis verbis expressum: *Publicanus à longè stans*, monétque illius exemplo in hac vita standum.

Primò, *Ad serviendum Deo*; quia stat ipse *ad remunerandum*: ita apertis cœli valvis stantem JESUM vidit nobilis athleta Stephanus, qui & ipse stabat invicta animi constantia.

Zachar. c. 3. Secundò, *Standum ad acquiescendum Angelo custodienti*; ita JESUS Sacerdos magnus stetit coram Angelo Domini.

Tertiò, *Standum ad subveniendum proximo indigenti*: *Luc. c. 19.* Ita stans olim Zachæus dixit ad JESUM: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum.* Vide amice Lector illius exemplo ad quid stare debemus, scilicet *ad subveniendum egenis, & satisfaciendum læsis*; ut & ipsi *Stent ad indulgendum, & orandum pro nobis.*

Quartò, *Standum ad resistendum diabolo invadenti*: quia & ipse stat ad impugnandum. Sic Ephesios *Cap. 6.* stare docuit Apostolus, ad quos sic olim: *State succincti lumbos vestros in veritate.* Et hæc ex situ corporis, qui spectari potuit in orante Publicano; accipe, quæ ex ejus oratione colligat S. Doctor instar apis marinæ, quæ è quolibet flore mella legit: *Deus*, inquiebat, *Propitius esto mihi peccatori.* Postulat sibi fieri propitium Numen, & hoc ipsum postulare debet omnis homo: merebitur autem eam propitiationem quatuor modis. Scilicet

Serm. 2. I. *Per veram Confessionem. Si vis quod propitietur tibi Deus, convertaris ad Deum, revertaris à diabolo; convertaris ad virtutes, revertaris à vitiis.*

II. *Per fraternam condonationem; unusquisque enim talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem impenderit proximo.*

III. *Per devotam Orationem.*

Cap. 4. IV. *Per piam erogationem*; de qua illud Danielis: *Peccata tua eleëmosynis redime*; *Redime te homo de vivis*, inquiebat Augustinus; & hæc de propitiatione, quâ *Serm. 3.* accepta, Publicanus *descendit justificatus in domum suam, Domus est Ecclesia, vel Conscientia. Descensus, est* *Cap. 47.* *Pœnitentia*; ad quam animam peccatricem ita hortatur Isaias: *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon*; Descende, inquam, priusquam te mergat, absorbeatque descensus alius, & quidem, primò descensus qui fit à morte, dum *descendit homo in corruptionem*, *Psal. 29.* quam dum animo prævenit D. Gregorius Pont. Max. Ita de seipso: *Non longè post futurus, post hominem vermis, post vermem pulvis*; Ab hoc descensu, timendus alius, & hic est secundus, scilicet in inferno: in hunc *descendunt fortes per potentiam, sublimes per excellentiam, gloriosi per opulentiam; fortes utique in proximorum op-* *Exod. 15.* *pressione, sublimes in honorum ambitione, gloriosi in rerum possessione*; hi omnes *descendunt in profundum quasi lapis.* Ne sic aliquando descendas, agè Publicanum imitare & illius humilitatem in teipso exprime.

Fuit illa triplex: *Operis, Cordis*, & *Oris.*

Primò enim *habuit humilitatem in opere, ex conside-* *Serm. 6.* *ratione altissima Majestatis*, quam suspiciens *à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare.*

Secundò, *humilitatem contritionis in corde, ex recordatione commissæ iniquitatis*; cujus dum pœniteret, *percutiebat pectus suum.*

Tertiò, *habuit humilitatem recognitionis culpæ in ore ex timore æternæ calamitatis*; quam fugiens, atque perhorrescens, ait: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

Spectasti, benevole Lector, insignem Publicani hujus demissionem; specta, & pœnitentiam; gerit enim formam veri pœnitentis, quia

Primò, Contritionem, doloremque imo corde claudit.

Secundò, Ingenua confessione culpam aperit, dum se palam peccatorem profitetur.

Tertiò, Pro admisso scelere, quà licèt, facit satis, dum pectus tundit.

Vidimus pœnitentiam, vidimus & humilitatem; attendamus exaltationem triplici humiliationi respondentem: Verum enimverò illud Christi oraculum: *Qui se humiliat exaltabitur.*

Humilitas Contritionis in corde erigitur decore cœlestis gratiæ delentis maculam peccatoris.

Humilitas reverentiæ in opere exaltatur virtute abundantioris justitiæ accumulantis bona meritorum.

Denique, *Humilitas recognitionis culpæ in ore exaltabitur honore Deiformis gloriæ sublimantis ad gaudia Angelorum.*

Et hæ sunt exaltationes, è quibus *duæ sunt in statu viæ, tertia in statu Patriæ.*

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Pharisæus stans, hæc apud se orabat. Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum; jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Lucæ c. 19. v. 11. 12.

AN EÆ BONORUM OPERUM RELIQUIÆ Pharisæo fuerint ad salutem?

PRIUSQUAM ad hanc quæstionem devolvar, stylo notabo tria: Primò discrimen inter jejunium Pharisaicum, & Christianum. Deinde Pharisæum inter, & Publicanum. Denique inter hujus, atque illius orationem.

Ad primum quod attinet: *Jejunium Christianum* *Chrysol. Serm. 31.* *est singulare sanctitatis Aratrum; colit enim corda, eradicat crimina, evellit delicta, vitia subruit, Charitatem serit, copiam nutrit, parat innocentiæ messem.*

Et hoc usi Apostoli, hoc etiam Christiani novo sanè Jejunio. Contra verò Pharisaica *Jejunia inveterata sunt, quæ jactantur verbis, pallore proponuntur, venditantur defectu, placent humanis oculis, non divinis.*

Et hinc secundò petitur discrimen Pharisæum inter & Publicanum. *Discrimen Pharisæum inter & Publicanum.*

Pharisæus insolens, & superbum erat caput, & licèt ex veste, sectâve sanctitatem aliquam præferret,

sicque

Primum. ficque hominum oculis illuderet improbè; intrinsecus tamen, & tumorem alebat animi, & alia vitia, quæ illi pedissequa esse solent.

Publicanus autem externa specie, atque officio hominem ostentabat improbum, injustum, eóque nomine suos inter infamem.

Publicani enim apud Judæos, & aliqua infamia notari, & à publicis magistratibus arceri; imò & apud vulgus *Parisin* vocari, id est, *latrones publici*, de quibus extat illud apud Suidam.

Vita publicanorum, aperta est violentia, impunita rapina, negotiatio nulla ratione constans, inverecunda mercatura. Ex quibus conficis quod genus hominum publicani, saltem ex hominum calculo; alii fortè superum, Deique judicio. Et hinc peti potest primum discrimen Pharisæum inter, ac Publicanum.

Secundum. Alterum ex corporis compositione, situque orantis; Pharisæus stabat orando, quasi sua staret mole, meritisque; & quidem inter primos altari proximus, & vultu in cœlum erecto, quasi illud jam usurparet oculis, manibusque.

Publicanus autem stabat quidem & ipse; sed *à longè*: nimirum ut scitè D. Augustinus, *Cordis conscientia eum removebat, pietas applicabat.*

Corpore hærebat in templi vestibulo, & suos inter postremus, quod erat demissionis; nec audebat oculos in cœlum levare, nec in Sancta Sanctorum, quod & his, & illo indignum se censeret; sed demisso in terram vultu arguere, damnareque nimis pronum, ac præcipitem hactenus in terras, animum, amoremque: & hic erat orantis habitus, de quo sic Augustinus.

Ut aspiceretur non aspiciebat, respicere sursum non audebat; premebat conscientia, spes sublevabat.

Tertium. Tertium discrimen Pharisæum inter, ac Publicanum, ducitur ex hujus, atque illius ad superos oratione.

Pharisæus *apud se orabat, non apud Deum*, inquit
In 1. à Isay. D. Basilius, & hinc *redibat ad se cùm in superbiæ crimen incidit.* Et sic orant homines superbi, ac tumidi; quos Deus non audit; quia non tam cœlo placando orant, quàm se, & sua jactando; voce scilicet elata, pharisaica, id est tumoris plena, ac vanitatis.

Publicanus è contrario pressa voce, ac suppressa
Serm. 9 de Verbo Dom. *Percutiebat pectus suum, ut argueret, quod latebat in pectore, & evidenti pulsu castigaret peccatum*, inquit D. Augustinus.

Et ita orant humiles animæ, bonæ mentes, in quarum *confessione sui accusatio, Dei est laudatio*; ut piè notat idem D. Præsul.

Pharisæus hæc orabat: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum.* Ecce ut verbis se prodit, aperitque superbus animus, qui cæteros omnes præ se despicit, atque infrà se constituit.

De grad. Humil. *Gratias agit, non quia bonus, sed quia solus; non tam de bonis quæ habet, quàm de malis, quæ in aliis videt: Nondum de suo trabem ejecerat, & festucam in oculo fratrum enumerabat*; & hinc subdebat hoc de aliis scomma, *injusti, raptores, adulteri, velut etiam hic Publicanus.*

Petulanti ingenio non satis fuit seipsum extulisse, nisi & alios deprimeret, notaretque infamiâ etiam qui aderat, Publicanum, ita, ut doctè advertit D. Augustinus:

Serm. 36 de Verbo Dom. *Ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est non Deum rogare, sed se laudare; insuper & roganti publicano insultare.*

Publicanus contrà, seipsum, & quidem solum inspicere: in alios nec oculum, nec cogitationem jacere; seipsum accusare, de seipso abjectè sentire, & loqui, de aliis autem tacere. Et hæc in cœlos emittere: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Paucula verba; sed quæ vim habent, ac pondus immensum.

Deus, inquit, ad hunc enim appello misellus homuncio, exiguus pulvis.

Propitius esto, quod miserationis est; non Justitiæ: illi quippe me sisto dum vita patitur, & hanc Divinæ bonitatis inclinatione declino.

Mihi, cui scilicet uni adscribendum quodcunque est scelus; non fortunæ, non sociis, non malo dæmoni, suggestori importuno.

Peccatori, jam inde à conceptione, ortúque primo, & quidem continuata serie peccandi, quasi ex habitu. Hæc fuit humilis animæ oratio, à qua quid cœlo propitio consecutus sit, disce ex ipso primæ Veritatis oraculo:

Dico vobis, inquit, *descendit hic justificatus ab illo; Pharisæus vacuus rediit, quia plenitudinem simulavit. Publicanus autem quia exinanivit seipsum, quia vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem*, inquit D. Bernardus; sic ut disertè S. Paulinus: *Justitia ædificabat, quod superbia destruebat.* Serm. 3 de Annunt. Epist. 58.

Et hæc posteris erunt documento, atque exemplo; ex quo discent quomodo ad Deum, superosque venire debeant boni oratores, scilicet, cum insigni animi demissione, uti venit *Publicanus ille, qui dum non auderet oculos in cælum levare, ipsum cælum ad se potuit inclinare*, inquit D. Bernardus. Serm. 4. de 4. orandi modo.

Descendo ad quæstionem initio propositam, ejus occasionem, atque argumentum ingerit insolens illa Pharisæi jactantia: *Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo.*

Hæ sunt bonorum operum reliquiæ, quas demus jactari ab illo etiam ex veritate. Quæro an eæ ad salutem, an potiùs ex malo dæmonis ingenio, arteve ad perniciem? Ut ea quæstio clariùs explicetur, simulque pateant, quæ stygii hostis artes, dolíve, illud statuo. Cacodæmonem in iis, quos perdere vult, subinde, imò & sæpiùs pati aliqua opera bona, ut dum illis malè innituntur, & confidunt, etiam malè pereant. Ita in Pharisæo, de quo in præsens est quæstio, jejunium admisit, & quidem bis in hebdomade, quod singularis abstinentiæ videri potuit, & decimas ab eo Sacerdotibus, arísque pendi voluit, quod erat religionis, ut in iis actionibus in speciem bonis, confisus, alia despiceret, quæ consequendæ saluti, ac beatitati necessaria.

In quo profectò simile quid homini facit dæmon, quod Naas Ammonites fecisse legitur milibus Jabes. Fœdus hi ab illo petebant, annuit omninò Rex ferox, ac barbarus; sed ea lege, ut eis erueret oculos dextros, residuo tamen sinistro juvat audire quid facer historicus:

Dixerunt omnes viri Jabes ad Naas: habeto nos fœderatos, & serviemus tibi. & respondit ad eos Naas Ammonites: in hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros. 1. Reg. c. 11. v. 2.

Quod illis tyrannus; hoc vel mundus Deo rebellis, vel diabolus illius princeps, inquit Petrus Damianus:

Sæpè enim consentienti sibi homini reprobo potiorem partem sanctitatis, & lucidi operis adimit; minorem verò artificiosa quadam suæ calliditatis industria derelinquit, ut in eo quod tollitur sit occasio damnationis; ut pereat in eo, quod remanet, de spe fiduciæ præsumatur, ut peccator ad pœnitentiam non recurrat. In 1. Reg. c. 11.

Ita Pharisæo illi, & jejunium reliquit, & decimas, quas penderet; ut esset unde & vana spe de seipso, suáque sanctitate præsumere posset, & publicano petulanter insultare: at caritatem, aliáque magnarum virtutum lumina in eo jam extinxerat, ut esset unde cæco impete iret in præceps.

Ita in aliis hoc, quo vivimus ævo dextrum oculum eruit, quo cœlestia, æternáque contueri possent: sinistrum autem relinquit, quo inferiora, ac terrena aspicere, ad eáque toti inclinare possint.

Aliis potiora adimit virtutum instrumenta, armáve; quibus, & vitia, & stygem edomare possent; at aliqua tamen relinquit, ne omninò destituisse videatur.

videatur. Nimirum consultiùs esse putat vaferrimus hostis, non omnia simul tollere, non adimere sensum omnem pietatis, ut etiam ex hoc magis impium reddat. Qui enim credit aliquid pietatis, ac virtutis sibi reliquum esse, & de illo sibi blanditur, & præfidit, nec cogitat quæ ob alia scelera mersus resipiscat, itáque perit quàm miserrimè.

Valer. Max. L. 9. c. 2. In quo stygius hostis facit, quod olim Athenienses Æginensibus. Illi his pollices abscindi jusserunt, ut hoc pacto cæteroquin classe potens populus, & militari robore extimescendus, in certamen maritimarum virium descendere non posset. Poterat equidem Æginensium juventuti, aut brachia præscindere, aut etiam capita, sicque solo insternere emortuum robur militaris populi: noluit tamen; sed pollices dumtaxat abscidit, ut noceret magis, quo minùs in speciem nocuisse videretur.

Ita subinde facit astutissimus inimicus, non illicò caput petit, hoc est, non inducit in barathrum desperationis; non brachiis truncat, id est, non tollit omnem ceteram salutis; sed pollices resecat, hoc est, ad arma ferenda, ad tentationi resistendum, vires tollit, ut sic miseram serviat servitutem, nec hastam gestet, vibrétque; sed remos trahat et damnatus ad triremes scelerum suorum, à quibus malè perit, dum lentè perit.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Non sum sicut cæteri hominum.* vers. 11.

AN EA VOX PHARISÆUM OLIM PERDIDERIT? Et an eadem modo hæreticum?



Pharisæi præsumptuosi. VOX index est animi: prodit enim occultas illius affectiones, seu eæ bonæ sint, seu malæ; estque veluti typus aliquis, quo exprimitur internus hominis sensus: & ita in Pharisæo bellè expressit, reddidítque illius imaginem, & latentem in animo superbiam; hanc enim sonat insolens illa vox: *Non sum sicut cæteri hominum.*

Sed agè, teipse intuere, teipse attende curiosiùs, & quid loquaris, & jactes expende.

An non ex eodem cum aliis luto argillaye fictus es? An non carne, & ossibus malè compactus? An non communi cum aliis fato subjectus? An non gravioribus animi morbis, hoc est vitiis, affectus?

An non ut alii plerique passionum suarum mancipium? an non superis es ingratus, atque invisus? Minimè, inquit, gentium: *Non sum, non sum sicut cæteri hominum. Iejuno bis in Sabbatho; decimas do omnium, quæ possideo.* Ecce quæ series bonorum operum, quæ cibi, potúsque parsimonia, quis religionis cultus, quæ erga Superos Justitia, quibus decimas pendit, non tam ex affectu religiosæ mentis, quàm inani jactantia, quæ Pharisæum ostentat: *Hominum*

Lib. 17. de Antiq. c. 3. *genus astutum, & arrogans*, inquit Josephus.

Nimirum illius sectæ hic erat genius, suiipsius amans, & vanæ gloriæ appetens in paucis, & aliorum omnium facta, dictáve despiciens, ideóque solemne illud in ore, vocéque: *Non sum sicut cæteri hominum.*

Crederes esse homines altiores, & semi-deos in terris.

Præsumptuosi & hæretici. Quod Pharisæis olim vitium fuit: hoc deinde omni ævo hæreticis, qui si minùs voce; at reipsa jactant petulans illud: *Non sum sicut cæteri hominum.*

Cæteri hominum & nascuntur, & adolescunt plerumque indocti, & sacrarum litterarum imperiti; saltem ea imperitia qualis, qualis est, non excutitur nisi studio, labore, multisque antelucanis lucubrationibus; at hæretici simul atque hæresi imbuti, & docti, & in sacris paginis versatissimi: *Docent antequam discant*, inquit S. Hieronymus, utque disertè

De præscript. hæret. notavit Tertullianus jam inde à primis sæculis apud illos: *Hodie cerdo, cras Doctor; nusquam scilicet proficitur facilius, quàm in castris rebellium.*

Ariani. Ita suo sensu, judicióque profecerunt Ariani, qui orthodoxos omnes probrosa voce appellabant ἀκατηχήτους, *Malè-cathechisatos*, malè instructos in Fidei, Religionisque mysteriis; seipsos autem jactabant eorum omnium peritissimos.

Gnostici. Ita etiam Gnostici, sic dicti quasi scientes ipsi soli, cæteri rudes, & ignari; quos acriter reprehendit Clemens Alexandrinus: *Miror*, inquit, *quomodo quidam γνωστικοὺς dicere audeant, cùm perfectio hæc sit Dei, qui semper docet, infantia verò nostra, qui semper discimus.*

Lutherani. L. 1. contra Clerum. Ita deinde in Germania Lutherus, & se *præconem & Evangelistam Dei* nominare; & pronuntiare audax illud, & insolens; ab Apostolis neminem prodiisse, cui cederet in sacrarum litterarum scientia; ideóque nec ullum hominum, nec Angelorum doctrinæ suæ arbitrum, ac judicem unquam admissurum. Sic homo nihili, & invisus tenebrio, & se, & doctrinæ suæ placita prætulit Hieronymo, qui tamen à priscis audiit, & *Scripturarum arbiter, & Spiritus sancti discipulus, & mens Christi.*

Verum quid agas? is hæretici genius est; sciolus esse, ac videri vult, suáque ostentare, dicta, factáve; aliorum autem maledico dente rodere, quod ipsum agnovit, acrique stylo notavit Tertullianus, qui sic de illis:

Lib. adversus Hermog. c. 1. *Natura quoque hæretici etiam turbulentus, qui loquacitatem facundiam existimet, & impudentiam constantiam deputet, & maledicere singulis officium bonæ conscientiæ judicet.* Hæc ille, à quo discedo ut rursùm audiam antiquum illud, ac Pharisaicum: *Non sum sicut cæteri hominum.*

Novatiani. Extulerunt & hoc Novatiani, qui se solos puros: cæteros autem impuros per summam injuriam vocitarunt; utque etiam extrinsecus puritatem illam præ se ferre viderentur, alba veste induti incedebant, velut innocentiæ & castimoniæ candidati.

Ex vero autem & impuri, & incesti, & ad omnem libidinem fœdè projecti; nec mirum, quia hæresi semper agnata impuritas: ut enim scitè notavit D. Hieronymus:

Cap. 9. in Oseam. *Difficile est hæreticum reperire, qui diligat castitatem, non quod eam præferre desistat in labiis; sed quod non servet in conscientia, aliud loquens, & aliud faciens.*

Atque in hoc hæreticus cum Pharisæo consentit; sed & in superbo, atque tumenti ingenio; quo ericius etiam exclamat: *Non sum, sicut cæteri hominum.*

Montanistæ. Ita exclamavit olim Montanus hæreticus, qui insana temeritate, effronte audacia, sacrilega mente, vocéque se Paracletum dicere ausus est, & Spiritum sanctum à Deo emissum in terras.

Ab hoc,

Ab hoc, ceu parente, ceu Doctore hausêre Montanistæ pares omnino spiritus, & sese dixerunt *Spirituales*: Catholicos autem per ludibrium, *Animales*.

Eodem dementiæ prolapsus Manes hæreticus, qui se Messiam mentiri voluit, & discipulos duodecim velut Apostolos deligere: ut superbo nomini facta consentirent:

Manes enim, Babylonica lingua idem est ac *Vas electionis*; & tale se fingebat hæreticus, licet revera *vas* esset *in contumeliam*.

Uti fuit & Calvinus, qui tamen etiam de seipso dicere potuit & illud Pharisaicum: *Non sum sicut cæteri hominum*.

Calvinistæ. Nam institutionum suarum libro secundo, & se toti antiquitati, & SS. Patribus obsistere palàm profitetur, & prima illa Ecclesiæ lumina, Divósque Patres simplicitatis arguere, quasi ea duce secuti essent aniles fabulas, & inania commenta ut tempori cederent, ac vulgi opinionibus.

At Calvinus ipse altius sapere, & Ecclesiæ reformator esse, ac dici voluit.

Diceres illi uni illapsum è cœlo spiritum; alios autem omnes destituisse, & maligna quadam doctrinæ sterilitate damnasse.

Nec mirum si is Calvini, is omnium hæreticorum genius fuerit, matre scilicet ac progenitrice superbia: de qua illud olim Augustini testimonium, quod jam inde à primis sæculis, & sua ipse experientia hauserat.

Diversis in locis diversæ hæreses natæ sunt; sed omnes una genuit mater superbia: à qua has unà cum impuro doctrinæ lacte hausêre voces plenas jactantiæ, ac tumoris: *Non sum sicut cæteri hominum*. *Lib. de Cura Pastor. c. 6.*

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Omnis, qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.* vers. 14.

QUÆ IN SUBLIME SIT VIA?



OLEMNE illud, ac mysticum Philosophi pronuntiatum, τὰ τρία τὸ πᾶν. *Tria sunt omnia*, quod nonnulli referri posse credunt ad SS. Triadis mysterium; quasi illud subobscurè cognoverit Aristoteles; alii ad tres charites, quæ spectantur in beati animi politia, & quæ manibus inter se implexæ in admirationem rapiunt omnes. *Lib. 1. de Cælo.*

Eæ porrò sunt: *Mansuetudo*, *Humilitas*, *Patientia*, illustria nobilis animæ decora, atque ornamenta, quæ viam ad superos parant, ac sternunt; uti contra superbia ad inferos. Ita verum illud Christi Servatoris oraculum: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* *Superbi depressi.*

Jam inde à prima nascentis orbis infantia in cœli Empyrei sede se extulit Lucifer, & sociæ sceleris acies, quæ casum ad inferos fecêre miserabilem: *Lucifer.*

In montem primus ascendit Angelus, & descendit diabolus, inquit Augustinus. *In Solilog. c. 29*

In Paradisi deliciis erat Adam, & à serpente delusus audivit admisitque illud: *Eritis sicut Dii*; & qui Deus esse voluit, vix à lapsu se hominem agnovit, sic à seipso, à ratione, à gratia totus defecerat. *Adamus.*

Nabucodonozor, adversum cœlo caput, vix se, vix Deum capiebat, adeò ati purpura, regnóque insolescebat improbè; & ecce in densa nemora relegatus, ferinum in morem vitam egit; imò si nonnullis credimus, etiam feræ speciem extrinsecus induit, ut esset probè bellua, qui se priùs hominem, hoc est rationis compotem, nescierat. *Nabucodonozor.*

Darius Persarum Rex, deliciis diffluens totus, & fastu tumidus: hunc apprimè expressit data ad Alexandum Epistola, cujus hæc erat inscriptio: *Darius Rex Regum, Deorum cognatus, Alexandro servo suo*; hæc ille, aliáque id genus adjecit Epistolæ verba plena tumoris; sed hunc depressit Deus, & post stragem suorum miseranda captivitas. Sed antiqua, inquies, sunt ista, & longo sæculorum usu detrita; demus unum, quod recentioris, & nostræ sit memoriæ. *Darius.*

Vidit nostra hæc ætas, vidit, sensitque Germania Gustavum Sueciæ Regem, & ab illo immane belli pondus, sub quo tot annis ingemuit: sub hoc tum victore (an ejus Imperio, an aliorum adulatione, nescio) excusa tamen est moneta Icone illius, & Christi, cum hac Epigraphe communi: *Salvator mundi salva nos.* Diceres illi Christi, & Salvatoris commune nomen; uti & Dei titulus fuit in Icone quadam, quam ei excudit Augustana Civitas.

In ea visebatur urbs Augusta jacens instar afflictæ matronæ, cui subjecta erat hæc inscriptio: *Augusta angustiata à Deo per Deum liberata.*

Tantùm, eo loci, ac temporis adulatio potuit, tantùmque est ausa, contra quam fæliciter lusit is, qui hoc Anagramma: *SVED DEVS.* adjecit Chronographicum: *InVersVs DeVs à Vero Deo DeVICtVs.* Et verò paullò post devictus est, victoríque Cæsari Ferdinando semper Augusto, velut victima belli cecidit, dignus sanè meliore fato, propter regias animi dotes, martiúmque robur. *Silvester Petra sancta in Notis Ep. Molinæi. p. 52.*

Verùm quid facias; est ille ludus Divinæ Providentiæ, ut subitò graviore lapsu cadat, qui sese impotentiùs extulerit; utque altissima montium cacumina irati cœli fulmina feriunt; sic Deus, qui superbis resistit, eos de gloriæ, vitæque culmine dejicere amat, atque deturbare.

Crederes Deo ter Opt. ter Max. cum superbis singulare certamen esse, & certè est teste D. Ambrosio: *Deo resistente.*

Deus, inquit, *tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen.* *In Psal. 118.*

Tanquam dicat: meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio.

Si fortè in campum prodit Avarus, si Deum insano pecuniæ amore lacessit; non illicò in eum prodit Deus, sed iram sustinet, differtque vindictam.

Si impudicus unus aliquis, si veneris, cupidinisque mancipium, & servulus unius voluptatulæ; neque cum hoc congreditur Deus, quia neque hunc, neque illum ut specialem sibi adversarium habet.

At si superbus in arenam venit, in eam venit & Deus, quia altus est, & altum ipse ferre non potest: Ideóque rectè monuit Vates Regius: *Nolite extollere in altum cornu vestrum*; hoc est, *in Deum*: quia si extollatis, illicò retundet, frangétque: hic enim Cœli ludus, & hæ Dei ter Optimi ter Maximi leges, ut deprimatur illicò, qui se impudentiùs elevârit. *Psal. 74. v. 6.*

Quod ipsum natura, ac ratione duce agnovêre Sophi veteres, quos inter Æsopus, qui rogatus à Chilone Lacedemonio, quid rerum in Cœlis ageret, quidvè molitetur Juppiter, respondit: *Excelsa humiliat, & humilia extollit.*

Laert. Le.

Quod etiam Christianè, & piè magis agnovit Clotharius Galliæ Rex, qui morbo lethali ictus, & languore confectus, hanc veritati vocem ultimam dedit: *Vah, vah! quàm magnus est Rex ille cœlestis, qui sic humiliat sublimes terræ Reges.*

Almoin. l. 3. cap. ult.

Sentiebat Rex Christianissimus Dei manum gravem esse; & eam ejusmodi plerumque experiuntur, qui in terris erecti, ac sublimes videntur. Uti contra levem, ac benignam, qui in hac mortali vita depressi, ac humiles apparere voluerunt. Hos enim erigere solet propitium Numen vel in terris, vel saltem in cœlis, æternáque beatitate. Quod exemplis evadet clariùs, quàm verbis

Humiles exaltati.

Turonem venerat Carolus Magnus, tum ut S. Martini ossa religiosè coleret, tum ut Alcuinum Præceptorem suum conveniret; aderant unà cum parente liberi tres, Regia soboles, Carolus, Pipinus, Ludovicus: dum familiariùs inter se colloquuntur, quæsivit ex Alcuino Carolus: Quem ex his filiis meis dedit mihi Deus habere successorem?

In vita B. Alcuini.

Ille oculis primò Ludovicum designavit, deinde etiam apertis verbis fic expressit: *Habebis Ludovicum, humilem successorem eximium.* Ludovicus certè natu quidem postremum; sed humilitate fratres inter facilè primum; qui deinde cùm post aliquod temporis intervallum sub sacra solemnia, humili, demissóque vultu, Alcuini manum exosculaterur. Vir Dei, Sigulfo qui proximè aderat, dixit: *Quoniam qui se humiliat exaltabitur. Certè ipsum post patrem Gallia gaudebit habere Imperatorem.*

Oraculum probavit eventus. Carolo enim successit Ludovicus, & sceptrum tenuit; ut inde disceres viam ad sublime, etiam in terris esse demissionem animi, atque humilitatem.

Vis etiam nosse, quî fuerit in cœlis? audi, quid de D. Francisco scripserit S. Bonaventura.

Necdum vivere desierat ille, cùm viro in paucis religioso visum est aperiri cœlum, & Divorum atria, & in his thronus illustris situs medios inter Seraphinos, quem dum mentis oculis contemplatur audit: *Hæc sedes parata humili Francisco.* In ejus vita

Similem illi si ambis, benevole Lector, & cum illo postremum in terris locum ambire disce, & hæc tibi à viro imprimis docto, ac pio scripta arbitrare: *Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese, sperni.*

Hi quippe sunt humilitatis gradus, qui te in altum evehent, & ævo reddent beatiori, ad quod mihi crede, nulla alia via quàm humilitas *Linguæ*, *Cordis*, *& Operis*, inquit D. Bernardus. De grad. humil.

Lingua quidem, ut hæc in laudem suam nihil effutiat.

Cordis, ut abjectè de se sentiat, nulli se præponat, postponat autem omnibus.

Operis denique, ut illud demissionem clamet, atque ostentet.

****

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.



D CHRISTUM, ceu communem medicum confluebat ægra turba, ad quam quoque accessit surdus & mutus, ut tantis malis remedium inveniret, & verò etiam invenit. Vix enim in Servatoris oculos venerat, cùm eum eduxit è conferta multitudine, & digitos in aures immisit, & expuens; salivâ sacratiore, ac medica, linguam tetigit: ac deinde cœlum suspiciens altum ingemuit; condolens scilicet infirmitati, ac miseriæ in quam venerat misellus ille, seu vitio suo, seu parentum, & naturæ corruptæ, seu etiam dæmonis maleficio: quod ut tolleret erupit in eas voces testes altioris potentiæ, ac divinæ, *Ephpheta*, quod est *Adaperire*; & statim apertæ aures, & solutum linguæ vinculum. Et hæc summa rei tum gestæ, de qua

EX D. THOMA.

AB illo vitio corporis surdi & muti, transit Angelicus Doctor ad animi vitia, quæ illo notantur. Et quidem:

Serm. 2.

Primò, *Magna*, inquit, *& multiplex peccatoris infirmitas*, & à peccato mortali triplex: 1. *Est cæcitas per mentis obtenebrationem. Ambulabant*, enim, *ut cæci: quia Domino peccaverunt*. 2. *Est surditas per inobedientiæ rebellionem. Quis cæcus, & surdus nisi ad quem nuntios misi*, inquiebat Deus Isaiæ voce? 3. *Est mutitas per peccatorum occultationem. Cùm dulce fuerit in ore ejus malum, abscondit sub linguâ.* Dulce utique voluptatis, & peccati malum: at pessimum illud, quòd absconditur sub linguâ, nec evomatur. Ubi malum sic aperuit, transit

Sophon. 1. / Cap. 11. / Iob. 20.

Ad illius curationem, ad quam, inquit, tria concurrunt: 1. *Sanctorum, & Ecclesiæ oratio* expressa his etiam verbis: *Deprecabantur eum.* Huc nos invitat D. Joannes: *Qui scit*, inquit, *fratrem suum peccare peccatum, petat pro eo, & dabitur ei vita peccanti.* 2. *Donorum, & gratiæ Spiritus sancti susceptio*, his notata verbis: *Misit digitos in aures ejus*; cùm scilicet, *aures cordis aperuit ad verba salutis*; ait Glossa. 3. *Pœnitentiæ operatio*, quæ etiam

Matth. 7. / Ioan. 5.

In tribus consistit: 1. *In cordis dolore*, sic *suspiciens in Cœlum*

in Cœlum JESUS, *ingemuit*, & quidem alienis peccatis, ut doceret nos ingemiscere propriis. 2. *Inoris confessione*. Hinc *solutum vinculum linguæ ejus*; solutum utique Confessione 3. *In satisfactione, & impletione præscriptorum* à Deo, & Sacerdote. Inde apertæ sunt aures ejus: aperiuntur autem obediendo, & satisfaciendo. Ubi hæc de mali istius curatione dixit: Tum subjicit tertiò, quæ *ex ejus curatione*, *seu peccatoris conversione utilitas*; ea porrò triplex est. 1. *Libertas ab omni infirmitate spirituali*, quam sic Dei voce expressit Jeremias: *Convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras*, à me scilicet, quæ summa infirmitas. 2. *Dei laus*, inde manans. 3. *Dei potentia, & bonitas*; *qua declaratur*, qui scilicet benè omnia fecit.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 11. post Pent. Ser. 4. DIVUS BONAVENTURA, non solùm aures; sed & oculos, & os, & manus aperiri vult: *Oculos ad credendum fideliter, aures ad obediendum humiliter, os ad loquendum utiliter, manum ad subveniendum misericorditer.*

De singulis fusiùs S. Doctor, ego breviùs, quia non sunt hujus loci.

Venio ad modum, quo illi surdo apertæ aures; fuitis ejusmodi: *Misit digitum in auriculam ejus. Digiti Christi, sunt dona Spiritus sancti*; his aperiuntur surdorum, id est, inobedientium aures; quando scilicet *Digito Dei*, id est, *Spiritu sancto tanguntur*: quòd si adeò clausæ sint & *contumaces*, ut *non aperiantur Dei digito*: *tunc necesse est ut feriantur Petri gladio*, à quo fugit, &c.

Descendo ad aliud miraculum; non enim apertas tantùm aures; sed & *solutum vinculum linguæ*: quod illud, si quæris? audies ex eodem Seraphico Doctore:

Serm. 3. *Vinculum, quo diabolus animam ligat, est peccatum, quo peccator ligatur pedibus per pravum affectum; manibus per iniquum tactum; collo per nocivum verbum; lingua per indebitum silentium*: de hoc in præsens est quæstio.

In qua ad mores, & spiritualem sensum tria deducit S. Doctor:

Primò, Quod *omnis difficultas confitendi, orandi, laudandi, & utilia loquendi vinculum sit diaboli*; hoc *linguam ligat per periculosum silentium, ne miser homo per confessionem vincula sua rumpat.*

Serm. 2. Secundò, Ut lingua carnalis tribus modis illigatur; videlicet: *Morbi inflammatione, vocis infrigidatione, & nervi enervatione*: sic & lingua spiritualis triplici vinculo tenetur, ne in voces animæ profituas exeat.

Primum *Vinculum*, est *Superbia*: hac ita inflammatur, atque intumescit homo, ut non possit moveri ad Dei sui, seu amorem, seu honorem.

Secundum *Vinculum*, est *Invidia*; hac quasi superinfuso frigido humore ita imbuitur, flaccessit atque frigescit homo, ut per amorem in proximum ferri non possit.

Tertium *Vinculum*, est *Lascivia*; hac ita tenetur lubricus, ut ne ad seipsum quidem diligendum moveri possit.

Ut porrò aliquando possit, solvi debet vinculum linguæ:

Primò, *Circumvolutione scelerum*, id est, frequenti, atque assidua illius recordatione.

Secundò, *Dolorosa cordis Contritione*.

Tertiò, *Perfecta oris Confessione*.

Contritione solvitur triplex peccati vinculum: Nempè Humilitate vinculum Superbiæ; Charitate vinculum Invidiæ; Castitate vinculum Lasciviæ.

Ubi sic soluta vincula, tum homo pœnitens *loquitur rectè*.

Primò, *quia humiliter cum opprobrio accusandi seipsum*.

Secundò, *quia utiliter cum proposito emendandi defectum*.

Tertiò, *quia lacrymabiliter cum desiderio placandi Deum*.

Hæc D. Bonaventura, à quo transeo ad quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & ait illi: Ephpheta.* Marc. c. 7. v. 34.

CUR CHRISTUS, QUI VEL SOLA VOLUNTATE, vel uno verbulo surdum, ac mutum sanare potuit, eo usus Cæremoniarum apparatu?

Quomodo surdus, & mutus.



ERUNT qui velint hunc surdum, vel mutum non tam casu, aut naturæ vitio eum fuisse, quàm arte mali dæmonis, à quo & obsessus. Ita censuit Joannes de la Fuente Toletanus, & Zoares Episcopus Conimbricensis.

Maluntalii eò lapsum calamitatis, aut morbo, aut prava corpusculi constitutione, quam à parentibus hauserat, aut ab immodico frigore, aut obstructione, aut tinnitu vehementiore, aut alia quapiam externa causa, qua vitiari solet auditus.

Verùm ut ut sit, ad institutum nostrum parum facit; at plurimùm illud: Cur Christus, qui malum illud quantum quantum erat, nutu, aut verbo tollere potuerit, eum adhibuerit in medendo cæremoniarum apparatum?

Hujusce rei rationes è natura peti potuisse vix puto: at quàm optimè ex mysterio; ad quod priusquam descendamus, examinemus singulas hujus medicæ opis circumstantias. *Circumstantiæ in modo curationis.*

Prima hæc fuit, *apprehensum* surdum de turba *eduxit*, ut doceret malè sanos à populi tumultu, & strepitu, à peccatorum societate educi oportere, si sanitatem ex vero ambiant, & quærant; vix enim animo sanus erit, qui cum mente ægris versabitur; ut enim Juvenalis: I.

Vvaq; conspectâ livorem ducit ab uvâ.

Sic etiam bonus à malo ejusdem vitii colorem facilè ducit: Ne porrò ducat secerni debet. Ita quon-
Gen. c. 19. dam *apprehenderunt Angeli manum Lothi, & eduxerunt eum extra civitatem Sodomorum*, ne communi cum illis aut vitio, aut excidio involveretur. Ita hic surdum à frequenti turba separatum voluit: Et hæc prima fuit circumstantia.

II. Secunda, *Digitos immisit in auriculas ejus*; unáque vim divinam, ad depellendum ex iis vitium surditatis.

In Scripturis sacris digitus Spiritum sanctum ex-
Luc. c. 11. primit; hinc illud Christi: *Si in digito Dei ejicio dæmonia*: & hoc Magorum in Exodo: *Digitus Dei hic est.* Unque Spiritus sanctus, qui, quia Patris, & Filii amor est, ejusdem inclinatione ad mortales instar digiti extenditur, ut miseris opem ferat; & ita hic extendit Salvator. De cujus digitis multa plerique, & mysticè.

Digiti manuum omnioò quinque, qui etiam his nominibus exprimuntur.

Primus est pollex, quod præ cæteris polleat. Secundus index, quod designet, monstrétque. Tertius medius. Quartus annularis, vel ut alii medicus. Quintus auricularis: & hunc, & illum fortè in auriculas surdi immisit magnus ille corporum, & animorum medicus, qui digitos omnes in salutem generis nostri explicuit. Et quidem primò *pollicem in conceptione*, in qua pollice, hoc est vi majore opus fuit: Deinde *indicem in nativitate*; de qua beatus Genius ad Pastores: *Et hoc vobis signum*: tum etiam *medium in vitæ cursu*; cùm medius mortales inter stetit: tum *medicum extendit cùm miracula patravit*, ægris-
III. que sanitatem restituit: Denique *auricularem* extendit, cùm huic *surdo* auditum reddidit Et hæc à Dei digitis beneficentia; quod subjungam erit à sputo: expuens enim Christus tetigit linguam ejus; quasi saliva sua sacratiore, & medica os aridum præ siccitate humectare vellet, & malè illigatam linguam fulvere.

Aphor. 19. Saliva est in lingua & illi se assimilat, inquit Galenus; ideò ea uti potuit velut instrumento, quo linguam impeditam expediret; & hoc ex quadam consensione salivæ, & linguæ.

Et hoc spectavit ad ægritudinem corporis depellendam: quod subjicio ad mentis: quos Christus corpore sanavit, sanavit & mente, ideóque dum huic surdo linguam corporis dissolvit, dissolvit & mentis; & hoc quidem infusa cœlesti Sapientia, ac Fide, qua Messiam agnosceret.

Ad quod Salivâ usus velut externo symbolo: Saliva quippe intelligitur Dei Sapientia. Ut enim illa à capite defluit in os: sic à Christo increata Patris Æterni Sapientia, & capite nostro derivantur, ac decurrunt altioris sapientiæ fontes, & rivuli.

IV. Venio ad quartam circumstantiam, ea fuit attactus linguæ: videtur id usitatum, & solemne fuisse Christo, ut ægritudines pelleret suo attactu.

Matth. c. 8. v. 15. Cùm maligna febri luctabatur Socrus Petri: *Tetigit manum ejus, & dimisit eam febris.* In quæ verba hanc quæstionem movet D. Chrysologus:

Serm. 18. *Quæ necessitas tangendi erat ubi inerat jus jubendi?* Respondet: *Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. Tenuit manum ejus, ut quod manus præsumentis amiserat, reparatet authoris. Tenuit manum ejus, ut acciperet indulgentiam manus, quæ carpserat de morte sententiam.*

Matth. c. 9. v. 30. Glossa. Ita cæcos, qui fortè accesserant explorata priùs eorum fide tetigit, & *aperti sunt oculi eorum*: *sic confessio oris tactum meretur pietatis.*

Ita cùm ad sepulchrum efferretur filius viduæ, & quidem *accessit, & tetigit loculum. Tangit*, inquit
Luc. c. 7. v. 14. S. Cyrillus, *ut ostendat efficax esse suum corpus ad humanam salutem.*

Ita ne longiùs abeam ab argumento proposito muti linguam attigit, & illicò expedivit iis, quibus tenebatur vinculis.

Sed hinc elabor ad quæstionem, quam initio mo- Cur tot circumstantiæ?
vi: quorsum is, ac tantus cæremoniarum apparatus? ut quid digitos in aures immittit? ut quid expuit? ut quid linguam tangit? nec enim his opus, ut & sibi reddatur auditus, & lingua; velle fuit plus satis; dicere etiam plus satis. Omnia quippe illius voluntati parent, & verbo.

Si ratio quæratur, pro ratione voluntas esse potuit; si mysterium, præludere voluit iis cæremoniis, quas deinde in nascente Ecclesia instituere parabat, eásque exemplo suo firmare. Prævidebat enim ex Usus Cæremoniarum.
altissima Divinitatis suæ specula futuros aliquando hæreticos, qui & cæremonias damnarent, & eas eliminandas clamitarent.

Ex quo hominum genere fuit Calvinus, qui inter sacra, Cæremonias rejicit velut inventum papisticum & aniles nugas, & gesticulationes importunas.

Contra quem pugnat ista quanta quanta est antiquitas, pugnat & ipsa ratio, & quod rationum instar est omnium, Christi Salvatoris exemplum.

Moyses Israëlitici populi Dux, & innumeræ multitudinis velut anima, nocturno, diurnóque labore sese atterebat. Hinc ad illum sic Jetro: *Stulto labore* Exod. c. 18.
consumeris; esto populo in iis, quæ ad Deum pertinent, ostendásque illi cæremonias, & ritum colendi.

Quid clarius? quid illustrius ad institutum dici potuit? sed ista missa faciamus, exoleta volet Calvinus unà cum antiquâ lege: demus proinde cæremonias in nova: & quidem jam inde à nascente Ecclesia. S. Basilius in libro de S. Spiritu, quem ad Amphilochium transmisit, testatur ab ipsis Apostolis in usu fuisse hasce cæremonias.

Baptismo sacrandos cruce signare, orare facie versa ad orientem, lustrales aquas Baptismi solemni benedictione consecrare, baptizatos inungere, aliósque ejus generis ritus tam in hoc Sacramento, quàm in cæteris usurpare.

Quod sanè exemplo Christi conforme fuit. Nam & hic cæremoniis quamplurimis plerumque usus, cæcum jam inde à nativitate tanto malo exemptum voluit. Quid inde? lutum fecit, eo linivit oculos, emisit ad natatoriam Siloë, ut ejus aquis lotum elueret: paruit cæcus, abiit, lavit, vidit: Ecce quot cæremoniæ, & quis ab illis fructus. Sed ne longiùs ab argumento mihi proposito: & hic surdo, ac muto, auditus redditur & vox articulata; at qua ratione? Quibus cæremoniis? Eas pete è sacro textu.

Educitur enim seorsum, mittuntur in auriculas digiti, expuitur, tangitur lingua, tolluntur in cœlum oculi, funduntur gemitus, clamatur *Ephpheta.*

En quis, quantúsque cæremoniarum apparatus; qui eas damnabit Calvinus, nisi & Christum damnet? non damnabit certè nisi impius esse, & audire volet. Sed hactenùs authoritate pugnatum est satis, ratione certemus.

Prima petitur ex ipsa hominis compositione: con- I.
stat hic corpore, constat & anima, & hac, & illo Earum ratio.
Deum laudet est necesse.

Psallam spiritu, psallam & mente, inquiebat de se-
ipso Vates Regius, cui consonat illud D. Cypriani: Serm. in Orat. Dom.
Laudandus Deus habitu corporis, & sono vocis.

Accedit & alia ratio ex Augustino petita, qua II.
contendit religionem sine cæremoniis servari minimè posse, ut nec arbor sine cortice, nec uvæ sine foliis: quod enim arbori cortex, quod uvis folia; hoc internis religionis actibus sunt externæ cæremoniæ.

Tertia ratio, quæ ducitur ex eodem Augustino, III.
probat cæremonias sacras, esse veluti libros, & picturas, in quibus docti, indoctíve legant, expressa Fidei nostræ mysteria, occultósque Sacramentorum

rum effectus. Ita, qui primo die Quadragesimæ, etiam Regum verticibus asperguntur cineres, & illos, & omnes mortalitatis suæ memores reddunt, simúlque monent salutaris pœnitentiæ, quæ in cinere, & cilicio exigi solet.

Ita (ut cætera Ecclesiæ Sacramenta missa faciam) in Baptismo Sacerdos in faciem infantis insufflat, ut eo afflatu doceat in eum inspirari debere spiraculum vitæ altioris, id est gratiæ: tum fronti & pectori imprimitur Crucis nota & character Baptismi, quo & salvus sit, & quem in fronte ostentet, & vita. Tum ori modicum salis imponitur, velut symbolum aliquod cœlestis Sapientiæ; de quo non sine sensu pietatis, animíque memoris dicebat Augustinus: *Signabar tum signo ejus, & sale ejus condiebar.* Deinde Sacerdos salivâ & nares, & aures infantis, illinit, addens illud quod huic surdo, & muto Christus: *Ephpheta. Adaperire*: ut scilicet auditus Divinæ voci pateat, & odoratus boni operis odorem hauriat, spargátque in omnes. Tum etiam variè inungitur corpusculum, ut inde pateat quomodo oleo gratiæ cœlestis imbuatur animula. Tum aquâ eluitur, ut dum *Caro abluitur, anima emaculetur*, inquit Tertullianus. *Lib. de carne*

Denique induitur veste, quæ innocentiæ, & puritatis interioris sit nota; & candela accensa manui imponitur, ut Fidei lucem, quam intrinsecus hausit, extrinsecus proferat.

Ecce quæ morum documenta, quæ religionis mysteria, quæ prodigia gratiæ cæremoniis illis velut typis expressa habes, ac legis. Hæc porrò & lege, & Calvinum, ejusque asseclas damna & fuge.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Apertæ sunt aures ejus.* vers. 35.
QVOMODO ET MALE CLAVDANTVR AVRES, & aperiantur benè?



Orpus hoc mortale suas habet aures, suas habet & animus immortalis: ex hujus, atque illius analogia aliquid deducam ad mores ritè formandos.

Surditas corporalis unde?

Læsio auditus Medicorum judicio triplex: Vel enim audiendi facultas omninò impeditur, & oritur surditas: Vel ex parte tantùm, & nascitur audiendi gravitas, aut tarditas: Vel est aliquis in auribus sibilus, & quasi tinnitus, & depravatur auditus. Hæc porrò aurium vitia in alias, atque alias causas refundi debent.

I. *Ejus causa.* Una, si nervus, per quem audiendi facultas, spiritúsque à cerebro defluunt, frigidi humoris intemperie afficiatur.

II. Altera, si nativus aër intra organi cavitates inclusus humoris aut vaporis admixtione vitietur; est enim aër ille primarium hujus sensus instrumentum, utpote in quo, & à quo formetur sonus, vel saltem transfundatur.

III. Tertia si cavitates excipiendis sonis servientes coarctari, aut alieno humore, vaporéve repleri contigerit.

IV. Postrema denique, si membranula interna violento motu introrsum pellatur, quod subinde fit ubi sonus nimis violentus ad aures appellit, ut accidit in bombardarum, tormentíve bellici explosione.

Et hæc de vitiis, quibus laborat auris corporea; videamus etiam quibus spiritalis.

Surditas spiritualis unde?

Primùm est surditas quædam, quæ accidit misellæ hominis animæ ex quadam intemperie frigida, sublato scilicet charitatis igne, & gratiæ ardore.

I. *Ejus causa.* Ab hac surditate quisquis occupatur, nec audit Dei Verbum, quod extrinsecus ad aures venit, nec inspirationes, piosque motus, qui intrinsecus immittuntur; quia scilicet omnis salutis cura, amorque, qui bonæ mentis nervus est, per quem defluere solent spiritus, & afflatus pii, penitus obstruitur humore frigido, hoc est lethali peccato, quo tota obruitur: in hos cadit illud Vatis Regii: *Aures habent, & non audient*; crederes esse simulacra surda, quibus etsi suæ in speciem sint aures: at non sint *aures audiendi*. *Luc. c. 8. v. 8.*

Ii sunt, qui de rebus divinis audire detrectant, qui benè monentibus obstrepunt, qui nitentibus eos extrahere de vitiorum cœno, improbè resistunt: hi damnationi proximi sunt, & vix uno pede ab inferno distant, quia aures, quæ disciplinæ melioris instrumenta sunt, amiserunt.

Nonnullis in locis audio Judicibus hoc in more positum esse, ut fures post primum furtum nudentur, cædanturque probè; post secundum amputentur aures. Quod si rursum iis amputatis ejusdem criminis rei deprehendantur, tum verò actum de vita, pendent è ligno, infame illius pondus.

Quod in hominum foro; hoc & Dei tribunali: A primo crimine, ceu furto divini honoris, quod vel ignorantia crassa, vel ex infirmitate committis, gratia nudaris, & charitate, & Deo vindice vapulas; debilitantur enim omnes animæ facultates, ac veluti sauciæ multo cruore resperguntur.

Verùm à secundo crimine, in quod relaberis, ô peccator! amputantur tibi aures, non ab alio carnifice, quàm à teipso, qui ideò justo Dei vindicis judicio daris in reprobum sensum, & totus ad cœli voces, sanáque consilia obdurescis. Itaque rursum novi criminis, ceu furti reus argueris, & tum actum de anima, de vita in tota quanta quanta est æternitate.

Ita quondam actum de Pharaone; fuit ille monstrum hominis, rebelle superis caput, & ad Dei voces, imò & tonitrua totus obsurdescens, ideóque ultionis divinæ scopus, victima nil miserantis orci. Verùm ab illo abeamus, & institutum prosequamur.

In aliis enascitur spiritalis quædam surditas, aut gravitas, & tarditas audiendi, ex eo quòd aures animi oppleantur alieno humore, & vapore pravo, hoc est carne, & sanguine, & luto fœtidissimæ voluptatis. II.

Poëticus Ulysses aures opplevit cera; pii olim Sacerdotes opplebant thure: at plerique modò complent terra, terrenis inquam, imò & obscœnis desideriis; toti sunt in caducis, & perituris bonis cumulandis, Illudque unum sic agunt, ut hoc tantum audire videantur, ad cætera surdi, quos proinde Vates Regius aspidi simillimos facit *obturanti aures suas ne vocem audiat incantantis sapienter.* *Psal 57 v. 5.*

Dicitur Aspis aurem unam ad terram adjungere, & alteram obstruere cauda, ut surda fiat, ne potenti carminum sono capiatur. Sic vitam agunt ex mortalibus plerique; unam aurem animi, hoc est,

 intellectum

intellectum terræ & terrenis apprimunt, ut nihil sentiat, nihil percipiat nisi terrenum: Alteram aurem, hoc est voluntatem, perversa quadam inchnatione, ceu cauda occludunt; ut ita surdi sint toti: & hæc secunda, eaque spiritualis surditas.

III. Tertia oritur ex sibilo, vel tinnitu; oritur autem is in corpore ex flatu quodam à corpore ascendente, vel in cerebro enato, qui aërem complanatum, nervùmque diverberat non secùs ac aër externus.

In animo autem oritur is sibilus, ac tinnitus; adeóque & surditas quædam spiritualis ex mundi fallacis susurris, ex carnis, voluptatum, seu syrenum cantu, ex dæmonis suggestionibus, qui se subinde bonum Angelum fingit, ac mentitur.

Et cum eæ suggestiones audiuntur non secus ac bonæ, & hinc in aure spirituali tinnitus, ac sibilus, quo impeditur anima ne sonos externos percipiat ac distinguat, ne benè monentes audiat, ne obtemperet Concionatoribus, aut blandè suadentibus, aut etiam è pulpito tonantibus, & comminantibus extrema stygis supplicia, & impendentem capiti ruinam, quam non apprehendunt, quia surdi sunt, quia eorum aures diverberat, & pulsat graviùs ille mundi, carnis, ac diaboli sibilus.

Ad hoc surdorum genus accedunt illi, quibus aures semper patent ad ea, quæ novitatis gratiam habent, quæ pascunt vanam curiositatem, quæ à salute penitùs aliena: quales olim fuisse dicuntur *Athenienses omnes, qui ad nihil vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi;* quos proinde meritò carpit D. Lucas Evangelista; ex eo quòd ad ista probè auriti; ad alia quæ Dei, quæ æternitatis, ac salutis, planè surdi.

Act. c. 17. v. 21.

Quidni enim surdos appellem eos omnes, qui tot voces; imò & tonitrua undique sonantia non audiunt. Concionatores seu Dei præcones, ceu buccinatores cœli declamant è pulpitis, nec tamen ad ullam vitæ mutationem audiuntur.

Angelus custos, ceu providus animulæ Pædagogus, ad internas aures blanda, amica, & salutaria monita insusurrat; nec etiam auditur ille.

Conscientia, ceu canis domesticus allatrat; nec tamen etiam auditur illa.

Vox sanguinis clamat de terra, & quidem adeo altè, ut etiam in cœlos evadat; & tamen nec auditur illa.

Nimirùm plurimis mortalium id usu venit, quod olim Caino: vox sanguinis fratris ejus clamabat ad Deum de terra, totus aër ab illa personabat; imò & Deus ipse quasi è throno suo in hæc inferiora ab ea erat devocatus: & unus Cain eam vocem, quæ sonabat è vicino non audiebat.

Ita hoc quo vivimus ævo, multi Caino similes, vocem sanguinis, hoc est scelerum suorum, quæ vindictam inclamat, non audiunt.

Utinam audirent saltem vocem sanguinis Filii Dei, quæ veniam, quæ miserationem à cœlo deposcit; sed proh dolor! surdi sunt, nec hanc, nec illam percipiunt. Et hinc nulla vitæ in melius mutatio, spes nulla, imò certa damnatio.

Poena surditatis. Exemplo erit adolescens dissolutus in paucis, quem Gallia non ita pridem vidit, & cujus nomini in præsens parco. Vitam ille egerat in omnem libidinem prostitutam, nec ab illa revocatus unquam vel piis amicorum monitis, vel conscientiæ stimulis; nimirum ad illa omnia penitùs obsurduerat; at malo suo. Tandem divina ultio, quæ non nisi plumbeo advenit pede, eum oppressit, & quidem nil tale meditantem: quippe dum ocreas induit vitam exuit subitò, nec auditus quicquam eloqui nisi unum illud: *O misella anima quò ibis?* ibis certè quò tua te pridem vocarunt scelera, quò tenax sceleris animus, quò surdæ ad cælestia monita aures deduxerunt; ibis, inquam, in Domum æternitatis, ad incendia damnandus, qui dum viveres insanæ cupidinis igne tostus arsisti. Ecce quò malorum devolvitur infœlix homo ab illa surditate spirituali.

Sed & alia est, quæ etiam eodem rapit; nempe illa, qua unus aliquis Deo ad meliora vocanti surdus obsistit. IV.

Evenit sæpiùs ut quis à sæculo ad religiosæ vitæ institutum cœlesti voce, occultisque inspirationibus invitetur, quas nisi audiat periculum adit salutis.

D. Antoninus meminit adolescentis, quem olim divina miseratio ad religiosæ vitæ genus evocarat. 1. Part. tit. 22. Visus est ille primùm audire Dei sui voces, & iis parere velle; adjecit enim animum ad D. Francisci institutum: verùm ut lubricæ sunt adolescentiæ viæ, & inconstans in benè conceptis animus, secum ipse loqui, secum disputare cœpit, amicos super ea re consulere, differre in dies, imò animum ad Ecclesiasticum statum, sæcularem tamen, & Canonicum applicare. Videri poterat in hoc audisse Dei vocem; nec enim aut miles gloriosus, aut sponsus mulierosus, aut helluo factus, aut scortator; sed Canonicus, qui etsi religioso statui in vitæ sanctimonia cedat, bonus tamen est, & laudandus.

At non sic tamen cœlo judice, Deo vocante audit. Et hinc eum tetigit vindex cœli manus.

Auctus enim opimo beneficio, paucos post menses in morbum incidit, qui ei lethalis, & postremus fuit: in hoc monetur ab amicis ut sibi consulat, atque æternitati, ut confessione animum ritè purget, ut superos, Deúmque sibi propitium faciat, instare brevem miserabilis ævi metam: hæc omnia admittebat auribus; sed non animo. Nam & sibi familiares urgere, ne essent importuni monitores; actum esse de salute, denique animam se omnino ad inferos damnandum. Ac ne putes hæc esse aberrantis cerebri, animæque deliria, in quæ subinde febricitantes incidere solent; hæc conceptis verbis adjecit: *Apparuit mihi Dominus iratus dicens: vocavi & renuisti, ideò vade ad portas inferni.* Eò scilicet rapiuntur surdi ad divinas voces; nec facilè audiuntur in morte, qui in vita Deum non audierunt: ut porrò audiant necessum est illis à Christo recludi aures, & quidem immisso sacratiore, cœlestique digito.

Est ille (ut ante insinuavi) symbolum Spiritus sancti, cujus est animi aures aperire, ut pateant divinis susurris, ac vocibus; claudantur autem cæteris. Remedium surditatis.

Ut illis non eveniat quod olim infelici Achabo. Habebat hic Michæam Prophetam, à quo ingerebantur opportuna, & salutaria monita: at illi occludebantur aures, aperiebantur autem quadringentis Pseudo-prophetis, qui placentia eloqui, & ea prædicere solebant, quæ Achabo erant in votis; & hoc ex spiritu adulationis, non autem veritatis. Lib. 3. Reg. c. 22.

Non sic aperiri debent aures, non patere mendaciis, non adulationi, non spiritui adulationis; sed puræ ac putæ veritati, quæ & scribatur Dei digito, & in aures fideliter immittatur. Ita quondam immissa in aures, animúmque Prophetæ Regii qui hæc Deo teste jactare solitus cum ingenti gaudio: *Aures perfecisti mihi;* vel ut legit D. Hieronymus *perfodisti mihi;* utique Dei digito, hoc est Spiritu sancto, quem unum audiebat, sequebaturque mens Regia: atque utinam audirent, sequerenturque omnes, quibus hæc pagella scribitur. Psal. 39.

Utinam, inquam, ad solas Dei voces, ad pia colloquia, ad saniora consilia auriti: ad cætera planè surdi forent: ut olim fuisse legitur Macheteis vir annis & meritis gravis, cui hæc cœlo propitio data gratia. Si fortè inter colloquendum alicui excidisset verbulum otiosum, si bonæ alterius famæ noxium, illicò sopiebatur, atque obsurdescebat: excitabatur autem, aurésque arrigebat simul atque de divinis erat sermo. Nimirùm illi Deus aurem perfecerat, atque perforarat, ut uni sibi aperiretur; occluderetur autem cæteris.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Surdos fecit audire, & mutos loqui.* verſ. 37.

AN QVI SVRDVS, IDEM ET MVTVS? Et quis linguâ? Quis animo mutus? Quis ex virtute? Quis ex vitio?

MISELLUS ille, qui Chriſto, ceu communi animorum, corporúmque medico, oblatus eſt, ſurdus fuit ſimul, ac mutus: Et hinc generatim moveri poteſt quæſtio, an qui ſurdus, idem & mutus? Et è converſo, qui mutus idem & ſurdus.

Muti varii, & unde? Ut ea controverſia in aperto ponatur, id ſtatuo: alios eſſe naturæ vitio mutos, ac ſurdos; alios Deo vindice; quoſdam à dæmone, ceu malo hoſpite; nonnullos hominis alicujus malevolentia, illatáque extrinſecus vi; denique pleroſque morbo, aut caſu, quem ſors, fortunáque tulerit.

A natura. Qui naturâ mutus eſt, is etiam & ſurdus; & contra. Ratio à nonnullis ducitur ex ipſa hominis conſtitutione: cùm idem par ſit nervorum cujus pars altera ad linguam; altera ad aures porrigatur, neceſſe eſt & huic, & illi eandem affectionem obvenire: & hoc verum eſſe poteſt, ubi à natura vitium eſt; non autem ubi à morbo: ab hoc enim infici poteſt tantùm pars altera, ſive ea ſit, quæ officio audiendi ſervit, ſive quæ organo loquendi. Et inde

A morbo, & pœna. quis à morbo ſurdus eſſe poteſt, non tamen mutus: & è converſo, mutus non ſurdus. Idem eſto judicium, ſi quis à Deo ultore, aut dæmone, aut caſu, aut illata extrinſecus vi ſurdus reddatur, aut mutus; quod exemplis firmari poteſt.

Serm 90. Ita Zacharias magni Baptiſtæ parens, quòd Angelo fidem non dediſſet, mutus illicò redditus, *quæ pœna ſigni fuit, non perfidiæ*, inquit Chryſologus; vel ſi mavis tam hujus, quàm illius: eſſe quippe potuit pœna culpæ, licèt venialis, & ſignum, argumentúmque veritatis, editíque jam ab Angelo oraculi.

A dæmone. Sic etiam à dæmone mutus quis eſſe poteſt, & is fuit à quo JESUS *erat ejiciens dæmonium, & illud*

Matth. c.17. *quidem mutum*:

Quem enim obſederit dæmon mutus, & mutum quoque efficit: ita mali hoſpitis malo vitio laborat.

Sic ab immani Tyrannorum vi, ferróque mutus eſſe poteſt unus aliquis: & ii quidem fuiſſent olim magni Præſules, & Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi, quibus Wandalorum Rex per ſummam immanitatem linguas juſſit reſecari: verùm etiam elingues, loquaces fecit vis altior: auditi quippe & loqui, & tonare è pulpito, & oracula fundere, non ſine miraculo, & audientium ſtupore, quem auxit ex iis unus, qui quamdiu vitæ, morúmque innocentiam tenuit, etiam ſine lingua diſertus fuit: at ubi ſe infami libidine fœdavit, & elinquis ut erat, & mutus fuit ut piſcis; recto videlicet omnipotentis

In Dialog. judicio, inquit D. Gregorius: *Ut qui carnis continentiam ſervare neglexerat, ſine lingua carnea non haberet verba veritatis.*

Sed de his pro inſtituto ſatis: deſcendo ad alterum, quod facit ad mores, & quæro, quis animo & ſua voluntate ſit mutus? Quis ex virtute, quis ex vitio?

Muti ex virtute. Servator optimus ſilentii in paucis amans, tum in omni vitâ, tum vel maximè in extremo ejus limine; ut mutus eſſe, ac videri poſſet, & hoc ex ſumma Patientia, Prudentia ſumma, Charitate ſumma, ſumma Magnanimitate, quæ ſeſe tuebatur teſtimonio bonæ conſcientiæ, & ad crimina ſibi objecta profundùm tacebat: *Accuſatur Dominus & tacet, & benè tacet, qui defenſione non indiget; ambiunt defendi, qui timent vinci*, inquiebat D. Ambroſius.

Hoc Chriſti ſilentium dum præſaga mente videt, ſuſpicitque Propheta, hæc de illo: *Fili hominis ecce data ſunt ſuper te vincula, & ligabunt te in iis, & non egredieris de medio eorum, & linguam tuam adhærere facium palato tuo, & eris mutus.* Ezech. c.3.

Hujus exemplo etiam probè mutus fuit S. Norbertus, cui cùm adoleſcens petulantior poſt immania ſcommata, etiam lutum in faciem injeciſſet, modeſtè deterſit, & ſiluit; ad cætera diſertus, ad injurias vindicandas mutus.

Sic & mutus fuit S. Petrus Martyr, qui Monaſterio pulſus, quòd Virgines in cellam admiſiſſet, altum & ipſe ſiluit, ut mutus, nec calumniam diluit, aperiens quod erat cœli indulgentis beneficium; erant enim Virgines illæ divæ è cœleſti gynæceo.

Sic & muta fuit S. Liduina, cui in faciem cùm ſpuiſſet impudens unus aliquis, tacuit, & injuriam profundo ſilentio preſſit; ſic & alii plerique ex inſigni patientia, ac virtute muti; quales olim fuêre in Scythia, ſub Abbate Amos religioſi quingenti ſupra mille; quorum aſceteria, cellíſque ſi obiiſſes, credidiſſes eſſe te in vaſta ſolitudine, & eremo ſilenti. Talis etiam fuit in Brabantia unus, qui cùm totos ſedecim annos ſilentium tenuiſſet, flammaque Monaſterium vaſtaret immani incendio, illud tandem ex charitate ſolvit, & hæc tantùm pancis: *Flamma ſiſte, ſiſte flamma.* Et verò ſtitit Deo probante vim tam diuturni ſilentii, & religioſi propè muti ſanctitatem etiam prodigio teſtante.

Talis denique miles unus aliquis omnibus propè flagitiis infamis, cui uxor (ut erat optima) cum ſuaſiſſet ut in Sacerdotis aures peccata deponeret: paruit quidem: at alio mox, enormique flagitio ſeſe contaminavit; cùm enim graviſſima quæque ſcelera recenſuiſſet, vel quod iis abſolvendo non eſſet, vel quod à Pontifice ſanus, quàm à ſe remitti exiſtimaret Sacerdos, ad eum remiſit, cui indignabundus miles ac furens ſtricto ferro caput abſcidit, eóque ſcelere gravior ad uxorem redit, patratumque à ſe facinus aperuit.

Hic primùm illa in gemitus, dein in lacrymas effundi, denique in ſaniora conſilia: urſit enim ut Epiſcopo, viro in paucis pio, ac prudenti peccata omnia pro Confeſſione exponeret: fecit ille, auditúſque eſt perbenignè, tum rogatus an pœnam aliquam tot ſceleribus debitam ſubire vellet. Exhorruit ille vel ad ſolum pœnæ nomen; & ait: *Duram, & diuturnam pœnitentiam facere nec poſſum, nec volo.*

Tunc pius, ac prudens Præſul, Primùm ex eo quærit an aliqua ſubire jejunia? negat ille: tum an eleemoſynas facere? & has refugit, tum an peregrinationes obire? & has refugit, etiam dici unius: denique an ſaltem vel una nocte ſilentium tenere? tum ille: Si hoc ad pœnam, & ad veniam ſatis, omninò,

omninò, ſervabo lubens. Ad hæc pro illo apud Deum ſpondere Præſul, templo includere, moneréque quidquid acciderit, ne ſilentium rumpat. Ubi id in ſe recepit miles, abit Epiſcopus. Interea ex erebo in altioris militiæ tyronem erumpunt mali dæmones accepta in eam ſcenam alia atque alia veſte, & quidem primò mercatorum merces offerunt varii generis, utque eligat, inſtant. Altum ille ſilet: tum amicorum, ac propinquorum formas induunt, & de multis pro amicitia rogant. Etiam & tunc ſilet. Tum arguunt inſignis dementiæ, ut qui credat profundo unius noctis ſilentio tot crimina deleri poſſe. Et hic etiam ſilet. Tum apparent in nativa quaſi ſpecie, truci, efferа, immani, ut inde terror, horrórque, cui accumulant & verba, & minas, & ipſa agglomerant flagella, & hæc inter etiam ſilet. Denique poſita illa infernali larva, ipſius Epiſcopi vultum induunt, ejúſque fidem, patientiam, conſtantiamque mirè prædicant. Et hic etiam ſilet, quia non aſpicit Crucem, qua cum rediturum ſe Præſul ſpoponderat.

Henriquez. l. 2 Faſcic. Ciſter. D. 10. c. 12.

In ea cum dæmonibus lucta nox abiit, & à tenebris lux orbi reddita, & militi noſtro etiam amica magni Præſulis præſentia prælata ſcilicet de more Cruce. Hanc ut aſpexit ſibi quodammodo redditus & voci, rem totam expoſuit, & ad omnia facilem ſe, ac pronum Epiſcopo obtulit.

Ecce ut utile ſilentium, ut Deo ſuperiſque gratum, ut pœnitenti animæ ſalutare: Et certè quidni ſalutare?

Silentium dixêre Veteres *ſomnum mentis*, vel ex eo, quòd dum tacet lingua, quieſcit animus ac reficitur, ut ſomno corpus aſſolet. Sed ne longiùs. Hi quos vidimus ex virtute muti; videamus qui ex vitio.

Muti ex vitio.

Ii imprimis videntur mihi, quibus cùm ex officio incumbat & loqui, & declamare, & detonare in ſontes, ac ſceleratos, ſilent tamen ut *canes muti, non valentes latrare.*

Iſai. c. 56.

Ii ſunt mali Præſules, quos Divina Providentia gregi ſuo præfecit, ut ab eo lupos arceant quà latratu, quà dente: Et tamen proh dolor! diſſimulant, connivent, & profundùm ſilent ut muti.

In Concione.

Mutos naturâ canes alere dicitur Hiſpaniola: at mutos ex voluntate, vitióque permultos alit Eccleſia, opimiſque reditibus ſuſtentat ingenti ſanè animarum diſpendio. Has enim monendo, increpandoque ſervare debuerant; diſſimulando, tacendóque perdunt: ſimiles fortè cani Petuſino, qui ut Domini res ſervaret, furibus allatrabat; at impudicos Dominæ amaſios ſine latratu intempeſta nocte admittebat, cui Poëta non ignobilis carmen hoc inſcripſit:

Latrabam ad fures; ſed amantum furta tacebam:
Ut placui Domino, ſic placui Dominæ.

Huic, inquam, ſimiles ſunt plerique; ſi fortunas proximi quis petit, ſi peculiolam furto impetit; allatrant illicò, & tonant: at ſi animas perdit alius, ſi in pudicitiam involat, ſi illam violat, ac proſtituit; ſilent ut muti: optandum eſſet ut in eos caderet ea Chriſti beneficentia, qua *ſurdos fecit audire, & mutos loqui.*

Sed & aliud mutorum genus: eorum ſcilicet, qui peccata reticent, nec ingenua, ſinceráque confeſſione diluunt. Ad hanc olim proditorem Judam evocavit Chriſtus blanda illa voce: *Iuda oſculo Filium hominis tradis?* Nomen illi ſuum ad oculos poſuit *admonens per ipſum appellationem; Iudas* enim *confeſſio* interpretatur; quaſi diceret, *Intelligo, accepiſti argentum, confitere citò.*

In Confeſſione.

Cyril. Hieroſ. Catech. 13.

At non eſt confeſſus infamis proditor; ad pœnitentiam ire noluit, *Ivit ad laqueum*, & eo ſe ſuſpendit; Ita *quem pœnitentia revocare ad Dominum debuit, deſperatio traxit ad laqueum*, inquit S. Leo. Et *Laqueo ſe ſuſpendit, qui avaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat*, ut disertè notat Drogo. Non ſuſpendiſſet, ſi memor fuiſſet nominis ſui, & ingenuæ confeſſionis. Ut in hanc venias, ô peccator, ut eſſe deſinas, qui fuiſti, mutus: linguámque ut ſolvas, velim attendas pauca: & quidem primùm illud tibi dicas in aurem: *Peccavi.* Quid inde? hoc eſt vulnus accepi, & lethale quidem: Quidni ergo illud aperiam, ut curetur à *Revelanda ſunt peccata: ſicut pauperes ulcera monſtrant ſua tranſeuntibus*, inquiebat Hugo Carenſis. Revelanda dico, meliori ſorte: nam pauperes ut revelent, ut detegant, ut clamitent, non ideò curantur: imò ſæpius, nec modicum quid pecuniolæ extorquent. At verò tu, ſi animæ vulnus retegis, & ſanatis illicò, & pro ſtype è cœli gazis gratiam accipis, & ingentes virtutum theſauros. Ecce quis à Confeſſione proventus; ſed & aliud ex ea bonum attende, & dic iterum tibi:

Serm. 9. de Paſſione.

De Sermon. Dom. Paſſ.

In cap. 10. proœm.

Peccavi: quid inde? hoc eſt, venenum ebibi, & quidem antiqui ſerpentis. Quidni ergo illud evomam? *Veniamus ad Confeſſionem, qua venenum antiqui ſerpentis evomitur*, inquit Goffridus Abbas; quo authore, dic agè rurſum tibi.

Serm. 5. de Reſur.

Peccavi: hoc eſt, dæmonem indui; Quidni ergo ſtatim exuam? *Voluntarius* enim *dæmon peccatum eſt*, inquit D. Chryſoſtomus: quo ſuaſore agedùm dic tibi.

Peccavi: hoc eſt, animam pollui, Dei imaginem fœdavi, in ſummam turpitudinem incidi: Quidni ergo & illam deponam? Et pulchritudinem aſſumam, quæ eſt Filiorum Dei? *Confeſſio* enim, *& pulchritudo in conſpectu ejus.*

Pſal. 95. v. 6.

Hæc Regius Vates ſua doctus experientia; dixit ille quondam: *Peccavi Domino*: Ecce *Confeſſio*; & ſtatim audit à Propheta Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum à te.* En *pulchritudo*, quæ à Confeſſione, ceu fonte fluit, ceu parente naſcitur. Hanc dum animo ſpeculatur D. Auguſtinus, ejúſque illecebris capitur, hæc ſuavi eloquentia ad peccatorem: *Pulchritudinem amas? Vis eſſe pulcher? Confitere; non dixit pulchritudo, & Confeſſio: ſed Confeſſio, & pulchritudo. Fœdus eras, confitere ut ſis pulcher. Peccator eras, confitere ut ſis juſtus.* Hæc ubi dixit, tum converſo ad mortales omnes ſermone: *Si*, inquit, *amemus pulchritudinem, priùs eligamus Confeſſionem, ut ſequatur pulchritudo.*

In Pſal. 95.

Et hanc, & illam amare nos voluit JESUS, qui *benè omnia fecit*, qui *ſurdos fecit audire, & mutos loqui*; utque loquerentur non ſolùm ad corporum; ſed etiam ad animorum curationem, dum inter mortales ageret vi altiore uſus, & miraculo; ubi verò inter mortales eſſe deſiit, clavium beneficio, ut iis ſcilicet aperirentur ora mutorum. Sed proh dolor! eſt illud ingens malùm, quod ſubinde etiam his clavibus ſeſe implicet dæmon, ut mutum faciat, ſervétque peccatorem.

Dicitur aliquando apud Græcos ſerpens ſeſe implicuiſſe clavibus civitatis, quod omnibus peſſimi ominis fuit, & præſagium imminentis calamitatis: & majus malum, major omninò calamitas, & ſignum perdendæ æternùm animæ, cùm perverſus dæmon, & ſtygius ſerpens ſeſe implicat Confeſſionis clavibus, impeditque ne os aperiatur ejiciendo peccati veneno.

Impedit, inquam, tum per ſeipſum, tum excitato inutili, damnandóque pudore.

Legimus in vitis SS. Patrum, cùm Sacerdos energumeno ſolitos Eccleſiæ Exorciſmos adhiberet, dæmonémque pellere vellet ex uſurpato per nefas hoſpitio, ex illo priùs quæſiviſſe, quod ei foret nomen, & hæc audiſſe:

Tres ſumus, qui miſellum hominis corpus occupamus: primus ego nuncupor *Claudens cor*; alter *Claudens os*; poſtremus *Claudens burſam.*

Ecce tria trium cacodæmonum nomina, quibus etiam

etiam officia designantur: Primus, cor omnium affectionum sedem claudit, ne Divino pateat amori: Secundus, os claudit, ne se explicet ingenua integráque scelerum Confessione: Tertius etiam bursam obserat, ne ex ea etiam nummus unus in egenos effluat. Ne porrò sic malè obstruat, illicò pellendus: primùm è cordis officina; dein etiam è labiis, orisque veluti palatio, quod importunè, & nefariè invasit. Sed etiam depellendus præposterus, insanúsque pudor, qui linguam illigat, & ora claudit non sine arte, dolóque stygii serpentis.

Abbas Pitynon, nominatus inter suos à vitæ, morúmque innocentia, dicere solebat, singulis animi affectionibus malè compositis, singulos præsidere dæmones; unus iræ impotenti, tristitiæ alter, alius duluri.

Perversi sanè perversarum passionum præsides, quos si audias, & ipse perverteris: vis non perverti, nec illorum jugum pati? Excute jugum passionis, & dæmonem, qui ei præsidet eadem opera excusseris: *Qualem* enim *quis superarit passionem, ejus expellit, & dæmonem*, inquit S. Abbas.

Prostratus ad Confessarii pedes accedis, in ejus aurem deponere paras quidquid sceleris animum gravat: benè habet; sed ecce dum moliris istud, illicò mentem occupat insanus pudor, in frontem, in os, in linguam ascendit, impeditque ne conscientiæ latebras excutias; ne latens pudendum crimen reveles: nimirum hoc agit infelix dæmon, qui isti pudori præsidet; hunc si sapis abjice, & simul illum abjeceris: utque abjicias, amabo te, quisquis eò miseriæ venisti peccator, audi in quas calamitates judice Augustino devolveris, si pudori cedens peccatum in confessione retices:

In Psal. 66. *Si non confessus lates*, inquit, *non confessus damnaberis. Damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus. Times confiteri? non confitendo, non potes esse occultus.*

Quia velis nolis peccati vulnus se prodet, & quidem malo tuo, in quo tibi eveniet, quod timidæ virgini, quæ fortè in parte corporis secretiore ulcus occultavit, nec ausa est pandere, ne Chirurgi manum admittere cogeretur.

Ut enim in illa tacitum ulcus putrescit, fitque cancer, qui tandem ferrum pati debet, aut ignem, ni mortem pati malit. Ubi porrò eò ventum est, ubi in oculis est chirurgus, ubi ferrum acuit, aut ignem accendit; horret, gemit, ejulat, lacrymatur puella; & hoc quia tacuit: multóque ampliùs ubi, aut ferrum altè imprimi, aut ignem admoveri viderit: tum demum expallescit tota, fremit, resilit, reluctatur, & exanimis concidit; & hoc quia tacuit. O præposteram verecundiam! ô damnandum pudorem! Quod illi puellæ: hoc tibi eveniet misella animula.

Quippe peccatum ulcus est: in conscientia, seu parte secretiore, latet; illud celas pudore victus. quid inde? putrescet, fiet cancer, doloresque creabit, quibus nulla dies, ne mortis quidem, aut æternitatis, finem imponet; & hoc quia tacuisti: *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die*; inquiebat Propheta: qui & hoc vitio visus est aliquando laborasse. Psal. 31. v. 3.

At quomodo tacuit? quomodo & clamavit? *Tacuit unde proficeret, non tacuit unde deficeret: tacuit Confessionem, clamavit præsumptionem: tacuit peccata, sed clamavit merita sua: si clamaret peccata sua, & taceret merita sua, innovarentur ossa ejus; modò autem remarsit in vetustate, quia noluit confitendo amare novitatem.*

****

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.



TRIA hic proponit Sacer Historicus: Primùm illud CHRISTI ad Discipulos: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*; Beati enimverò, quibus datum est Dei Filium, Deum hominem usurpare oculis. Est enim felicitas quædam oculorum si incurrant in objecta cœli luce, gratiáque dignissima. Uti è contrariò infelicitas quædam, si cogantur ea intueri, quæ Sole, aspectúque indignissima. Luc. 10.

Ita Maris Chalcedonis Episcopus, & beatum se prædicavit, & Deo gratias egit, quòd cæcus esset, ne Iulianum à Fide apostatam aspicere cogeretur. Sozom. l. 5. c. 4.

Ita Pigmenius & ipse cæcus cùm duce puero stipem Romæ peteret, & à Iuliano audisset petulans illud: *Gratias Diis, deabúsque meis, quod te video*; reddidit acutum illud, ac pium: *Gloria Domino meo IESU-CHRISTO Nazareno crucifixo, quia te non video.*

Nimirum viris probis cujusdam infelicitatis esse videtur ea monstra sub oculos habere; uti contra summæ felicitatis fuit Apostolis Messiam Orbis reparatorem oculis fidelibus admisisse.

Alterum quod subjicit Evangelista, est quæstio, quàm intulit Legisperitus unus aliquis, quod scilicet esset summum mandatum in Lege? Ad hanc à Servatore ire jussus, audiit esse Dei amorem: in ea quippè legit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut teipsum.* v. 27.

Et hinc alteram movit quæstionem: Ecquis esset proximus? nam & hoc erat in lite. Scribæ quippe solos Iudæos; imò justos solos, & Legis observantes habebant pro proximis: Gentiles autem, & Legis prævaricatores non reponebant inter proximos, & ullo amore dignos. Hunc errorem ut corrigeret CHRISTUS subjicit parabolam sumptam à rebus, quæ eò loci, & temporis sæpiùs acciderant: vel certè, si mavis veram historiam, & fortè etiam recentioris memoriæ; de misello homine, qui descendens ab Hierusalem in Iericho per locum latrociniis infamem, ac cædibus cruentum, qui inde Hebraïcè dicebatur *Adommim* (id est *rubens à sanguine*) inciderat in latrones, à quibus spoliatus, saucius, & semianimis relictus jacebat in via.

Accidit autem ut eàdem transiret Sacerdos, & eo viso præteriret; similiter & Levita, homines scilicet ferrei cordis.

Denique & Samaritanus, qui ad triste spectaculum: Primò hæsit; Dein propiùs accessit; Tum miseratione permotus jacentem erexit, alligavit vulnera, oleum, ac vinum infudit, in jumentum imposuit, duxit in proximum diversorium, curam illius egit, cibo, potu, igne, aliisque opportunis remediis recreavit; Denique denarium protulit, hospiti dedit, ut illius curam haberet singularem. Ubi hæc caritatis humanæ officia protulit Magister optimus, tum ex Legisperito, veluti Discipulo, quæsivit, quis eorum trium videretur proximus illi misero, qui incurrerat in latrones? cúmque respondisset, indubiè eum esse, qui illius erat misertus, adjecit: *Vade & tu fac similiter.* Et hoc fuit tertium punctum, quod fusè deduxit Evangelista, cui hæc addo

EX D. THOMA.

Serm. 2. IN hac Parabola tria sunt, inquit S. Doctor: Primò, *Est multiplex peccatorum miseria; quatuor* enim *miserias incurrunt homines, cùm peccant.* 1. *Cœlesti gloria privantur;* descendunt enim ab cœlesti Jerusalem, cui mox inscribendi erant in Jericho, id est in desertum mutabilis, atque ærumnosæ vitæ. 2. *Dæmonibus subjiciuntur*, dum incidunt in latrones, Glossa. hoc est, *in potestatem dæmoniorum.* 3. *Bonis gratuitis exspoliantur;* nam & *eum exspoliaverunt.* 4. *In bonis naturalibus vulnerantur; eum* enim *vulneraverunt*; tot quippe vulnera, quot peccata.

Secundò, *Est multiplex Christi in peccatorem misericordia.* 1. *Fuit humanæ naturæ susceptio.* Samaritanus enim hic, est Christus, qui propter nos homo factus, iter vitæ præsentis arripuit. 2. *Sacramentorum ad salutem peccatorum institutio.* His alligat vulnera eorum in Baptismo & Pœnitentia. 3. *Gratia Spiritus sancti infusio; Infudit* enim *oleum*, id est, Charisma Sancti Spiritus. 4. *Amarissimæ Passionis in se pro peccatore susceptio; Imposuit* enim *in Iumentum suum.* Jumentum Caro Christi, in qua sauciatum ponit, dum ejus peccata in corpore suo portat super Lignum.

Tertiò, *Est imitandi regula*, quæ nobis datur; *quatuor* enim *misericordias debemus pœnitentibus exhibere.* 1. *Supportatione; Alter alterius onera portate.* 2. *Oratione; Orate pro invicem ut salvemini.* 3. *Instructione; Instruite in Spiritu lenitatis.* 4. *Veniæ donatione; Si peccaverit in me frater meus, dimittam ei.* Galat. 6. Ioan. 5. Gal. 6. Matth. 18.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 12. post Pent. Ser. 1. DIVUS BONAVENTURA, tria puncta more suo, id est, moraliter, ac mysticè deducit:

Primùm ad illa verba: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; Beati, qui corporaliter; beatiores, qui spiritualiter; beatissimi, qui æternaliter vident Christum.*

Hæc ubi pronuntiavit, tum subjicit etiam illud: *Non solùm Christus; sed & alia nobis videnda sunt ut beati simus; videndum enim nobis quid dolendum, quid agendum, quid spernendum, quid recipiendum.* Quæ porrò sint illa paucis explicat.

Vide, inquit, *peccata dolenda, bona agenda, terrena, spernenda, æterna recipienda.*

Ab his transit S. Doctor ad præceptum, quod mortalibus omnibus impositum vel natura duce, vel dictante gratia, & amabili Dei Providentia, quæ illud etiam in Tabulas, & Leges emanare voluit.

Serm. 2. Est autem illud ejusmodi: *Diliges Dominum Deum tuum, sicut diligit filius patrem, amicus amicum, sponsus sponsam, vivens vitam: nimirum ipse nobis Pater Creatione, Amicus Redemptione, Sponsus Amore, Vita Glorificatione.*

Pater est, quia te *Creando genuit*, & quidem *ad imaginem suam*: vide ne in te cadat illud: *Deum, qui te genuit, dereliquisti.* Deut. 32.

Amicus est, qui pro ea, qua in te fuit benevolentia mortem elegit, & quidem Crucis, ne in Cruce penderes ipse, apud Æternum Patrem reus furti, id est animæ tuæ, quam ei per summum scelus es suffuratus: excors es, & mirum quantum impudens, si dum Amicus tuus, id est Christus, in patibulo furtum tuum eluit; tu adhuc etiam sub illo positus furaris, & furto animam tuam tot nominibus Deo debitam eripis.

Sponsus est, tu sponsa: illius ergo amore langue: *Desideremus, amemus, flagitemus si Sponsæ simus*, inquit Augustinus.

Vita

Vita est, & quidem *Spiritalis, atque æterna; si diligis vitam temporalem plus debes diligere Christum vitam æternalem: stultum est, qui dat vitam suam pro obolo; stultior, qui vitam æternam pro aliquo transitorio*, inquit Seraphicus Doctor; qui deinde fusiùs exponit historiam illam, aut parabolam, de qua Christus:

Serm. 4. *Homo quidam*, id est Adam, primus generis nostri parens: *Descendit cùm peccavit, quia peccare idem est quod deficere, seu descendere.*

Descendit, inquam, *ab Ierusalem*, id est *à visione pacis*, seu *innocentiæ statu, in quo summa concordia carnem inter, & spiritum*: Rationem inter, & Deum.

In Iericho, id est *in defectum, Iericho* quippe *Lunam* significat, quæ defectionem sui luminis patitur: & homo lapsus à peccato suo *triplicem incurrit defectum*. Primò, *Ignorantiæ ad cognoscendum verum*. Secundò, *Ignaviæ ad operandum bonum*. Tertiò, *inconstantiæ ad superandum malum*.

Ubi sic descendit, sic defecit; *incidit* deinde *in latrones*, id est, dæmones, *qui intulerunt ei tria damna. Nam primò despoliaverunt eum gratuitis virtutibus*. 2. *Vulneraverunt eum in potentiis naturalibus*. 3. *Debilitaverunt eum in potentiarum viribus*. O grande peccati malum!

O grandia ab illo vulnera! sed ò magnum à Samaritano bonum! ô potentia ab illo remedia!

Appropians enim *alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum; & ponens in iumentum duxit in stabulum. Samaritanus*, qui *custos interpretatur*, *Dominus est*. *Appropiat* ille, dum *fit homo*, *& vita præsentis iter arripit*.

Alligat vulnera, dum contra Originalis, & Actualis peccati vulnera Sacramentorum remedia instituit.

Infundit oleum, id est, *Charisma Sancti Spiritus*: *Et vinum*, id est, *Calicem suæ Passionis*.

Ponit deinde *in jumentum corporis sui cùm peccata nostra portat in corpore suo super lignum*.

Tum etiam *ducit in stabulum Ecclesiæ*.

Denique, *altera die*, id est, *post Resurrectionem suam quando amplior æternæ lucis splendor, quàm ante Passionem effulsit in Mundo, profert duos denarios*, id est, *duo Testamenta Apostolis, quibus & sensum aperit, ut intelligerent Scripturas.*

Ecce quæ homini lapso, & à peccatis saucio remedia à Samaritano, id est Christo Salvatore: Cessent proinde, cessent illæ Isaiæ Vatis querelæ:

Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo: Cessent, inquam, antiquæ illæ querelæ, quia jam à Christo *vulnus Concupiscentiæ, livor Invidiæ, plaga Superbiæ; imò & omnium peccatorum vulnera, sanata sunt ligaturâ observantiæ mandatorum, Oleo misericordiæ egenorum, Vino pœnitentiæ peccatorum.* Cap. 1. Serm. 3.

Et hæc est altera D. Bonaventuræ interpretatio, qui per oleum effusum in egenos misericordiam intelligit, itéque monet: *Si coronam Regni vis habere in Cœlo, Oleo misericordiæ ungi debes in mundo.*

Per Vinum autem pœnitentiam, & compunctionem; de qua & illud subdit:

Hoc Vinum sanat, lavat, inebriat. Sanat cùm Gratiam infundit; Lavat cùm vestem conversationis expurgat; Inebriat cùm facit denudari turpitudinem in Confessione.

Sicque ab illo vino *habetur animæ sanitas, vitæ puritas, gratiæ ebrietas.*

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.*

Lucæ c. 10. vers. 27.

AN AMOR DEI SUMMUS SIT IN PRÆCEPTO?

Quod primum Mandatum? IUDÆOS inter sua lis erat, & controversia, de quo esset summum, ac primum mandatum in lege?

Pharisæi censebant esse de Sacrificiis, & victimis immortali Deo offerendis; quibus colitur primum, ac summum Ens. Hinc filiis unum illud severè præcipiebant, ut parentibus dicerent *Corban*, hoc est munus, quo te alere destinabam, vovi Deo, illi ergo reddendum, non tibi. Hæc Pharisæi ex suo genio, & sordibus avaræ mentis, qua in sua commoda, munera & oblationes derivabant specie pietatis, ac religionis, primique in lege Præcepti.

Ex illa persuasione, quæ à Pharisæis manarat etiam in vulgus, fluxit illa Legisperiti ad Christum quæstio: *Quod est mandatum magnum in Lege?* ad quam sic Christus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Dei amor summus. Et hinc movetur alia quæstio. An Amor Dei summus sit in præcepto?

Tract. de dilig. Deo. Divus Bernardus, qui totus in flammas abiit Divini amoris, hanc de amando Deo regulam posuit: *Modus diligendi Deum, est diligere sine modo.*

Sed hic obstrepit Calvinus, reclamatque, & istud præceptum non modò factu arduum, ac difficilè; sed & impossibile clamitat. Ecquis enim summo Deum amore prosequatur? Prosequetur enimverò quisquis & nomine, & re etiam ipsa Christianus esse volet, & quisquis pacata apud se mente expenderit, quis amor cadat sub præceptum, & quis censendus hic sit summus? Quod ut in aperto sit, & clara luce.

Id statuo, non præcipi amorem Dei summum extensivè, aut intensivè; sed comparativè, finaliter, & appretiativè: quod paucis exponam.

Erit, ô anima, in te amor Dei, isque *Summus comparativè*, si nullam partem amoris tui concedas idolo, si nihil Deo tuo componas, & compares, quasi æquo jure certet in amore. Quis ille?

Erit *Summus finaliter*, si nullum alium tibi ut finem ultimum, ut Summum bonum proponas; sed Deum unum, qui ex vero, & finis omnium ultimus est, & Summum bonum.

Erit denique *summus appretiativè*, si nihil ut Deum tuum æstimes, non opes, non famam, non honores, non vitam ipsam: hæc si feceris, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Deuter. c. 6. v. 5.

Sed hinc exurgit alia quæstio, quid innuant hæc tria, quibus exprimitur Summus Dei amor? & quod inter ea sit discrimen?

Sunt qui velint nullum esse; sed unum, idemque tertiò repeti ad energiam. In hac opinione idem erit Deum amare ex toto corde, tota anima, tota mente, ac fortitudine. Et quantum?

Alii tamen aliter censent, & hæc inter aliquod inveniunt discrimen, quo sanè commendetur amor Dei, isque Summus.

Albanus hæc tria refert ad tres mentis humanæ potentias, in quibus expressa quædam Imago SS. TRINITATIS, quam amare jubemur; sic Deum amet homo, *Ex toto corde*, hoc est, *memoria*, quæ ad Patrem Æternum refertur: *Ex tota animâ*, hoc est, *intellectu*, qui ad Filium: *Ex tota fortitudine*, hoc est, *voluntate*, quæ spectat ad Spiritum sanctum.

Lib. 1. de Doct. Christ. c. 22. D. Augustinus, cor refert ad cogitationes; animam ad vitam; mentem ad intellectum: quasi nulla pars nostri ab amore Dei vacare debeat: *Dilectio Dei*, inquit, *nullum à se rivulum extra se duci patitur cujus derivatione minuatur*. D. Bernardus ut in aliis Scripturæ locis; sic & in hoc piè, atque ingeniosè ludit.

Diliges, inquit, *Deum ex toto corde, id est dulciter, ne illectus: Ex tota anima, id est prudenter, ne deceptus: Ex tota fortitudine, id est fortiter, ne oppressus ab amore Domini avertaris.*

Amoris exempla. Sic amavit olim S. Mechtildis; cùm enim interesset divinis Officiis, audissetque tertiò repetitum illud Christi ad discipulum: *Petre amas me plus his?* subitò discessit à seipsa, & in eo piæ mentis excessu sensit se quoque à Deo interrogari, & quidem tertiò:

Ex lib. 5 grat. spirit. c. 30. Primò, Essetne aliquid in hoc Orbe aspectabili, cujus amore caperetur, & quod Dei sui causa non illicò abjiceret? subjunxit Virgo: *Domine tu nosti, quia amo te plus his.*

Secundò, Essetne labor, dolorve in omni vita, quem amore Dei sui non lubens exciperet? respondit etiam: *Domine tu nosti, quia amo te plus his.*

Tertiò, Quid si & labor immodicus, & dolor acerrimus; quid si gravia, acerba, & immania quàmvis supplicia: an iis ferendis par foret quoque tuus amor: subjecit illa rursum: *Domine tu scis, quia amo te plus his.*

Ecce ut Deum *dulciter* amavit, ut *prudenter*, ut *fortiter*.

Dulciter, & *prudenter*: quia nec ullis hujus vitæ bonis allici, nec ab iis decipi se passa est.

Fortiter: quia nullis malis opprimi, aut à Dei sui amore deterreri unquam potuit.

Et is debet esse noster amor, si modò ii sumus, qui esse volumus Christiani. Si nobis illud scriptum credimus Antiquæ, imò Novæ Legis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Sic ex toto corde suo dilexit S. Lutgardis, quanquam non tam ex suo, quàm Christi.

Juvat illius meminisse temporis, quo ei se visendum obtulit Servator optimus, & hæc etiam illi: *Quid vis Lutgardis?* cui illa: *Cor tuum*; ad quam deinde Dominus: *Quin ego potius cor tuum*; cui illicò Lutgardis: *Sit ita Domine*. Et ecce tibi nova, ac prodigiosa; sed amabilis, sed admirabilis permutatio cordium, & ea quidem, ut Christo Lutgardis cor, & Lutgardi cor Christi inesse videretur. Et hinc reciproci amoris æstus, hinc amoris ignes, atque incendia, cùm & Christum ipso Christi corde amaret Lutgardis, & Christus ipso Lutgardis corde redamaret.

Henriquez. in Liliis Cister. Dist. 10. c. 2.

Mira profectò, sed optanda metamorphosis, quam utinam & ipsi aliquomodo fateremur, ut Christum, ut Deum omnis boni fontem amaremus, & quidem *ex toto corde*, cujus dilectionis hæ tibi leges.

Amoris Leges. I. *Prima, sit unius Dei.* Rogatus olim B. Ægidius D. Francisci comes individuus, quæ ad culmen sanctitatis esset via? respondit: *Una uni*; hoc est, una dilectio uni Deo concedatur.

II. *Secunda, sit purus, & putus amor*, qui in Deo suo sistat, & extra illum ambiat nihil. Is fuit D. Bernardi, qui hæc de seipso: *Amo, quia amo*; nec aliud amando quæro, præter Deum, quem amo.

Ita quærere docuit pia quædam fœmina, & meritis, & ætate gravis, cujus meminit Jonvilius in vita Sancti Ludovici Galliæ Regis, digna res, quæ stylo notetur.

In Palestinam abierat Sacri belli causa Rex Ludovicus, & nomine, & re Christianissimus. Regem sequebatur, & aulam è Divi Dominici familia religiosus, vir in paucis pius, cui fortè in plateis occurrit anus vetula, ac decrepita; quæ una manu foculum, altera phialam aqua plenam gestabat: ex illa quæsivit cur ista manibus præferret; cui illa, cur inquis, mi Pater? paucis excipe; Vides huncignem? illo ego Paradisum incendere velim, & in cineres redigere: Viden' hanc aquam? illâ inferni flammas, atque incendia paro extinguere, eo certè consilio, ut benè tandem mortales Deum sui unius causa, & amare, & quærere discant; cùm liquidò adverterint, neque Paradisum esse tanquam præmiorum sedem; neque infernum supplicii, pœnarumque locum. Hæc illa non sine amabili stupore, quo primùm percelli vir religiosus, deinde Rex, aulaque universa.

Tertia, sit Patiens, & imprimis amans laboris, dolorisque, si & hunc, & illum Dei amor exigat: is fuit in Raymondo Lullo, viro notæ sanctitatis, cui cùm sese videndum dedisset Christus, quæsisset que, nossetne quid esset Dei amor? Subjecit modestè: si minus novi quid sit amor; at probè scio quid sit patientia, quæ comes est amoris; lubens enim Dei patitur causa, quisquis amat. III.

Quarta, finem modumque nesciat, qui in te est Dei amor: ut enim disertè D. Dionysius ab Areopago: *Amor vivit excessibus.* Iis olim vixit D. Augustinus, & qui in eo spirabat Dei amor. Argumento sit unum illud, quod olim in piæ mentis, atque orationis excessu dicitur ab illo prolatum: IV.

Domine, exultat in te anima mea dum cogitat quod tu sis Deus noster; quare si per impossibile fieri posset ut Augustinus esset Deus, & tu esses Augustinus, omninò vellem ut tu esses Deus, non Augustinus.

Hæc sanctus Præsul æstu quodam amoris vehementiore: hæc, aliaque istis similia magnæ mentes, illustres animæ, quibus unica cura fuit, ut Deum toto corde diligerent.

Ita dilexit S. Catharina Senensis, quæ cùm non crederet cor suum par esse posse divino amori, illud sibi evelli petiit, & aliud substitui: & verò ita factum est: & factum benè. Nam in excessu mentis visa sensisse cor sibi à Christo primùm eximi: Dein & aliud illi supponi: Denique & audire, *Ecce filia mea, habes pro corde tuo cor meum.*

Hoc in Catharina, hoc & in Christo prodigium fuit Divini amoris, quem unnam conciperent omnes: utque concipiant pauca subjiciam ad illum incitamenta. Amoris motiva.

Primum ducitur ex ipso Deo, cui debet homo, quod vas figulo, quod creatura Creatori; à quo & cor habet, & animam, mentemque trahit, cui per amorem ut reddat est necesse. I.

Secundum, quia cor illud Dei cùm sit capax, alio nullo impleri potest. *Cor parvum est* (inquit Hugo) *vix ad unius milvi refectionem sufficere potest, & totus mundus ei non sufficit*; sufficit unus Deus, quem nisi dederis, nihil sufficiet. II. Lib. 9. de Anima.

Tertium, quia Deus uti principium hominis, imò & omnium; sic etiam & finis, à quo deinde, & ad quem ire debet totus homo. III.

Quartum, quia summum bonum, & fons omnis boni, adeòque summo dignum amore; imò totus amor, ut proinde prodigio simile videri possit, ac debeat ab homine non summè amari; & hoc est ad quod hærere, stupere, lacrymari, gemereque B. Jacoponus: *Quod amor non amaretur.* IV.

Quintum inclinatio illa Divini in nos amoris, qua venit in amplexus nostros, qua Divinâ naturam cum humana uno personæ Divinæ nexu copulavit. V.

Sextum, quod jam Verbum Caro factum, totum VI.

se nobis dederit, & ipsam quanta quanta fuit humanitatem nostros in usus, nostrum in commodum impenderit; animam quippe dedit tristitiæ; corpus universum flagellis; manus, & pedes trabalibus clavis; oculos lacrymis; genas alapis; os Judæ proditori, osculóque impudenti; caput spinis; latus denique etiam emortuum atroci lanceæ.

VII. Septimum, quod Sanguinem in potum, Corpus in cibum obtulerit, etiam ad annos, & sæcula, ad extrema usque perituri mundi confinia.

Et hæc una cogitatio è corde amorem, è pectore suspiria, ex oculis lacrymas elicere debet, futuras testes, vel amoris, vel etiam doloris, quòd JESUS, quòd Deus, qui totus amor est, non ametur; quòd totos nos, non accipiet, qui totum se dedit.

Ea certè cogitatione commota, in lacrymas abiit Margareta à Lotharingia Alanconii Ducissa, quæ secum ipsa sic aliquando loqui: In hoc Orbe aspectabili, nihil est (si Deum excipias) quod se nobis totum donet. Sol quippe, & astra modicam sui luminis portionem largiuntur, terra nos sustentat vivos, & mortuos excipit, sed exigua sui parte; Aër respirationi servit, & hauritur à nobis, sed etiam levi, fluxa, & modica sui portione. At Deus, at JESUS se toto pascit, nutrit, & satiat; & totos nos non accipiet? Accipiet enimverò; si modò ii simus, qui à naturâ, homines; qui ab intellectu, rationales; qui à Christo, gratiáque Christiani.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum.* V. 30.

QVÆ SPOLIA MISELLO ISTI HOMINI à latrunculis detracta.



SANCTI Patres in hoc uno ferè consentiunt; in eo homine, qui descendit ab Jerusalem in Jericho, exprimi imaginem aliquam primi parentis, & illius, quæ ei à peccato illata est cladis; quam Servator Optimus hac parabola, vel si mavis historia, adumbratam voluit, & quasi fidelibus oculis subjectam.

Explicatio Historiæ. Sicque homo ille Adamus fuit, & in illo genus omne nostrum.

Descendit ille ab Jerusalem (quæ mons erat, & amœnæ pacis blanda visio) hoc est Paradisi sede, ac deliciis, è summo Divinæ amicitiæ, gratiæque gradu; descendit, inquam, in Jericho, in sterilem, amaram, insalubrem, inconstantem peccati regionem: cujus symbolum est *Iericho*, quod *Lunam* significat. Et hoc primum, ingensque malum; quod deinde secutum alterum. Incidit enim in latrones, hoc est, dæmones, qui eum spoliaverunt veste, omníque ornatu Justitiæ originalis, Gratiæ, ac Charitatis. Tum etiam gravia illi inflixêre vulnera, quibus & anima, & omnes illius potentiæ, appetitúsque debilitati, ac propè fracti. Sacerdos, qui viso illo pertransit, nec opem afflicto tulit, est Lex Antiqua. Levita Prophetæ, qui nec ipsi medelam vulneri attulerunt. Samaritanus, qui propiùs accessit, Christus fuit Deus homo. Jumentum, illius Humanitas; cui quodammodo Divinitas insidet. Stabulum, sive hospitium, est Ecclesia; in quam ducitur. Vinum, Sanguis Christi, qui Adami, mortaliúmque omnium vulneribus infunditur. Oleum divina miseratio, clementia, lenitas, qua imbuuntur, & probè deliniuntur plagæ. Stabularius, Ecclesiæ præses, ac Pontifex Petrus, & in eadem Sede successores. Duo denarii, Christi sunt merita; quæ misero illi applicari, impendíque voluit.

Et hæc brevis illius historiæ, aut parabolæ explicatio, quam fusiùs deducere est animus, ut liquidò appareat, quæ à peccato homini strages, & quidem primò, quæ illi modo detracta spolia?

Ubi in latrunculos incidit viator unus aliquis, exuitur veste, pecunia, armis, omníque ornatu corporis; quod nudum ferè relinquitur, ut illud in lucem abjecit natura.

Et hæc prima à latronibus corpori clades; major animo importata quondam à dæmonibus. Hi quippe injecto scelere, ceu laqueo, hominis animulam spoliarunt Originali Justitia, Gratia, Charitate, aliisque virtutum cœlestium ornamentis; sic ut nuda, paupercula, abjectáque jacuerit, & suo propè immersa luto: quod malum, quæ strages, quæ vastitas quanta sit; inde nosces, si noveris quid esset in homine Originalis Justitia, quid Gratia, quid Charitas, cæteræque virtutes illi quodammodo adnatæ atque connexæ. *Quibus à peccato privetur homo?*

I. *Originalis Justitia?* De Originali Justitia, duo ex sacræ Theologiæ principiis hic statuo.

Primùm Adamo fuisse pro veste: deinde donum supra naturæ legem, atque ordinem.

Primùm ostendunt Sacræ paginæ, & SS. Patres: *Deus creavit de terra hominem, & secundùm se vestivit illum virtute*, inquiebat Ecclesiasticus: *Cap. 17.* cui consonat ore aureo D. Chrysostomus; dum enim quærit cur Adam, & Eva cùm in prima sui molitione nudi essent non tamen eos pudebat, tædebátque illius nuditatis; respondet: *Quia gloriâ, quæ supernè venerat, vestiti erant.* *Hom. 15. in Gen.*

Ecce ut virtus, hoc est, Originalis Gratia, & quæ ex illa sequebatur gloria, erat illis pro veste.

Quod ipsum altè prædicavit D. Ambrosius: *Nec Adam*, inquit, *nudus erat quando eum innocentia vestiebat.* *Lib. de Isaac & anima. c. 5.*

Ubi autem ab illa defecit: *Despoliatus, & nudus inventus est*; quod advertit & ipse cum ingenti pudoris sensu. *Lib. 2. de Iacob. c. 5.* Nimirum, ut inquit idem S. Præsul: *Exutus prævaricatione, indumentum quod habebat amiserat.* *L. de Helia, c. 4.* Ecce ut misello homini detracta spolia; cujus verò generis, videamus.

Fuit Originalis Justitia donum supernaturale, seu rectitudo, qua veluti aureo quodam fræno pars inferior superiori, & hæc Deo subjecta facilè contineretur; sicque caro spiritui ita erat subdita, ut non posset ipso invito invita moveri, neque ei rebellis fieri, nisi priùs ipse fieret rebellis Deo. Hoc ubi factum est, eo dono, eóque vestitu illicò spoliatus homo, natura sibi relicta, & orta pugna partis inferioris contra superiorem, seu concupiscentiæ adversus rationem, & rationis adversus Deum; & hoc malum à latrunculis illis, hoc est, à dæmonibus, qui hominem fœdè nudarunt Originali Justitia.

Deinde & Gratiâ, quam dum nomino, simul nomino quod in cœlis, quod in terris dives, illu-

II. stre, pretiosum, cœleste, propè Divinum est; quod quia sub oculos corporis cadere non potest, ut cadat sub aciem mentis, variis eam symbolis exprimunt sacri Vates, ad inusitatam illius pulchritudinem illustrandam.

Gratia, quæ est aurum purum.

Jeremias in eam rem assumit quidquid in natura pretiosum est, aut genere suo singulare, & gratiam vocat aurum primum. Sic enim filios Sion, hoc est, illa donatos describit: *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, candidiores nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores.* (*Thren. c. 4.*)

Ecce unde venustas, & magnificentia animæ justæ: Primùm ab auro quod purum, putum, & præstantissimum est, ideóque primum dicitur: Dein à candore gratiæ mirabili, à quo eam lac dicit, & intactam nivem. Denique à luce, nitoréque margaritarum, & imprimis sapphyri, quæ gemma cùm cœlestem habeat colorem, & præterea sit notis aureis, ut micantibus stellulis interstincta, velut parvum in anima cœlum inducat, & amictum planè cœlestem, qui non alius sit, quàm à die, lucéque stellarum, atque imprimis Luciferi astrorum Principis, cum quo componit S. Petrus: *Donec Lucifer*, inquit, *oriatur in cordibus nostris.* (*Gemma.* — *2. Pet. c. 1. v. 19.*)

In sublimi cœli tholo, stellisque fulgentibus nil Lucifero formosius; hinc ab Amos Propheta, *Dei sidus* appellatur; & à Jeremia *Regina cœli*, in qua scilicet sit amanda formositas, & veneranda. (*Cap. 5.* — *Cap. 7.*)

Inde Ægyptii, Syri, & vicinæ aliquot nationes Luciferum stellam adorare, vana quidem, & damnanda superstitione: sed quæ tamen indicaret illius splendorem, vim, pulchritudinémque omni ex parte mirabilem: & hac veluti veste quadam cœlesti nitebat primi parentis anima, & majestatem præ se ferebat humanâ majorem, quam ut exprimeret Regius Vates eam veluti Reginam depinxit à dextris Dei in vestitu deaurato, circumdatam amœna quadam virtutum, ceu totidem gemmarum luce, ac varietate. Sed ô malum! ô dolor! ô pudor! incidit illa in latrones, à quibus spoliata, nudatáque per summum opprobrium relicta. (*Lucifer.*)

Erat Gratia jam inde ab hominis origine ei infusa veluti *Dos quædam*, qua sibi cœlestis sponsus animam, ceu sponsam, desponderet, ornarétque; verùm etiam illâ cautus vi, manúque latrunculorum, hoc est, dæmonum, in quos à peccato incurrit; ut enim disertè Tertullianus: *Post condemnatum hominem cum sæculi dote*; hoc est, Originali Gratia, quæ verè non Adami tantùm; sed & sæculi, & posterorum veluti dos erat, unum ad pœnitentiam refugium fuit, quâ tanta, & tam immanis jactura reparari posset. (*Dos sæculi.*)

Erat Gratia veluti *Stipendium* quoddam liberale, cœleste, ac propè Divinum, quo sibi animam in cœli, Deíque militia ascriptam retineret, ditaret, bearet summus Imperator Deus; sic enim eam appellari voluit D. Ambrosius. Verùm ubi in latrones venit, descenditque in vallem Jericho sua inconstantia, suóque scelere, & hoc stipendium amisit, & nuda, inermísque omnibus inimici insidiis derelicta; & hoc malum ostendit alia Gratiæ nomenclatura, qua ab Apostolo dicitur, & est *Armatura Christiani militis*, qui *per arma Iustitiæ pugnat*, & *vincit*, tam *à dextris*, quàm *à sinistris*; tam in prosperis, quàm in adversis. Sed & his armis à peccato spoliatus homo, inermis, imbellisque mansit, factus ludibrium latrunculis, hoc est dæmonibus, quibus terrori esse debuerat. (*Stipendium militis Christi.* — *Serm. 7.* — *Armatura.*)

Erat Gratia veluti *Regius* quidam *character*, quo hominis animam cœlo, ac futuræ beatitati inscripserat, notaratque Deus; sic enim eam appellandam censuit ore aureo Chrysostomus: Solent oves in vellere notam accipere, & stigma, è quo noscas cujus sit peculium. Et homo, ceu ovicula summi Pastoris, id est Dei, ejus characterem in anima, ceu vellere, acceperat; ut inde nosces esse è Dei peculio: sed ô nefas! illum characterem infida manu deleverunt stygii latrunculi; imò & suum impresserunt, ut esset homo totus è peculio mali dæmonis. (*Character Regius.* — *Hom. 9. in Levit.*)

Erat Gratia *Sigillum Spiritus sancti*, quo *credentes signati* essent, inquit Apostolus: Sigillum est parvum rei signum, ac simulacrum, ejus maximè, quam in oculis, in amoribus, in cultu habeas. (*Sigillum Spiritus sancti.* — *Ad Ephes. c. 1. v. 13.*)

Ita quondam Ethnici in sigillis Deos suos celare soliti: ex quo factum ut Tertullianus eorum sigillaria vocarit *Parva Idola*, & *veterum fictiles Deos*, quos vana superstitione censebant in minimis sigilliolis contrahi, atque arctari.

Error fuit, & insanæ mentis delirium; at hæc pura, puta veritas, & divini amoris miraculum: in homine velut tabella, ceráque molli impressum altissimi sigillum, ac veluti parvum illius signum, ac simulacrum, & hoc, à Gratia à qua sortitur ille, quod Dei sigillum sit, & parva quædam; sed viva, sed spirans ipsius Imago.

Verùm & hanc illicò delent tartarei latrunculi, inficiúntque fœda lue vel unius tantùm peccati lethalis.

Erat Gratia *Cœli clavis*, qua sibi divorum atria reseraret pusillus homo, aditúmque aperiret ad sedem beatitatis. (*Cœli clavis.*)

Refert Justus Lipsius apud Batavos inventos annulos sigillarios cum adjuncta clavi ad usum signandi, & aperiendi: & is quoque Gratiæ usus est: quamdiu illa tenaci, fidáque manu retinetur; primùm partas è cœlo opes signat, ac tuetur; deinde etiam est pro clavi, qua cœlestes portæ recludantur.

Beatus ille, qui habet *clavem* illam *David*: sed & hæc quoque violenta manu eripitur, ubi primùm descendent homo ab Jerusalem in Jericho, ubi in latrones illos tartareos per suum scelus inciderit. (*Apoc. c. 3. v. 7.*)

Erat denique Gratia veluti *delibata* quædam *divinæ naturæ portio*, quæ abjectum homuncionem è luto, è pulvere erigeret in amicitiæ divinæ communionem, quæ eum restauraret, ac fingeret *figmento diviniori*, ut ait Gregorius Nazianzenus, quæ eum cumularet ea bonorum affluentia, cui nec gazæ regiæ, nec gemmæ orientales, nec coronæ, nec sceptra, nec imperia, nec opes universi pares esse possent. (*Dei portio.* — *Orat. in S. Baptisma.*)

Ut enim de illa magnificè Angelicus Doctor: *Bonum Gratiæ unius, majus est quàm bonum naturæ totius Universi.*

Ita quippe pusillum hominem, ex argilla, lutóve malè compactum transfert ad statum omni natura creata altiorem, & ut doctè loquitur Suarez: *Deum facit per participationem*: & hæc tibi, ô anima! ab una Gratiæ participatione divitiæ sunt, hæ opes, & decora, atque ornamenta; quibus tamen etiam spoliaris, ubi ab Jerusalem in Jericho, à virtute in vitium, à violario in sterquilinium, à regali solio in cloacam fœdissimam, à cœlo in cœnum peccatorum descendis, & sis præda nil miserantis orci. (*De Gratia, Tom. 2.*)

Quæ jactura, quàm immanis sit, velim attendas ubi tibi vel caro, vel mundus, vel malus genius suaserit descensum è Jerusalem, hoc est, è visione pacis, & bonæ conscientiæ, in Iericho, id est, in sterilem; inamœnam, turbidam, horrendámque peccati regionem.

Velim, inquam, eam attendas, & in bilance ponas, appendásque & brevis voluptatulæ bonum; quod stultè deperis; & cœleste gratiæ decus, atque ornamentum, quod amittis.

Hoc si expendisset primus generis nostri parens, non eò venisset miseriarum, nec eôdem posteros omnes casu uno devolvisset: sed fere nimium querelæ; descendit infœlix Adam dum incautus ascendere voluit, & esse in terris ad instar Dei: quod irridens altissimus: *Ecce*, inquit, *Adam factus quasi unus ex nobis*,

hoc

Lib. de Elia, & jejun. hoc est (interprete D. Ambrosio) *putabas te similem fore nostri; sed quia voluisti esse quod non eras, desiisti esse quod eras; intra te eras: sed dum supra te esse affectas infra te esse cœpisti.* Utque etiam extrinsecus agnosceret intra te esse, *Vestivit eum tunica pellicea*, & ait: *Ecce Adam; quasi dicat, ecce amictus tuus, ecce dignum te indumentum, hic te vestitus decet:* Cùm esses in originali Justitia, vestiebaris auro primo, gemma nitebas, & sapphiro, radiabas æmulus ipsis sideribus.

Pro amictu lux erat aurea, quæ Luciferi, quæ Solis, quæ cœlestis sponsæ esse debuerat, ad quam addita è cœlo gratia, hoc est: *Dos cæli, stipendium militare, arma impenetrabilia, character Regius, sigillum Spiritus sancti, cæli clavis, & veluti delibata quædam Divinæ essentiæ particula;* à quibus omnibus habebas, ut intra te esses, hoc est, tui Dominus; at à peccato, infra te esse cœpisti, & omnia illa mentis corporisque decora perdidisti.

Tanti refert, cùm in monte steteris, ex eo non descendisse, nec venisse de Jerusalem, hoc est pace bonæ conscientiæ, in Jericho, in turbulentam peccati regionem.

QUÆSTIO TERTIA.

THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Et plagis impositis abierunt semivivo relicto.* vers. 31.

QUÆ SINT ILLÆ PLAGÆ? Et quàm immania vulnera?



RIUSQUAM ea ponantur in aperto, pauca duxi præmittenda. Et quidem:

Hominis constitutio. Primò, quia constat homo carne, & spiritu; habet aliquid commune cum brutis, & aliquid cum Angelis affine.

Ex ea propensiones. Secundò, à carne quamdam sortitur propensionem ad bonum corporale, ac sensibile, in quod fertur per sensum, atque appetitum; à spiritu verò elevatur ad bonum spiritale, atque intelligibile, in quod tendit per intellectum, ac voluntatem.

Et pugna. Tertiò ex partibus illis adeò inter se diversis, diversisque inde propensionibus: pronum erat enasci in homine pugnam aliquam, & inter eas dissensionem, à qua exsurrexisset ingens quædam difficultas benè agendi, dum scilicet una propensio adversaretur alteri, una deprimeret, attolleret altera.

Remedium. Quartò, Divina Providentia, ut remedium adhiberet huic malo, quod ex quadam naturæ humanæ conditione oriebatur, illi adjecit donum aliquod insigne, quod *Justitiam originalem* placuit appellari; ab hoc caro spiritui, concupiscentia rationi, & ratio Deo perfectè subjiciebatur; sicque erat inter ea ordo quidam pulcherrimus, atque consensio, dum & caro spiritui, & concupiscentia rationi, & ratio Deo connexa, atque unita existebat.

Amissum per peccatum. Quintò, per peccatum Adami, ceu parentis, ceu capitis totius sui generis, exutus ille, exuta posteritas omnis eo dono, ea Justitia Originali; & inde sublata ea connexio, atque unio, quæ erat partis inferioris cum superiore: Et hæc sublatio à Theologis *Vulnera naturæ* nominatur.

Est enim vulnus, continui, sive unionis solutio: Et hæc inflicta naturæ humanæ, cujus partes inter se divisæ, ac cum suo principio, ratione scilicet, ac Deo. Et hinc immania naturæ vulnera, hinc lethales plagæ, à quibus homo relictus à latrunculis, hoc est à dæmonibus malè affectus, & semivivus.

A quo vulnera. Quod si ex me quæsieris quot, & quàm varia sint illa naturæ nostræ vulnera? Audies esse potissimum quatuor, indita scilicet quatuor animæ potentiis; è quibus duæ superiores, *Ratio, & Voluntas*, quæ spectant ad spiritum; & inferiores etiam duæ, *Appetitus Concupiscibilis, atque Irascibilis*, qui ad carnem attinent. Et quidem

In Intellectu. *Ratio* destituta suo ordine ad verum, accepit luculentum vulnus *Ignorantiæ*.

Voluntate. *Voluntas* orbata ordine ad bonum, vulnus *Malitiæ*.

Appetitu. *Appetitus Concupiscibilis*, privatus ordine ad delectabile ratione moderatum, vulnus sensit *Concupiscentiæ*.

Irascibilis, viduatus ordine ad arduum, vulnus *Infirmitatis*.

Et hæc vulnera non Adamo tantùm; sed & toti deinceps humanæ naturæ impressa ab uno Originali peccato; nam etiam ab actuali imprimuntur alia; & quidem quatuor: dum enim aliis, atque aliis scelenbus obtunditur, atque hebetatur ratio præsertim in agendis, relinquitur in ea vulnus *Stoliditatis*.

Dum voluntas induratur ad bonum, vulnus *Obstinationis*.

Dum accrescit major, ac major benè agendi difficultas; oritur in appetitu irascibili vulnus *Gravedinis*.

Denique dum Concupiscentia magis, ac magis inardescit, vulnus *Insatiabilitatis* in eadem nascitur. *Concupiscentiâ.*

Ecce plagæ, ecce vulnera, è quibus pullulant, surguntque infesta morborum agmina in omnibus, propè corporis, seu veri, seu mystici partibus.

In capite vanitatis, & superbiæ vertigo; In oculis lippitudo invidiæ; In corde, ac pectore æstus iracundiæ; In manibus tremor, chiragra avaritiæ; In palato, & ventre insatiabilis edendi, bibendique aviditas; In lumbis, ac renibus insana libido luxuriæ; In pedibus pigra, ac retinens acediæ podagra. Ecce morbi, ecce plagæ, & vulnera à stygio prædone.

Finge tibi, ô peccatrix anima! finge, inquam, & ex vero quidem in te involare malum dæmonem, manus injicere violentas, ad terram prosternere, jugulum petere, ferrum stringere, & quà caput, quà cervicem, quà pectus, quà cor ipsum, vitæ sedem, quà manus, quà pedes impetere; ferrum altè immittere, & ubique vulneri locum parare, imò & infligere: fingè, inquam, & hæc tibi cum Jobo dic in aurem:

Ego ille quondam opulentus repentè contritus sum, tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum, circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terram viscera mea. *Cap. 16.*

Ne porrò cum illis & vitam, quæ reliqua est, effundas; & manus, & vocem erige ad Samaritanum, ad Christum de via prætereuntem; ut ad te animum, & gressus vertat; ut tollat in jumentum; ut ducat in stabulum; ut oleum, & vinum infundat; ut vulnera curet; ut de pretio provideat etiam in æternitatem. Sed ne longiùs: redeo, mi Lector, ad vulnera illata generi nostro à peccato Originali, ut ubi ea noveris, quà possis, medelam facias.

PRIMUM

PRIMUM VULNUS in Ratione, Ignorantia.

IGnorantiam ex ipso parentis utero desert infantulus, priùs vulneratus, quàm natus; Ignorantiam dico, quæ major sit quàm in ipsis brutis animantibus. Nam hæc & se agnoscunt, & matrem; at infans recens natus, & sui ignarus est, & matris. Quod deplorandum censuit Augustinus, qui hæc pauca tristi stylo notavit:

Lib. de peccat. mer. & remiss. *Multorum pecorum pulli etiam minutissimi matrem agnoscunt, nec sugendis uberibus cura, & opera admoventur aliena; sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt: Contrà homine nato nisi opera nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, & juxta se jacentibus mammis, magis possint esurientes flere, quàm sugere.*

Neque dumtaxat hoc primulæ illius ætatis est vulnus; sed & totius ævi, in quo, & sui, & aliorum propè omnium ignorantiâ laborat homo.

I. Ignorantia sui. Sui quidem, quia nec animum novit, quem gestat; nec corpus, quod illius est quasi ductile sepulchrum: in hoc sensus omninò quinque natura locavit.

Visum, qui res extra se positas usurpet, & earum imagines deferat ad animum.

Auditum, qui sonos excipiat, & de iis judicet, atque discernat.

Odoratum, qui fumosas exhalationes, & suaveolentes hauriat; fœtentésque declinet, atque aversetur.

Gustum, qui sapida distinguat ab insipidis, dulcia ab amaris.

Denique *Tactum*, quo primas qualitates, frigus, calorem, humiditatem, siccitatem; aliásque tangibiles percipiat.

Et sensuum externorum. Verùm, ut hi sensus, eorúmque operationes in aperto sint, & clara luce; at modus quo fiunt in alta nocte, densisque ignorantiæ tenebris.

Visus. *Oculos habes*, ô homo, & quidem in capite velut arce, & specula; sed nescis in qua illorum parte fiat visio; an in nervis opticis, ut censet Avicenna; an in humore cristallino, ut vult Galenus; an in tunica speculari, ut credit Aquilonius?

Visionem exerces, & nescis an fiat illa per extramissionem radiorum ab oculo in ipsum objectum; an per actum elicitum à potentia visiva; an per species haustas ab objectis, an sine illis.

Vides extra te posita, & rursum nescis quid videas, an colorem, an lucem; an tam hanc, quàm illum, an colorem ut quod, lucem ut quo perspicias. Imò nescis, an sit verus color in natura, an tantùm apparens.

Auditus. *Audis*, ô homo, & sonum, vocémque loquentis, patentibus auribus excipis; & nescis, qui fiat istud. In interiore organo auditus occurrit: primò, membrana tenuis: Secundò, quidam aër: Tertiò, officula duo, quorum unum incudis; alterum malleoli speciem, atque officium exhibet: Quartò, obtenditur alia membrana tenuissima, cui transversum aliud officulum insternitur, ut fides in tympano: Quintò, ad hanc membranam ducuntur à cerebro nervi auditorii, per quos spiritus animales defluunt, & sonorum species in sensum communem deferuntur. Et hæc est interior aurium fabrica sanè mirabilis ab authore naturæ data ad percipiendos sonos: at qui percipiantur nescis.

Nescis, inquam, utrum auditus in officulis resideat: utrum in aëre contento intra membranam, ut credidit Aristoteles: utrum in tympano, ut opinatus est Toletus: an tam in aere, quàm in tympano, ut alii docuerunt: Imò vix scis, quid sit sonus, aut qui excitetur; multò minus, denturnè species soni an sonus ipse semper propagetur ad auditum usque. Hæc, inquam, nescis, cùm de iis omnibus sua sit inter Philosophos lis, & contentio, eáque adhuc sub judice.

Odores admittis, ô homo, haurisque patenti aurium meatu; in quo occurrit primò os bipartitum, quod à multis foraminibus dicitur cribrum; in quo duo majora foramina naribus respondentia: Secundò, duæ membranulæ, quæ claudunt dicta duo foramina, per quæ fit respiratio, & quæ eâ aperiuntur: Tertiò, quidam rami nervorum, qui per hos veluti canales derivantur: Quartò, duo tubercula carnea, quæ propter mamillarum similitudinem, dicuntur *Caruncula mamillares*. Hæc, inquam, omnia visuntur in interiore narium fabrica: at in quo illorum sedem habeat olfactus, nescis. An in narium membrana, an in nervis, an in carunculis mamillaribus, an neque in his, neque in illis; sed in cerebri ventriculis, ut credidit Galenus: Hæc, inquam, nescis; imò vix scis, quid sit odor, & qui gignatur; multò minùs an per seipsum ad organum usque diffundatur cum exhalatione fumosa; an subinde per suas species, ut fit, ubi ad magnam distantiam percipitur odor. Ecce ut teipsum ignoras homo, cùm ignores, qui videas, qui audias, qui olfacias, imò qui cibum, potúmque gustes. Odoratus. *5. de usu Part.*

Est lingua organum Gustus: cingitur illa primò tunica tenui, quæ toti ori communis est: Secundò, constat musculis septem, venis duabus, totidémque arteriis; duobus deinde nervorum conjugiis; altero molli, altero duriore: in quo porrò ex istis omnibus existat vis gustandi, alta nox, crassa ignorantia; crassior etiam in hoc, an dentur species gustus, quæ objectum applicent. Gustus.

Venio ad *Tactum*, is est postremus inter sensus, de cujus organo, sua quoque difficultas. An videlicet sit cor, ut vult Simplicius; An caro, ut Averroës; An nervi, ut Galenus; An totum ferè corpus, ut alii: tot enim sunt authorum inter se pugnantes sententiæ, quæ liquidò ostendunt, & hoc nobis esse reconditum, & in profunda ignorantiæ nocte, in qua & illud denturnè species tactus, quæ objectum applicent, aut reddant proportionatum, & quæ tandem illæ. Ecce ut teipsum nescis homo, cùm nescias etiam, qui gustes, qui tangas; imò quid tangas, an corpus, an superficiem, an aërem medium; censet enim Aristoteles inter tactum, & objectum semper mediare aërem, aut aquam. Tactus.

Quod si adeò ignarus sis, ô homo, ut etiam in externis sensibus, qui quodammodo carni immersi sunt, cæcutias; quantum cæcuties, si evadere velis ad sensus internos. II. Sensus interni.

Certè necessum est etiam in his ignorantiam tuam fatearis, dicásque ingenuè nescire te, an sit unus, an plures. Dum enim de hoc ipso disputant inter se Philosophi, probant etiam in eo suam inscitiam.

Avicenna internos sensus voluit esse quinque: videlicet, *Sensum communem*, *Imaginativam*, *Æstimativam*, *Phantasiam*, *& Memoriam*.

D. Thomas quatuor recensuit: *Sensum communem*, *Imaginativam*, *Æstimativam*, *& Memoriam*.

Galenus tres tantum posuit: *Imaginativam*, *Iudicativam*, *& Memoriam*.

Fonseca duos distinxit: *Sensum communem*, *& Phantasiam*.

Suarez notus à calamo, vitæque innocentia, *unicum* esse contendit *sensum internum*.

Ecce quæ virorum cæteroquin doctissimorum inter se pugna, orta profectò ex ignorantia etiam illius sensus, qui tamen in nobis est ad percipiendas res tam præsentes, quàm absentes, cognitione quadam interiori, ac sensitiva.

Quod si ab illa ascendere velim ad intellectualem, ac spiri-

III. Animæ, & potentiarum. ac spiritualem, quæ præterea in nobis est: quod si evadere ad immortalem animam, quæ occurrent tenebræ? quæ ignorantiæ?

Et quidem primò de intellectu, Voluntate, Memoria: an ab ea destinguantur.

Deinde an sit Intellectus agens? an passibilis? & quod inter eos discrimen?

Quæ Intellectus species? quæ earum natura, causa, effecta, & alia propè innumerabilia? in quibus hæret, nutat, retunditurque acies ingenii humani etiam perspicacissimi. Tantum scilicet afflicta ab ignorantiæ vulnere, quod rationi peccatum inflixit; ut etiam seipsam nesciat illa, nec hominem, aut animam, cui insidet, multóque minùs extra se posita.

IV. Aliorum omnium. Ecquis enim est, qui naturas rerum, qui plantarum vim, virtutémque, qui animantium affectiones, qui elementorum inter se, & cum aliis compagem, qui astrorum cursus, & ordinem, qui Solis, ac Lunæ orbitam, occultásque influentias perspectas habeat?

Quis muscæ, pulicis, formicæ genium novit? etiam in hoc post longam, ac morosam disquisitionem hæsere ingenia quantumvis magna; adeò latè diffusum est ignorantiæ vulnus, de quo sic eleganter S. Basilius:

Epist. ad Eunomium. *Qui se assecutum esse gloriatur existentium rerum scientiam, exponat nobis quomodo, quod minimum est eorum, quæ in lucem prodierunt natura habeat, & quæ formica natura sit, dicat. An spiritu, & anhelitu vita illius contineatur? An corpus ossium distinctione continuatum, ac discretum, nervisne, an nodulis conjuncturarum sit roboratum? An musculorum, ac glandularum complexu, nervorum natura undequaque conservetur? an à sincipite per dorsuales nodos ad caudam usque medulla prorogetur? Utrúmne ex nervosa pellicula complexione motis membris sit progrediendi facultas? Habeátne hepar, an sub hepate sit flavæ bilis folliculus; utrum renes habeat, & cor, & arterias, & venas, & membranas, & diaphragmata, nudáve sit, vel crinita? an unius tantùm generis, an multinariis utatur pedibus? quamdiu vivat, & quæ sit illi propagandæ posteritatis ratio? quotuplo fœtu dum generat fecundetur?*

Hæc, inquam, aliáque his affinia in unius animalculi fabrica exponat quisquis potest, & sub oculos ponat: explicet formicæ horrea, apiculæ ædificia, araneæ retia, bombycis stamina, cantharidis toxica, muscæ spicula, culicis tubam, ac lanceam. Ostendat deinde, ubi tot sensus in culice? ubi videndi, audiendíve facultas? ubi odoratus? gustus? auditus? & qua arte, qua subtilitate truculentam illam vocem, & ipso æris campani bombo molestiorem, corporéque ipsius majorem ingenerarit author naturæ Deus: Ubi nervi? ubi spiritus? ubi sanguinis vicarius succus in tantillo corpore? hæc, aliáque ejusmodi, in apertum proferat, quisquis vel ex Aristotelis Lycæo, vel è Galeni schola Laureatus prodierit: quod si proferre non possit, ignorantiam suam, ut fateatur est necesse etiam in minimis, etiam in iis, quæ cuique mortalium sunt obvia, & sensus ipsos feriunt; multò magis in illis, quæ ab his remota, ut sunt Intelligentiæ, ut Deus ipse ter Opt. ter Max. ad quem se habet homo, ut talpa ad solem.

Et hoc est *Vulnus Ignorantiæ*, quod à peccato pati potuit, ac debuit ipsa Ratio, quæ etiam in multis via diuturno labore excolitur; adeò à natura corrupta hebetes sunt, & bardi.

Problem. 3. De Thracibus quibusdam prodidit Aristoteles quartum eos numerum non excedere numerando, tantæ sunt stupiditatis.

Alios recenset Plinius, quos litterarum, quas didicerunt, quos matris, & propinquorum, quos servorum, ac domesticorum, quos denique proprii nominis capiat oblivio.

Alios reperit Christophorus Columbus (ille alterius propè orbis repertor) qui ob duritiem mentis nonnisi ad quinque numerando perveniant, neque ulteriùs pervenire posse videantur, etsi quis aut voce præeat, aut veluti manu ducat: adeò de illis verum illud Senecæ: *Mala natura nunquam Doctore indigent.*

Neque reclamet unus aliquis, dicátque mihi cum Seneca: *Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur; non aliter, quàm scintilla flatu levi adjuta, ignem suum explicat: erigitur virtus cùm tacta est, & impulsa: Ingenii vis præceptis alitur, & crescit, novasq; persuasiones adjicit invitis, & depravata corrigit.* Epist. 95.

Hæc Seneca, cui licèt daremus illud, animis nostris ingenita quædam veluti scientiarum semina, quæ exercitatione excitentur, & sese latiùs explicent; at quàm levia sunt illa, quàm obnoxia errori, & quàm facilè falsis opinionibus, seu loliis, suffocantur.

Quòd si fortè alantur, & crescant aliis, atque aliis præceptionibus; at hæ quàm dubiæ fidei, quàm obscuræ, quàm intricatæ, quàm plerumque falsæ.

Quòd lucem credimus, sæpè nox est; & maxims error, quod veritatem putamus; quod, ut notat D. Augustinus: *Non est natura instituti hominis, sed pœna damnati*; Damnati, inquam, ad varias pœnas, quas inter *Vulnus ignorantiæ*, cui mederi nemo unus potest, etsi discendo adjiciat litteras, ceu *senectutis viaticum*, ceu *Baculum infirmæ menti*; ut credidit Seneca: sed de hoc vulnere, pro instituto satis; pergamus ad alterum. L. 3. de Lib. Arbit. c. 18. Supra.

SECUNDUM VULNUS in Voluntate est Malitia, seu Propensio in malum.

Malitia est propensio quædam in malum, quæ cuique indita à peccato jam inde ab ipsa origine: ea porrò sese exerit, ubi primus rationis radius affulserit, ubi aliqua boni, malíve scientia; tum enim à natura corrupta ad hoc proni, ac faciles; ad illud tardi, ac difficiles sumus. Quid sit malitia?

Hanc propensionem expressit Scriptura: *Sensus, inquit, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Gen. c. 8.

Eam pronitatem Poëta nobilis sub oculos posuit eleganti Emblemate:

In aperta tabellæ area visebatur adolescens, isque alatus, qui in sublime tendere videbatur, alarum, quæ ad humeros erant remigio: sed, ô malum! pedibus appensum erat immane pondus, saxum ingens, quod ad inferiora rapiebat etiam renitentem. Subjecta erat hæc Epigraphe: *Ad Ima trahor*; non alia vi, quàm subjecti ponderis, id est, malæ propensionis, quam simul cum perversa natura hausit.

Et hanc, & illam expressêre Poëtæ lano, atque ingenioso commento:

Finxerunt Sisyphum, qui volvit grande saxum, & nisu omni protrudit, conaturque in altum montem attollere: verùm cùm aliquantulum processit, fugit è manibus saxum, atque in imum relabitur, ubique etiam cum eodem Sisyphus: Hoc sapientum est Emblema.

Volvimus omnes, non saxum è rupe decisum, sed cor saxeum, ac ponderosum; gravem scilicet in malum inclinationem, quam Vatum unus appellat *Talentum plumbi*; quod aggravat animam, deprimitque voluntatem. Conamur subinde hoc saxum attollere supra verticem olympi, super astra, lucentemque Solis globum usque ad Dei solium; sed illicò suo pondere ad ima recidit, nosque unà secum trahit in casum, ac ruinam miserabilem. Talentum plumbi.

TERTIVM VVLNVS in appetitu inferiore est Concupiscentia.

Concupiscentia quid sit? DIVUS Chrysostomus stylo ut solet aureo nimium amorem parentum in filios acutè notavit, pupugitque, dum dixit esse quamdam *Naturæ tyrannidem.*

I. Naturæ tyrannis. Quod ego ad concupiscentiam translatum velim; est enim & hæc quædam naturæ tyrannis, cujus vis longè maxima est ad amplificandum sceleris dominatum, proterendámque virtutem.

II. Amazonia. Hinc, Apostoli, & prima Ecclesiæ sanctæ lumina, concupiscentiam effinxere ut *Amazonium bellatricem*, quæ vitiorum legiones conscriberet, suisque auspiciis duceret in caput nostrum.

Cap. 4. v. 1. Sic eam depinxit olim S. Jacobus ubi dixit: *Militare in membris nostris*; in membris, inquam, singulis; imò & in sensuum portis, in quibus collocat præsidium suum, aciem instruit, & vivas, atque erectas appetitiones, quas ut milites suos immittit ad turbandum animæ imperium, & virtute spoliandum.

In oculis, ceu specula, locat curiositatem; in auribus quamdam audiendi pruriginem; in lingua gulam, atque ingluviem; in naribus effœminatam mollitiem; in tactu libidinem.

Ecce quæ vitiorum præsidia in ipsis sensuum portis locata sunt à bellatrice concupiscentia, à quibus indubiè tot patieris vulnera, quot milites; hoc est, quot insanas affectiones admittes; nec vulnera tantùm: sed & duram captivitatem, ab illius scilicet tyrannide.

Ad Rom. c. 7. v. 23. Hanc visus est tenuisse; imò & sensisse D. Paulus, cùm hæc non sine gemitu dixit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me lege peccati.*

III. Lex peccati. *Concupiscentiam* appellat *peccati legem, Repugnantem*; vel ut Græca habent, *Militantem* contra legem rectæ rationis, & *captivantem*; hoc est, captivare conantem etiam liberam illam, arduámque Pauli mentem; in quam etiam facto velut agmine immittebat primas inclinationes, dictamina, impulsusque concupiscentiæ; cui tamen generosè resisteret nobilis Athleta, & Christianæ militiæ antesignanus, qui etiam vel ideo tantùm gemit, quòd duram illam peccati, ac concupiscentiæ legem pati cogeretur.

IV. Fœtus serpentis. Hanc D. Hieronymus appellare solebat *Concupiscentiam seductionis*; ut intelligeremus esse fœtum, tum serpentis, tum Evæ miserrimè seductæ.

V. Fascinatio. Cap. 12. Sapiens alio nomine usus eam vocitabat, *Fascinationem nugacitatis. Fascinatio nugacitatis*, inquit, obscurat bona.

Concupiscentiæ primò tribuit *fascinationem*, obscurantem scilicet animi judicium, pervertentem, atque futili, inanissimáque specie commoventem. Et hinc secundò *Nugacitatem* appellat, quia res propè nihili, viles, ac despicatas proponit, & in earum amores, amplexúsque rapit; rapit, inquam, ad honoris falsi malesanam ambitionem, ad prostitutæ luxuriæ motus, ad continuam opulentiæ sitim, ad caduca, ad terrea: post quæ sic illusus homo, *Non tam affectibus currit, quàm defectibus*, inquit D. Bernardus.

Ne porrò sic currat, opus est fræno, opus est imperio. Quod illud; si quæris, audies D. Ambrosio

L. de Iacob. c. 2. *Esse regale mentis imperium*; quod Deus à prima molitione nobis indidit: ait enim Deum cùm ædificaret hominem, *motibus ejus imposuisse regale mentis imperium, ut omnes sensus, motúsque hominis ejus vigore, ac potestate regerentur.*

Nimirum Deus ter Opt. ter Max. mentem, sive rationem in homine constituit quasi reginam, à cujus nutu, imperióve pendere debeant appetitus omnes, eóque inclinari, quò inclinarit illa; ab eo averti, à quo averterit illa.

Hoc si assequatur; nec effrænatis concupiscentiæ motibus, adeóque nec vulneri patebit locus.

Nec enim concupiscentia regnat ubi dominatur ratio; nec vincit appetitus ubi ratio vicerit, & quæ inde manat vera & Christiana sapientia, à qua obtinebit homo quod sit insuperabilis.

Dixit olim & rectè D. Gregorius Nazianzenus: *Duo sunt, quæ superari nequeunt: Deus, & Angelus; tertium est Philosophus*; hoc est amans veræ sapientiæ, ac rationis: quamdiu hæc stabit in statione, quamdiu libera erit, & sui quodammodo juris; concupiscentia erit sub illius jugo. Orat. 28.

Sed illud plerumque est grande malum, quod concupiscentia rationem suis vinculis implicet, ligétque; quod è pulpito velut è specula prævidit, prædixitque D. Cyrillus Hierosolymitanus:

Si neglectè, inquit, *susceperis concupiscentiæ incitationem per ratiocinationes, radices in te figet, & mentem tuam ligabit, & te detrahet in foveam malorum.* Catech. 2.

Tres hic aperit malorum fontes:

Primus est, quod nisi illicò concupiscentiæ rationem objeceris, nisi eam ejus quasi manu repuleris, radices in te figet altiùs, nec evelli poterit nisi vi magna.

Secundus, mentem ligabit, & faciet ut quæ domina esse debuerat, sit quasi serva, & vile mancipium suarum cupiditatum.

Tertius, è culmine gratiæ, honoris, ac gloriæ jam imminentis, ac paratæ detrahet in foveam, abyssumque infamiæ, pœnæque sempiternæ.

Quî autem fiet istud, eleganti similitudine ostendit D. Ambrosius. Componit enim concupiscentiam, & ex ea manantes passiones cum flumine, quod intumescens, sæviensque à ventis, ac tempestate, gubernatoris manum, artémque vincit:

A carne, inquit, *velut à fonte prorumpunt concupiscentiarum, malarumq; passionum flumina, quibus demergitur excusso gubernatore remigium, cùm ipsa mens velut quibusdam tempestatibus victa loco suo cedit.* VI. Fons passionum.

Interprete D. Ambrosio, caro fons est, ac velut origo prima, unde effluunt, manantque longiùs concupiscentiarum flumina, quæ, ut fit, initio parva, levi se continent alveo; tum progressu accrescunt, & sese diffundunt latiùs, viresque, & aquas acquirunt eundo: & sic crescere solet concupiscentia, & quæ ex ea ducitur passio. L. de Arca & Noe.

Primò enim levior videtur, instar vadosi fluminis; tum grandior inflatur, & surgit adinstar profundi gurgitis, qui ubi intumuerit, & ventis agitari cœperit, gubernatorem, qui clavo assidebat excutit: & sic concupiscentia rationem quasi quibusdam passionum ventis, ac tempestatibus victam de sua statione dejicit, & hominem totum tantus quantus est destituit, ut sit auræ, ventorúmque, hoc est, passionum, ludus, ac deinde fluctuum præda.

Fluctuum dico, modò iræ impotentioris; modò luxuriæ mollioris; modò voluptatulæ leniter blandientis: nam & hanc, & illam eacitat *concupiscentia*, quæ à D. Ambrosio dicitur, *Figula voluptatum*. VII. Figula voluptatum. Serm. 22.
Figulus sua vasa fingit, ac format è luto, & argilla molliore.

Et concupiscentia, utpotè figula voluptatum, eas ducit è terra, è luto, è terreis, & luteis rebus; è quibus videtur sibi libare aliquid mellis; sed unà cum melle aculeum patitur, & ex eo lethale vulnus.

Imò tot vulnera, quot insanas appetitiones. Ut de misello homine adeo fœdè vulnerato dicere possis illud Isaiæ: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas, vulnus, & livor & plaga tumens.* Cap. 1. v. 6.

Deplorat

Deplorat Isaias infelicem statum Israëlis, cui & caput, & cor, & corpus universum gravi vulnere affectum: & hoc *à concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

Caput quidem, id est Ozias Rex, ab insolenti *Superbia*, qua etiam sacram, ac Pontificiam dignitatem affectavit, incenso etiam aris ipsis thure; unde leprâ percussus in fronte.

Cor verò, id est Sacerdotes, ac Pontifices (qui populo sunt, quod homini cor) *à concupiscentia oculorum*, hoc est, à turpi avaritia, à lucelli cupidine; à qua & vulnus in illis immane.

Corpus denique, hoc est populus universus, grave accepit vulnus à *concupiscentia carnis*, ab insana libidine, à fœdis voluptatibus, quibus se totum inerit.

Et hinc Isaiæ voce; & vulnus, & livor, & plaga tumens apentur, populo que illi ostenditur, si fortè indè aliquam sui concipiat miserationem.

Vulnus, hoc est, peccatum occultum, quod intrinsecus latet, & in intimo animi sinu.

Livor, id est scelus omne, quod extrinsecus se prodit, vel ore, vel manu.

Plaga denique est publicum crimen, quod in aliorum oculos incurrit, offendiqque, ac scandalum generat; imò & vulnus infligit à maligna concupiscentia.

QVARTVM VVLNVS in appetitu irascibili, Infirmitas.

VEtus olim apud Hebræos adagium fuit, *hominem cognosci in marsupio, in calice, in ira.*

In marsupio sordidè avarus; in calice insolenter ebrius; in ira infirmus dignoscitur: quod ut pateat paucis erit ostendendum. Primò quem in finem data facultas irascibilis. Deinde quomodo defecerit in malum.

Ex natura, & virtute quid sit Ira? Facultas irascens data homini in hunc finem, ut rationi imperanti assisteret tanquam miles armatus, qui valido nisu, atque impete noxia repelleret, animosque adderet ad audendum aliquid pro virtute, pro cœlo, Deoque; ad difficultates etiam, si quæ occurrerent, superandas.

Lib 3. Epist. Hinc à Theodoreto dicta est vis irascendi, *Socia, & adjutrix rationis*; ab Isidoro *satelles*, qui rationi, ceu Reginæ, assisteret, & suppetias ferret.

Hom. de Ira. A D. Basilio *animæ nervus*, qui vim daret, ac robur, qui motum ad ardua, ac difficilia facilem præberet.

Ab eodem, *bonarum actionum ministra.*

L. 5. Moral. c. 30. A D. Gregorio Pontifice Maximo, *virtutis instrumentum.*

Thusc. 4. A Cicerone *Cos fortitudinis*, qui scilicet eam acueret.

De Cælest. Hier. c. 15. A D. Dionysio, *Extremum vestigium fortitudinis*; sine qua scilicet hærebit abjecta mens in luto suo, ut opimæ sues; nec pedem, hoc est, affectum ad ardua virtutis extollet.

Quæst 10. ad Orthod. A Iustino Martyre, *Dura severitas*, quæ videlicet nimiam lenitatem, ac mollitiem, à qua nil magni sperare possis, evincat, ac frangat.

Lib. 2. Ep. 219. Ab Isidoro Pelusiota *Ira Philosophia* dicitur, hoc est, virtus animi sapientis, quæ retardet vitiorum impetus, & influentem in animo voluptatem generosè refutet; & hinc apud eundem audit: *Vitiosarum affectionum medicina*; quam descriptionem hausit à

In Ps. 148. D. Chrysostomo, quo magistro usus, & qui iram (si quis ea benè uteretur) appellat *Salutare medicamentum*; sin autem malè, exitii causam.

In Ps. 59. A D. Hilario, *Ira arcus* appellatur.

Hunc arcum si cupediæ, si luxuries effœminata, si dulcium voluptatum influens liquor, ut pluvia emolliat; illicò concupiscentia fludendam, ac horribilem virtutum omnium stragem dabit.

Secùs autem si tensus fuerit, & rigidus, tum enim in vitia omnia, ceu infestas acies, tela mittet, avertet, prosterneteque adventantem etiam ex erebo hostem.

Antiochus Asiæ Rex potentissimus trecenta peditum millia, equitumque, & curruum falcatorum non minorem habebat numerum, & præterea grandes, & formidandos elephantos; & tamen memorabili pugna victus, fugatusque: Rationem produnt historiæ, quòd deciduus è cœlo imber persicos arcus mollivisset, nervosque hebetasset. Hier. l. 2. c 5.

Quod Antiocho, eoque militi ab imbre deciduo malum, quæ strages fuit; eadem & homini ab originali peccato, à quo ceu pluvia dé stygе emissa & mollior, & hebetior reddita est facultas irascibilis; ceu *animæ nervus*, ceu *arcus*. Nervus quidem, qui fortitudinem, robur, & constantiam præbere debuerat ad res benè agendas.

Arcus autem, qui iratarum tela, sagittásque emitteret in hostem, si fortè incurrisset: sed quia hic, & ille mollis, ac hebes tam ad resistendum, quàm ad aggrediendum: hinc in appetitu vulnus illud, quod dicitur *Infirmitas*; quâ victus, fractusque hominis animus illicò contrariis cedit, ad primos adversarii impetus concidit, ad levissimam tentationem manus ligatas offert, nec ulti ad malum invitanti audet resistere.

Ita nimirum defecit ingens illa vis animi, ita fracta propè facultas irascendi si bonum arduum spectes: at non fracta in propensionem in malum; imò excitata magis in suam, & aliorum perniciem videtur exarsisse: quas enim strages, quæ incendia, quæ vitiorum portenta non edit effrænia ira? quæ mala non importat in Orbem? Ea disces ex aliis, atque aliis appellationibus, quibus ceu infami stygmate notarunt SS. Patres. Ex vitio quid sit ira?

D. Chrysostomo dicitur *Tyrannicus & violentus affectus*, qui alios habeat sub jugo, qui verset partes in omnes potenti tyrannide. Serm. 1. de divers.

Isidoro Pelusiotæ, *Sæva, & tyrannicus morbus.* L. 2. Ep. 110.

Alio loco, *Genus quoddam armorum improbum.* Improbum, ait, quia Deus iram dederat ut animæ opitulatricem, ut corporis ignaviam, & mollitiem corroboraret: at arma sua vertit in illius perniciem, per summam scilicet improbitatem, ac perfidiam. L. 1. Ep 280.

Ennio, Ira est *insaniæ principium.*

Arnobio, *turpis, & indecora insania*, quæ hominem extra se ponit, & vix sui Dominum relinquit. Illi Ecclesiasticus sedem ponit in sinu stulti, tanquam in centro. *Ira stulti*, inquit, *in sinu illius requiescit.* Lib. 1. contra Gentes. Cap 7. v. 10.

Davidi *Ira furor* est, cujus vim in seipso expertus exclamat cum alto gemitu: *Turbatus est à furore oculus meus*; hoc est ab ira, à qua turbatur, & caligat oculus mentis, & acies intelligentiæ. Psal. 6 v. 8.

Ambrosio, *Ira gravis est peccati magistra.* Hanc S. Præsul in theatrum educit, turbulentam affectuum manum hac oratione concitantem. In Psal. 36.

Vindica injuriam tuam, virum te esse cognosce, fæminea infirmitatis est non nosse vindictam, ergo contemnere te debuit servus? Frater despicere? amicus illudere? & tu adhuc tuam non ulcisceris contumeliam? proscribas necesse est, gladio oportet insurgas, & dolorem tuum adversaria morte solvas.

Hæc apud Ambrosium *Ira magistra* tot scelerum, quot passionum, quot pravorum affectuum, quos in campum educit.

Chrysostomo, *Ira est voluntarius dæmon, insania spontanea, mentis defectio: & qui irascitur diabolo lu. ibrium de spectaculum, dæmonum officina, & nequitia illorum dignus minister.* Serm 46. de divers.

Hæc S. Præsul, qui in hoc Orbe aspectabili colores non invenit, quibus iram depingeret; eos ex erebo petiit, dum appellavit dæmonem voluntarium; voluntate scilicet, non natura, non necessitate accersitum in arcem mentis, quam ubi intrarit facit ut stygis ludus sit, & dæmonis ludibrium.

Et hoc illi soli malum est; sed aliis istud: quod *dæmonum* sit *officina*, in qua scilicet, excudantur arma, quibus proximi vitam impetat; acuantur dentes, quibus ejus famam conviciis laceret; exerantur ungues, quibus ejus bona, fortunasque rapiat; factus malo dæmoni malus ad omnia scelera minister. Ecce inquit quot, & quæ ab Ira vulnera, quæ plagæ inflictæ misello homini.

Ab Ira quæ vulnera!

Primum vulnus est in intellectu: huic lumen eripit; tum objecto fumo densiore: *Ut fumus oculos turbat, sic animum ira*; tum interposita veluti nube, qua fiat ut res aliæ videantur quàm sint: *Ut per nebulam corpora; ita res per iram apparent grandiores.* Et hæc ars, hic dolus mali dæmonis, qui multa suggerit irato, & res aliter repræsentat, quàm sint, inanibus coloribus adumbrat, ut videatur æquum adversus eas irasci, atque excandescere: *Dæmones*, inquit D. Chrysologus, *ut iram nutriant causas colorant.* Ne porrò colorent, ne fucum rationi faciant, ne tenebras obducant, audi Apostolum benè monentem, & si sapis obedi: *Sol non occidat*, inquit, *super iracundiam vestram*; hoc est interprete Cassiano: *Mens, & ratio, quæ hominis Sol est, Iræ vitio non extinguatur.*

S. Nilus orat. de Ira. — *Plut. l. de non irascendo.* — *Serm. 16.* — *Lib. 8 c. 9*

Secundum vulnus, quod ab ira patitur animus, est *in voluntate*, quam ad ultionem concitare solet, ut in eum, à quo læsum se credit, & ferrum, & fulmina jaciat; *Ira quasi fulmen in anima*, aiebat S. Nilus.

Supra.

Ne fulmen illud è corde irato, ceu gravida nube, exeat; attende quid Isidorus Pelusiota: *Veniam impertiri*, inquit, *Divinum est quiddam*; ulcisci, ac vindicare, *Belluarum est proprium.*

L. 2 Ep. 15.

Quod dum agnovit Pittacus etiam in profunda gentilitatis nocte, potestatem habens eum puniendi, à quo contumeliam acceperat; metu, & supplicio absolvit, cum hoc effato: *Venia ultione melior est*: & hæc in illo fuit, & in aliis erit *Virtutis victoria*, ut aiebat Themistius: Et hæc debet esse victoria nostra; *Hæc* (ut piè D. Ambrosius) *nostræ Christianitatis summa, ut amantibus vicissitudinem; lædentibus patientiam rependamus.*

Laërtius. — *Orat. 5.* — *Serm. 10.*

Tertium vulnus ab ira effunditur in alios quoque animæ appetitus, quos tot plagis afficit, quot inquinat sceleribus.

Anima, *quæ iracundiæ furore accenditur*, inquit Chrysostomus, *superbiæ amarissimæ felle repletur: invidiæ veneno percutitur: Luxuriæ sordibus inquinatur.*

Serm. 255.

Ne porrò vel illo repleantur, vel percutiatur isto, vel etiam his inquinetur; *Iram* quæ *fera est*, aut cavea sua inclusam teneamus, ne fortè evadat, libereque vagetur; aut fræno regamus, ne insolescat; aut cicuremus, ne sæviat.

Chrysost. Hom 47. in Joan.

Includemus hanc belluam, si ubi primùm in animo assurgere cœperit cognoverimus eam, ne per verba contumeliosa erumpat, aut per verbera sese effundat.

Iræ remedia.

Regemus duro fræno, metu scilicet *futuri judicii*, inquit D. Chrysostomus. Regemus fræno rectæ rationis, cujus habenas huic belluæ adhiberi voluit etiam Seneca licèt Gentilis: ut enim more suo disertè; *Quid prodest equum regere, & cursum ejus fræno temperare: & effrænatissimis affectibus abstrahi? quid prodest multos vincere luctatione: & ab iracundia vinci?*

Hom. 3. in Joan.

Denique iram, ceu belluam *Cicurabimus* insigni mansuetudine: quæ judice S. Gregorio Nysseno est *inter notas, & characteres Divinæ mentis*, & inter placita Dei hominis, qui & voce, & re etiam ipsa eam docuit, atque in se expressit, dum & *mitissimi Pastoris elegit officium, & personam Pastoris induit*; ut ferocientes antea gentes, discordes, inimicas, & immanium morum crudelitate barbaras, *ad ovium totum duceret, ac redderet lenitatem*, ut aureo stylo D. Chrysologus.

Hom. 15. in Cant. — *Serm 6.*

Et hæc pauca attigisse sit satis, ut veniant in oculos, mentemque hominis Christiani, quæ illi à peccato Originali inflicta vulnera: quæ deinde ab actuali: illa declinare non fuit in nostra potestate (ea quippe ducimus ex ipsa Origine jam corruptæ naturæ) at hæc fugere nostræ curæ erit, ac laboris.

Ut igitur cum Eusebio Emisseno finiam: *Observemus ne quis nostrûm per vulnus peccati victima efficiatur inimici.*

Ita observabit etiam in alta nocte gentilitatis Charillus sapiens. Incurrerat ille in audaculum unum aliquem, qui cum Heleto asperè se, & injuriosè gerebat. Quid inde? an Iræ se permisit? an vindictæ? an barbaro furori? an ferrum exemit? an sanguinem hausit? an vitam manu violenta extorsit? minimè gentium. Quid ergo? Unum illud: *Per Deos, te interfecissem, nisi iratus essem.*

Plut. in Apopht. — *Iræ domitæ exempla.*

Ita observavit in plena fidei luce S. Joannes Gualterus: occurrerat ille sicario cuipiam, qui summa inhumanitate sibi sanguine junctum trucidarat; & cùm Iræ, justæque, ut videbatur, ultioni manum laxare posset; connivuit tamen, compressitque, & veniam homicidæ dedit: ac deinde templum ingressus, cùm ante sacram Christi è Cruce pendentis effigiem oraret, eam sibi capite benignè annuentem conspexit. Tantum interest quomodo insurgentes Iræ motus comprimas; quomodo frænes: & ita compressit, frænavitque vir sanctus, qui omninò maluit ante sacratiores Aras, & amabile Crucifixi simulacrum, hujus veluti victima cadere, quàm per peccati (hoc est Iræ) vulnus victima effici inimici; imo & sui. Ne mirere, quod tui ipsius victimam esse te pronuntiem. Victima enimverò etiam tui es quisquis Iræ impotentiori, quisquis vindictæ te committis. Ut enim disertè D. Cyprianus:

Blasius Medol.

Nullius magis quàm tuæ salutis inimicus es. Quisquis enim ille est, quem telo persequeris, subterfugere, & vitare te poterit; tu te fugere non potes ubicumque fugeris. Adversarius tuus tecum est, hostis semper in pectore tuo est. Tu nimirum ipse in pectore iracundo.

Serm. 2. de Zelo, & Livore.



DOMI-

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.



UM iret IESUS è finibus Cæfareæ in Ierufalem ad feftum Tabernaculorum, tranfirétque per mediam Samariam, & Galilæam: *Occurrerunt ei decem viri leprofi*; quos fcilicet *morbi communicatio adunaverat*, & ad tanti mali remedium facto velut agmine junxerat: deftinato confilio, & ingeniofa neceffitate, quæ quafi manu facta Deum hominem impeteret, ejusque clementiam expugnaret. Euthym.

Quod ut faceret, primùm à longè ftetit mifella turba: Deinde vocem hanc extulit: *IESU præceptor miferere noftri.* Vel ut vertit Theophilactus: *Domine, ac curator*, quod erat putare, ac credere propè Deum. Luc. c. 18. v. 13. Ut leprofos illos vidit IESUS, ut vocem eorum audiit, ftatim inquit: *Ite, oftendite vos Sacerdotibus.* Parent illi, & illico dant fe in viam, quam vix ingreffi; *Mundati funt.* Hic ftupor, gaudium, plaufus, & alta acclamatio, quibus ubi aliquid in commune datum eft, è decem unicus, isque Samaritanus iter relegit, rediitque ad Medicum (id eft IESUM) & ad ejus genua accidens, gratias egit, quà voce, quà geftu, quà mente: quem beneficii accepti memorem ut advertit IESUS, paucis ita expoftulatus eft: *Nonne decem mundati funt; & novem ubi funt? Non eft inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nifi hic alienigena.* ad quem deinde: *Surge, vade; fides tua te falvum fecit.* Et hæc fumma rei geftæ, de qua

EX D. THOMA.

Serm. 2. MOraliter, inquit, *in ifto Evangelio tria notantur:* Primò, *Peccatorum multiplicitas*, decem leprofis veluti adumbrata: *Leprofus eft infidelis, & hæreticus*, qui à confortio fidelium feparatur, & Sanctorum. 2. *Eft blafphemator, & detractor*; qualis *Maria* Moyfi foror, in qua apparuit lepra candens quafi nix. 3. *Gulofus*, qui fœtidis eructationibus etiam aërem inficit. 4. *Avarus*, qui immoderato habendi defiderio femper flat: hæc eft lepra *Giezi*. 5. *Superbus*, qui per tumorem mentis fe elevat: hæc eft lepra *Naaman*. 6 *Ambitiofus*, qui dignitates affectat: hæc eft lepra *Ezechiæ*. 7. *Hypocrita*, qui bona fua inaniter jactat: & hæc eft lepra *Simonis Pharifæi*. 8. *Luxuriofus*, qui fluxu fuæ immunditiæ creaturas contaminat. 9. *Homicida*: hæc eft lepra *Ioab*; *Non deficiet de domo Ioab leprofus.* 10. Eft *Obftinatus*, qui finaliter peccat.

(Num. c. 10; 4 Reg. 5.; Paral. 32.; Matth. 26.; 2. Reg. 3.)

Hæc ubi fufiùs explicuit Angelicus Doctor, tum fecundò loco fuggerit opportuna curationis remedia: *Qui*, inquit, *ab iftis lepris vult curari, currat ad pifcinam fanguinis innocentis, quam fecit nobis ineffabili caritate Dominus IESUS-CHRISTUS, quia ille à nos mundabit à lepris omnium peccatorum.* Sponfor eft D. Joannes, qui eidem Domino; & fcriba fuit, & à fecretis: *Dilexit*, inquit, *nos, & lavit nos à peccatis noftris in fanguine fuo*; & hæc eadem. Apoc. 1.

Tertiò loco etiam curatis remedia ponit, ne in lepræ fpiritalis vitium aliquando relabantur.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 13. post Pent. Serm. 1. DIvus Bonaventura fingula accuratiùs expendit, & ad mores formandos accommodat:

Primùm ad illa verba: *Cùm ingrederetur IESUS quoddam caftellum occurrerunt ei decem viri leprofi. Caftellum*, inquit, eft mundus; *Decem leprofi funt peccatores, decem mandatorum tranfgreffionibus vitiofi.*

Lepra peccatum eft: *contrahitur autem illa corde, ore, opere, confuetudine. Corde, affectu fcilicet, delectatione, confenfu, & voluntate mali. Ore; doctrinis hæreticis, perjuriis, detractionibus, mendaciis. Opere; avaræ cupiditate.* Ita contraxit Giezi, pecuniam, & veftes, à Naaman fanato accipiens audaci præfumptione. Ita contraxit Ozias Rex, quia præfumpfit adolere incenfum. *Confuetudine* denique inveterata, quæ plerumque non alio purgatur *igne*, quàm *gehennæ*: nifi fortè ut hic leprofi noftri, & medicum, & medicinam invenerint. Invenient porrò fi ut illi quondam; ita & hi modò levent vocem fuam; nec vocem tantùm: fed & oculos, & manus, & caput: hæc enim omnia ad Chriftum levari oportere, docet D. Bonaventura:

(4. Reg. 5.; 2. Paral. 26.)

Quatuor, inquit, *funt, quæ nos fideliter levare debemus, videlicet oculos ad lucem contemplationis, linguam ad vocem orationis, manus ad virtutem operationis, caput ad fpem æternæ retributionis.* Serm. 2.

Oculos olim levavit David, qui fic ingenuè de Pfal. 122.

feipfo:

ſeipſo: *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cælis.*

Oculos levarunt Apoſtoli in monte Thabor, qui etiam *levantes oculos neminem viderunt, niſi ſolum* Jesum: ut & neminem videres ipſe, *non mulieres, non viros, non mundi concupiſcibilia.*

Vocem levaverunt hic leproſi; & à nobis *levanda eſt vox: ſed cordis priuſquam oris;* quia ut rectè Divus Gregorius: *Preces valentiores apud ſanctiſſimas aures Dei faciunt, non noſtra verba; ſed deſideria.*

Exod. c. 17. *Manus* levavit Moyſes, & vicit Iſraël: quia cum voce manus levavit, & opera verbis adjunxit.

Caput ſub diem judicii levabunt bonæ mentes: *Levabunt*, inquam, *per ſpem*, quia *inclinaverunt primò per humilitatem:* levabunt *propter tria*, ait Bernardus, videlicet *charitatem adorationis, veritatem promiſſionis, & poteſtatem redditionis.*

Redeo ad hiſtoriæ Evangelicæ ſeriem, & in ea leproſorum ſitum, habitúmque corporis conſidero: *Steterunt illi à longè;* ut eorum exemplo ſtaret peccator, quem inficit animæ lepra:

Primò, *Stet ille humiliter ad deplorandum commiſſa peccata.* *Serm.*

Secundò, *Stet viriliter ad ſuperandum diabolica tentamenta.*

Tertiò, *Stet perſeveranter ad obtinenda æterna præmia.*

Stet, inquam, *ſed à longè: ſicut humilis, qui non audet appropinquare, ut Deus ad ipſum appropinquet:* ubi ſic ſteterit, vocem levet, & inclamet illud: Jesu *Præceptor, miſerere noſtri.*

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Occurrerunt ei decem viri leproſi.*

Lucæ c. 17. v. 12.

QVI SINT ILLI LEPROSI?

Cur decem? Et quæ lepra mentis?

Lepræ ſpecies.



Decem illis leproſis, qui deſtinato conſilio Chriſto occurrerunt, novem è Judæa fuère; unus è Samaria prognatus: & hoc ſolùm annotare voluit Evangeliſta; cætera ſilentio preſſit: & certè parum refert ad formandos mores, qui fuerint illi; at plurimùm, qui modò ſint leproſi animo, & quæ mentis lepra.

De hoc argumento multa ſparſi in opuſculis meis, ac præcipuè in opere morali, in quo fuſiùs egi de hac ſpecie lepræ.

Hic brevius ne Lectorem deſtituiſſe videar etiam in argumento paſſim obvio: è quo plurimus ad animum fructus emanare poteſt. Igitur ut ad rem propiùs accedam, & propoſitæ quæſtioni faciam ſatis, id primùm ſtatuo.

Omne peccatum eſt lepra: ita Theophilactus, aliique paſſim.

Deinde ut in corpore variæ ſunt lepræ ſpecies; ſic & in animo.

I. Lepra Cutanea. Lepra corporis una dicitur *Cutanea*: quæ ſcilicet hæret in cute, nec evadit ad carnem.

Et animi lepra cutanea eſt, ea ſcilicet; quæ extrinſecus eſt, & tota in cute: quæ ſit illa audies ex Alberto Magno:

Serm. de Dom. 3 Advent. *Lepram in cute habent mulieres, quæ quibuſdam fucis cutem ſuam liniunt, & perungunt:* hanc lepram averſari juſſit D. Chryſoſtomus, tum quia fœmineam olet mollitiem: tum quia illecebra eſt oculorum, *in perditionem*, inquit, *juvenum laſciviorum.* Ut ab hac

Hom. 2. in Matth. longiùs ſe abeſſe teſtarentur virgines, juſſit Nicetas Choniates eas cœno facies illinire.

Adoleſcentulas, inquit, *cœno faciem illinire, ut pridem fucis, atque ita ruborem genarum extinguere juſſimus, ne formæ venuſtas principio (ut viatores noctu elatus ignis) ſpectatores; deinde amatores; poſtremò raptores alliceret.*

Ita nimirum fieri ſolet fuco, ac ceruſsâ accerſita venuſtas oris, ac faciei: Primùm ad ſpectandum allicit; cùm etiam ad amandum impurius; tum denique ad rapiendum violentiùs.

Ecce quæ mala à lepra cutanea etiam in alios derivari ſolent, ut proinde illi pro remedio id præſcripſerit D. Hieronymus ad Euſtochium:

In Epith. Paula, Ep. 27 *Terpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuraſſe, & ceruſſa, & ſtibio ſæpè depinxi.*

Secunda lepræ ſpecies eſt ea, quæ *Impetigo* dicitur, & volatilis, quia ſerpit, & quaſi volat per corporis partes: gignitur illa ex pituita ſalſa, & atra bile, ab ea mutatur color in cute, & pili decidunt: *II. Impetigo.*

& huic ſimili lepra laborant ii, qui extrinſecus in viros alios abiere; ut ſolent adoleſcentuli, qui in primo ætatis flore præſeferebant ingenuam virtutis ſpeciem, in fronte relucebat pudor, in ore modeſtia, in oculis verecundia, in toto corporis, morumque compoſitione decora, pulchra, ſana omnia; cogitationes inſuper, ac deſideria caſta, ac munda: at lapſu temporis *mutatur color optimus*, & ſponte à lepra ſpiritali decidunt pia deſideria, puræque cogitationes, ceu animæ capilli.

Tertia lepræ ſpecies eſt illa, quæ *Recurrens* appellatur; ea quiſquis tenetur illicò & Sacerdotis judicium, ac ſententiam meretur, & à cæterorum congreſſu jubetur eſſe quàm longiſſimè. *III. Recurrens.*

Et meritò, quia & magnum in corpore vitium arguit, & malignam; ac tenacem in malum propenſionem; & periculum imminet contagioſæ luis, quam etiam inſpiret vel ſolo halitu.

Quod corpori malum à lepra recurrente: hoc animo à recidiva in peccatum. Ab hac enim primò gravior eſt lapſus, morbus omninò gravior; deinde medela difficilior; denique pœna formidabilior. *Recidivæ malum.*

Graviorem inde morbum oſtendunt SS. Patres aliis, atque aliis ſimilitudinibus. *I. Morbus gravior.*

Una petitur à vulnere, quod recrudeſcens acrius, ac moleſtius.

Altera à ſordibus, ad quas redire cùm eas ſemel elueris, turpius eſt.

Tertia à ſentina, quam fruſtra exhauris, ſi aquam ſemper admittat.

Hinc benè dixit, benè monuit D. Chryſoſtomus:

Noli peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam. Cogita graviorem culpam eſſe poſt veniam, renovatum vulnus pejus dolere poſt curam, moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam. *Ser. de lapſu prim. hom.*

Hæc S. Præſul de prima, & ſecunda ſimilitudine; è qua metitur vitium recidivæ.

Tertia explicatur à D. Bernardo, qui animam, quæ à peccato in gratiam redit, & rurſum ab hac in illud revolvitur, componit cum ſentina, in qua exhaurienda fruſtra laboras ſi tantùm influat, quantum effluit.

Vanum

Vanum, inquit, *tibi est dum adhuc sordes influunt sentinam exhaurire; dum peccare non destiteris, pœnitere: ideoq; claude fenestras morti, obsera aditus, foramina obstrue; & sic demum non subeuntibus novis, sordes poteris expurgare vetustas.*

II. Curatio difficilior. Alterum recidivæ malum, est curatio difficilior; tum ex conditione ægrotantis animæ; tum ex ratione, quam servare solet supremus morborum spiritalium medicus.

L. 5. in Ioan. c. 17. De illa sic Divus Cyrillus Alexandrinus: *Incassum fatigatur medicina si post instauratam sanitatem per vitæ incontinentiam, qui convaluit in pristinum incidit morbum. Relapsus in ægritudinem periculosior esse solet, & exitio propior, quàm prior ille languor: & quos prima valetudo adversa non extinxit, sæpiùs iterata post redditam incolumitatem ægritudo, sustulit à vita.*

Quod in ægritudine corporis, hoc in morbis animæ; ut enim ab illa sæpiùs repetita debilitatæ, fractæque vires, ita prosternuntur, ut restaurari vix possint; sic & ab his; enervatur enim illa vis animi, quæ erat ad resistendum incursantibus undique passionibus, appulsuque morborum, hoc est vitiorum, & hinc illis cedit, succumbitque.

Deinde avocatur, avertiturque pius ille affectus, & prona quædam, ac veluti præceps Dei, ceu medici, inclinatio ad medendum; nec mirum, quia ut scitè Tertullianus:

L. de Pœnit. c. 5. *In Dominum peccat, qui cum æmulo ejus Diabolo pœnitentia renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset; eumdem regressu suo erigit, & exultationem ejus seipsum facit.*

Quod si peccat in Dominum, quid adeò mirum si deseratur à Domino? si malis suis indormiscere sinatur, atque immori? Ecquid enim, an non infanda Creatori per recidivam irrogatur injuria? certè quisquis eò recidit unde surrexit, *Diabolum Domino præponit; comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit; & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita, qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere; diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet.*

III. Pœna major. Ecce execrandam sanctæ pœnitentiæ pœnitentiam, à qua quid ultra expectare possis remedii, non video; video autem quid pœnæ, quid supplicii: sæpè enim primùm peccanti parcit Deus, non parcit secundùm delinquenti, & ad ea, à quibus benè recesserat malè revertenti.

Hebræos in Ægypto commorantes etsi culpa vacui non essent; non ideò tamen afflixit Deus, nec supplicia sontibus intulit: at ubi verso pede Ægyptum repetere, vel saltem illius votis torqueri, ac cedere, ubi aspirare ad carnes, ad cucumeres, cæpe, & allia Ægypti: tum verò in eos cœlum desævire: Num. c. 11. v. 33. *Furor quippe Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis*; inquit Scriptura.

Profligati sunt, ait D. Cyrillus, *ab hostibus: illorum* L. 5. in Ioan. c. 17. *gerentes typum, qui virtutis iter ingressi, ad præterita vitæ tenebras pedem retro ferre laborant.*

Quod illis, hoc & aliis usu-veniet, qui eorum sequentes vestigia, eò recurrent per sua scelera, unde per pœnitentiam recesserant.

Ideóque ut paucis absolvam, quæ de lepra recurrente, hoc est de recidiva dixi, ad extremum adjiciam istud D. Bernardi monitum: Serm. 54. in Cant. *Timeas quidem pro accepta gratia, ampliùs pro amissa, longè plus pro recuperata*: sed de his pro instituta brevitate satis; venio ad quartam lepræ speciem.

IV. Inolita, seu elephantia. Ea dicitur *Inolita*, seu elephantia: ab hac caro, quæ sub cute est, sic inficitur; ut in vitiosi succi naturam desinat.

Oritur hæc ex pituita salsa, quæ non solùm cutem; sed & subjectam carnem pervadit, corrumpitque; quod lepræ malum explorant, deteguntque medici fricatione, & acu: si enim caro fricata non rubeat; & acu puncta, sanguinem non emittat: sed potiùs lacteam quandam, aut aquosam humiditatem, indicium est lepræ inolitæ, & vetustissimæ.

Hæc lepra peculiaris fuit, & familiaris morbus Plin. l. 16. c. 1. Ægyptiis; fortè ex adusto cœlo, solóque orta. Cùm in Reges incidisset, populo erat funesta: quippe non curanda nisi balneis è sanguine humano fluentibus. Quæ etiam olim sibi mente designarat Constantinus, parassetque re quidem ipsa, nisi indulgens Deus, ei Baptismi lavacrum pro remedio aperuisset.

Et hæc corpori inhæret lepra; similis aliqua menti: ea est inolita, atque inveterata peccandi consuetudo, quæ non cutem tantùm, hoc est, exteriorem agendi modum inficit; non capillos, hoc est, cogitationes bonas, affectúsque pios devastat; sed & intima animæ penetralia corrumpit, perditque; nec illi remedium, nisi in balneo Sanguinis Christi, qui per Sacramenta diffluit.

Hæc malè agendi consuetudo *languor* est, qui ut Cap. 10. v. 11. ait Ecclesiasticus: *Prolixior gravat medicum*, etiam cœlestem.

Tyrannus est, quæ etiam propè nolenti, ac relu- Iac. 4. Ep. 2. ad Cor. ctanti vim faciat: *Magna est consuetudinis tyrannis, adeoq; magna, ut perinde cogat, ac natura*, inquit Divus Chrysostomus.

Catena est, qua implicantur, tenentúrque captivæ omnes infelicis animulæ facultates, ne se in aliquod opus bonum capescent.

Hanc catenam sensit olim D. Augustinus, gemuitque, & ista lacrymas inter, singultúsque fudit:

Ligatus eram non ferro alieno; sed mea ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam Confess. l. 8. c. 5. *fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*; quam superare nemo unus omnium potest, nisi vis altior accesserit: si enim ut ille ipse D. Augustinus: *Vincere consuetudinem dura pugna*; In Psal. 30. quantò durior natam inde necessitatem. Hac dum premitur, ac propè opprimitur, audi in quos æstus jactatæ mentis abierit.

Ego, inquit, *sub quadam fici arbore stravi me, nescio* Suprà. *quomodo: & dimisi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: & tu Domine usquequo? Usquequo irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum: sentiebam enim me ab eis teneri, & jactabam voces miserabiles: quamdiu? Quamdiu cras? & cras? Quare non modò? Quare non hac hora finis turpitudinis meæ?*

Turpitudinis, inquiebat, inolitæ, atque inveteratæ, cui finem, medelámque attulit una Dei, ceu medici, manus: aliàs frustra futura omnia remedia.

Descendo ad quintam lepræ speciem: ea dicitur V. Capitis. *Capitis*, quæ scilicet in hoc se prodit.

S. Prosper, qui à corporis morbo, ad animi vitium evadit; censet lepram in capite esse *hæresim*; quia Lib. 2. de Prom. c. 6. hæc caput, ceu intelligentiæ arcem invadit, occupat, ac deturpat: dum in alios, atque alios errores trahit; maximè in eos, qui Divinitatis mysterium, ceu caput fidei nostræ, impetunt. Ut olim Manichæi, qui unum Deum malum effinxêre.

Alii lepram in capite censent esse vitium *in Regibus, ac Principibus*, qui populi caput sunt; maximè verò errores in fide.

Eâ leprâ quondam laboravit Galliæ Rex, qui mox atque hæresi Ariana infectus est; infectus est & lepra. Ut scilicet vitium animi, etiam in corpus ipsum derivaretur; imò in totam, quâ latè patebat regionem. Hæc enim unà cum Arianis erroribus lepram diffundi sensit; moxque sisti, ubi Rex facti sui pœnitens, ad S. Martinum vota, ac dona misit, ejúsque fidem cum subditis amplexus est; tum enim conquie-

Lib. 1. Mirac. c. 11.

conquievit, quod ſerpebat malum: *Nec unquam uſque nunc*, inquit Gregorius Turonenſis, *lepræ morbus ſuper aliquem apparuit.* Ita luem corporis exuêre cum animi labe: à qua priuſquam diſcedamus, addamus cum Bernardo lepram in capite eſſe *Superbiam.*

Serm. 3. de Reſur.

Occupat nos, inquit, *lepra Superbiæ*: Primò, *In proprietate poſſeſſionum.* Secundò, *In gloria veſtium.* Tertiò, *In voluptate corporum.*

Neque ibi ſiſtit: ſed penetrat, aſcenditque in caput eadem contagioſa lues; occupat enim illud *propria voluntas, & proprium conſilium*: ut rectè notat idem S. Pater.

Hac capitis, id eſt, *Superbiæ lepra* laborarunt in cœlis Angeli mali: & hinc ab aliis illicò Deo judice, ac vindice ſecreti, pulſique ad inferos de cœleſti ſede.

Hac laboravit Adam, & Eva primi generis noſtri parentes: & inde Paradiſo pulſi.

Hac etiam infectus Nabucodonozor ſuperbum, & inſolens caput; & hinc è regia in ſylvas actus, & denſa nemora inter homines eſſe, & vivere deſiit: Ita nempe factum oportuit, ne alios ſua lue inficeret.

...ut veſtis, & domus.

Venio ad ſextam ſpeciem lepræ, ea fuit olim *veſtis, & domus*; de hac ita Scriptura: *Veſtis lanea, ſive linea, quæ lepram habuerit.*

Levit. c. 13. v. 47.

Sed quænam inquies illa? an veſtis? an domus? an parietes? an nuda tecta lepra contaminari poſſunt?

Valeſius cenſet omninò poſſe: ut enim veſtibus ac domibus adhærere poſſunt ſemina quædam peſtilentis, ac contagioſi morbi; quæ deinde homines inficiant: ſic & lepræ ſua eſſe poteſt contagio, etiam veſtimentis, etiam cubiculis, poculis, lancibus, ſimilique ſupellectili quodammodo adhæreſcens, ac deinde iis utentibus lepram afflans.

Quod duobus modis fieri poſſe autumat: Primò, infectione aëris à lepra, quà etiam malè afficiantur veſtes, & tecta. Deinde à contactu ipſius leproſi, vel potiùs ab illius anhelitu, & evaporatione vaporum putidorum, qui etiam veſtibus, & domibus inſideant, atque adhæreſcant.

Quæſt. 18.

Hæc ille medicus, contra quem pugnat Theodoretus, aliique Interpretes, qui cenſent lepram illam, non tam fuiſſe morbum, aut illius ſemina, ſcintilláſve; quàm plagam à Deo veſtibus, ac tectis ipſis inuſtam.

Quæ autem fuerit illa, adhuc êſt in lite, & ſub judice: veroſimilius videtur fuiſſe tineam, aut qualitatem aliquam, quæ inſtar tineæ veſtem arroderet, & ligna domorum; ut ſua inde incolis ipſis eſſet pœna, quæ non naturæ vi adſcribenda, non afflatui morbi peſtilentis; ſed divinæ ultioni.

Ex quo conſequens fuit lepram illam veſtium, ac domorum qualis qualis demum fuerit, Judæis ſolis peculiarem fuiſſe; neque ad gentes, aliáſque nationes emanaſſe. Nimirum juſtus rerum arbiter, ac ſcelerum vindex Deus, Judæos ſontes eâ plagâ petiit; inſontes alios non attigit.

Verùm abire voles, mi Lector, ab illa veſtium, ac domorum lepra, & noſſe quæ lues inde emanarit ad animum? quæ à peccato cenſeatur eſſe, aut veſtis, aut etiam domus lepra? eam tibi dabo ex Interpretum fide, & ſententia.

De cultu fœm. c. 2.

Apud hos *veſtimenti lepra*, eſt *inanis hujus ſæculi pompa*; eſt veſtium luxus, quem Tertullianus uno loco vocat *confictam, & elaboratam libidinem*; alio, *ſcandalum, atque offendiculum. Nullum*, inquit, *majus ſcandalum occurrit, quam ille ipſe virorum, ac mulierum accuratior ornatus.*

...Apoſtol. ...23.

In Matth. can. 4.

Hinc D. Auguſtinus appellare ſolebat *ſeductiones oculorum*: nimirùm in amictu venuſtorum, & tonus corporis, veluti ſcenæ, paratura locum habet illud D. Hilarii: *Punitur illecebroſa viſus tranſcurrentis affectio*;

Lib. 10. Confeſſ. c. 14.

dum enim à ſe quodammodo abit oculus, dum curioſiùs tranſcurrit, per eam veſtium luxuriem, quæ illi objicitur; capitur ille primùm blandâ illecebrâ; deinde & animum capit impudicis amoribus, à quibus ſeducitur hic, uti priùs à veſte ſeductus eſt oculus.

Et hæc eſt *lepra veſtis*, à qua ſibi cavere debet mens pudica.

In Moral. Levit.

Sed & alia eſt *lepra domorum*; hæc apud Berchorium eſt *inanis gloria*, & quæ inde naſcitur *jactantia*, à nobilitate generis, à ſtirpe avita, à majoribus; quorum virtutem, & præclarè geſta impudentiùs qui jactat, leprâ domus laborat.

Hom. 3. in cap. 3. Matth.

Ita laborarunt olim Hebræi, qui ut ait D. Chryſoſtomus: *Inſolenter de Abraha ſtirpe gloriabantur, virtutem parentum defenſionem ſuorum rati eſſe vitiorum.*

Quibus objici potuit illud, quod deinde apud Plutarchum in vita Arati:

Annè ſuum laudat patrem niſi non bona proles? Sic, ô Judæe, patrem Abrahamum non laudat niſi bona proles, & digna tanto parente progenies; quæ ſcilicet unà cum ſanguine virtutes avitas traxerit, & in poſteros omnes effuderit: quod cùm non feceris ipſe, fruſtra jactas antiqua, auguſtáque illa nomina: *Abraham, Iſaac*, & *Iacob*. Fruſtra ſacras illas voces: *Templum Domini, templum Domini*; quaſi & à progenitoribus tuis famam, & à Templo Domini ſanctitatem tibi parare poſſis. Non poteris enimverò, niſi & illorum virtutem in te priùs expreſſeris, & hujus religionem.

Dic enim, ô Judæe; dic ô quiſquis es ea jactantiæ Lepra infectus: an non deridendus ille foret, qui deformitati, aut graveolentiæ ſuæ majorum ſuorum pulchritudine, vel odore commemorato, blandiretur? deridendus enimverò, & tu etiam magis, qui tuam deformitatem, & graveolentiam objicienti, dicis: quod pater tuus erat formoſus, & unguento redolens. Verùm ut is ille fuerit; at tu nec inde formoſus, nec benè olens, nec nobilis: ſtat enim, ſtabitque in ævum omne iſtud Divi Hieronymi.

Epiſt. ad Demetriadem.

Ille clarus, ille ſublimis, ille ſit nobilis, ille tunc integram nobilitatem ſe ſervare putet, ſi dedignetur ſervire vitiis, ab eiſque ſuperari: uti è contra; *qui vitiis vivit, ſepelitur famæ; perit gloriæ; manet turpitudini; creſcit infamia*: Ut ore aureo Chryſologus. Sed de his pro inſtituto ſatis; finio, atque ad extremum adjicio, non vacare myſterio; quod eò loci, ac temporis Chriſto occurrerint *decem leproſi*: fortè ut jam inde indicarent decem genera lepræ ſpiritalis, quæ apprimè reſpondent corporali.

Serm. 1.

Decem lepræ corporis, & animi.

Prima, eſt in cute, partim munda, partim maculata: & hac notatur hæreſis, quæ falſa dogmata veris commiſcet. 2. In capite: hac indicantur peccata Superiorum. 3. In barba: hac ſignificantur eorum ſcelera, qui virili robore, ac ſanitate perperam utuntur. 4. In crine, id eſt in malis cogitationibus. 5. In puſtulis, hoc eſt in animi elatione. 6. In cicatrice vulnerum, nempe in recidiva. 7. In domo: hac monſtrantur peccata familiæ, quæ impedire teneris. 8. In veſte lanea: & eſt adulatio mollis. 9. In veſte linea: & eſt hypocriſis. 10. In veſte pellicea, id eſt in Gula, & Luxuria.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* vers. 13.

CUR AD SACERDOTES REMITTIT?
Et an possit hinc peti argumentum pro ingenua Confessione?



Luc. c. 6. *Dom. 18. post Pent. Serm. 4.*

MNINÒ peti posse censuit D. Bonaventura, etiam ad illa verba Christi ad leprosum: *Vade, ostende te Sacerdoti*, sic ait: *In hoc mandato instituit Dominus Sacerdotale officium omnibus esse reverendum, & ad curationem peccatorum esse necessarium.*

I. Ratio. Hæc S. Doctor, cui incidit ea cogitatio Christum eo loco, ac tempore instituisse Sacerdotale officium tanquam necessarium ad peccatorum curationem: aliis fortè magis probatur non instituisse; sed ad summum indicasse, ac notasse, quid deinde futurum esset, & hoc quidem velut in figura quadam, & emblemate subobscuro, quo per leprosum peccator significatur, & per Sacerdotem peccati Judex, ac si voles, etiam medicus.

Et hæc ad propositam quæstionem potest esse prima ratio; alias ex aliis authoribus produco.

II. Una ut probaret se legis audientem esse, atque observantem: ita Tertullianus. *L. 4. contra Marcion.*

III. Altera, quòd judicium de lepra esset penes Sacerdotem; cujus erat ex aliis, atque aliis indiciis censere, essétne quis liber à lepræ vitio necnè? ita Theophilactus.

IV. Alia, ut suum sacro illi ordini honorem dedisse videretur Servator optimus, exemplóque suo posteros omnes ad id officii impulisse, prodigio sanè, & miraculo demissionis, qua Sacerdotibus licèt sceleratis, & impiis, detulit tamen quod illis debitum erat venerationis.

Et ita à leprosis illis, ita à posteris omnibus deferri voluit; imò & à beatis ipsis spiritibus: quo in genere, celebre illud quod referri solet in vita Divi Francisci Sales, magni Præsulis. Hujus pœnitentiarius in egressu, ingressúve portarum Primas semper Angelo suo, qui se in conspectum dabat, cedere: quod sacræ Urbanitatis officium eò usque admisit Angelus, dum Sacerdos esset; tum enim demum nunquam eum præcedere, sed semper sequi voluit. Ita nimirum sacrum illum ordinem reverentur, ac suspiciunt Angeli etiam Dei hominis exemplo. Nec mirum, quia Sacerdotis dignitas, ut vicina cœlo; ita Numinis privilegio, & charactere insignis, ipsíque Deo propè par: quod etiam in purpura, sceptróque agnovit Constantinus magnus, qui libellos contra Sacerdotes, atque Antistites oblatos, igne abolevit; quòd diceret nefas sibi esse, Deos (id est Sacerdotes) judicare: quorum scilicet judicium & ipse, & coronati licèt vertices subire debuissent. Et hinc descendo ad postremam rationem; propter quam leprosos ad Sacerdotes remisit Magister optimus; ut jam inde doceret, sicut quondam in lege veteri de lepra corporis discernere Sacerdotum erat; sic in nova de animi lepra, quæ peccatum est, judicare, est Sacerdotis: magno tamen hunc inter, atque illum, discrimine.

Honor Sacerdotis. *In vita S. Fr. Sales. c. 48.* *Greg. Mag. l. 4. ep. 31.*

Potestas Sacerdotii. Nam ille lepram esse probabat, aut improbabat: non verò pellebat, aut expiabat. Hic autem spiritalem animæ lepram (hoc est lethale scelus) ubi tale esse probarit; purgat, & tollit, quod altioris est, ac Divinæ cujusdam potestatis; & hanc rationem ore aureo prodidit D. Chrysostomus, cujus vestigia in præsens legam, & sequar, dicámque leprosis, id est, hujus ævi peccatoribus: *Ite duce bono Genio, ite, ostendite vos Sacerdotibus.* *Lib. 3. de Sacerdotio.*

Agite pœnitentiam, inquit D. Augustinus; *sed qualis agitur in Ecclesia. Nemo sibi dicat occultè ago, apud Deum ago. Deus, qui mihi ignoscit, scit quia in corde ago.* Scit enimverò Deus, & noscit quid verses, quid agas in corde tuo, ô hæretice, ô impie, qui renuis te sistere Sacerdoti, lepràmque spiritalem, qua laboras, aperire: noscit, inquam, sed non ideò ignoscit, non ideò mundat. Si enim tibi in secreto conclavi, & in corde dicenti: *Ago pœnitentiam*, peccati vincula solveret Deus: *Ergo*, inquit Augustinus, *sine causa dictum est quæcumque solveritis in terra erunt soluta in Cœlo.* *Hom. 49.*

Ergo sine causa data sunt claves. Si enim sine his è sceleris sui carcere educi potest peccator; si cœli aperiri, & patere sine illis; certè necessum est eas datas esse, & Petro, & successoribus sine causa. At hoc dicere, inquit ille ipse Augustinus, *est frustrare Evangelium, & Verba Christi.* *Potestas Clavium.*

Igitur, ut ad propositam initio quæstionem descendam: cùm leprosis olim dixit Servator optimus: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*; & vobis simul dixit, ô peccatores! *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Et hoc ad lepræ vestræ, id est, peccati remedium erit satis: tantum pandite quod intus est malum ingenua & sincera Confessione. De hac olim Tertullianus:

Confessio, inquit, *satisfactionis consilium est; dissimulatio contumaciæ.* *Lib. de Pœnit. c. 9.*

Vis, ô anime, Deo tuo, cui à crimine debitor es, satisfacere? consilium accipe Confessionis. At cujus inquies? auricularis certè, ac Sacramentalis, quæ *Græco vocabulo exprimitur, & est Exomologesis, & quæ prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est*; inquit Tertullianus.

Quo teste non est satis pœnitentes *Sacco, & cineri incubare, corpus sordibus, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare, jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies, noctésque ad Dominum*; Sed insuper *Presbyteris advolvi* vult, *& caris Dei adgeniculari*: Antiquo scilicet more, quo pœnitentes ad Sacerdotum genua abjecti in eorum aures peccata deponere solebant summa corporis animíque demissione, ut testis est Dionysius Areopagita, qui Demophylum increpat quod Sacerdotem ad Sacerdotis genua confessionis ergo procidentem, calce abjecisset, parum reverens illius demissionis, à qua quantum emanet boni, audi ex eodem Tertulliano: *Confessio auricularis.* *Epist. 8.*

Exomologesis, inquit, *de timore periculi Deum honorat, & cùm provolvit hominem, magis relevat: cùm squalidum facit, magis mundatum reddit; cùm accusat, excusat; cùm condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet* *Cap. 9. in fine.* *Integræ*

Sed, ô nefas! ô malum! quod etiam deplorat ille ipse Tertullianus; plerique sunt, qui pudore victi renuunt aperire, quod latet scelus, eíque immori malunt, quàm eo aperto, excussóque de conscientia, gratiæ Deóque vivere.

Cap. 10. Libera. Plerosque, inquit, *publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori domino offenso satisfacere, saluti prodacta reformari. Ne tu verecundia bonus ad delinquendum expandens frontem; ad deprecandum verò subducens.*

Hæc Tertullianus adversus præpostorum illum pudorem, qui linguam illigat, & os occludit, maximo peccatoris malo, cui ut medelam faciat, ex eo duo quærit:

Primùm, *An si quid humanæ notitiæ subduxerimus; proinde, & Deum celabimus?*

Alterum, *An melius sit damnatum latere, quàm palàm absolvi?*

Primùm sibi fingere extremæ est dementiæ: quia ut hominis oculos, & notitiam effugiamus; at velimus, nolimus, in Dei omnia perspicientis oculos, & scientiam incurrimus. Et hoc bonæ menti plus satis, ut pudorem vincat, ut homini ad veniam aperiat, quod Deo scit esse notum etiam ad vindictam.

Alterum autem velle, summæ in seipsum est crudelitatis. Quid enim prodest si hominem lateas, à quo nihil mali timere potes, & Deum non lateas, à quo summum malum expectare potes, ac debes? Medicinalis Certè sic latere velle, est etiam velle perire. Ne porrò sic pereatis, miselli peccatores: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Ad eos quippe vos emittit magnus animarum Medicus, ut olim leprosos illos: Nam & Levit. c. 13. vos quoque lepra gravis inficit: *Omne quippe peccatum lepra est*, inquit Theodoretus. Imò tot species lepræ, quot peccatorum.

Lib 2 Quæst. Evang. c. 40 *Falsa doctrina lepra est, quam bonus præceptor abstergit;* inquit Augustinus: *Ite* ergo eâ quotquot imbuti estis, *ostendite vos Sacerdotibus*, & eam deponite.

1. 2 q 102. *Immunditia congregationis hæreticorum, lepra est*, ait D. Thomas: hâc quotquot infecti estis, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*; & impositis eorum manibus eam eluite.

Libido, Luxuria, Gula, aliæque corpusculi illecebræ, carnis lepra sunt; eâ qui malè affecti estis, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.*

Insolens vestium luxus, ornatúsque corporis, qui fœminam olet, ac mollitiem, lepra est: Eâ quotquot laboratis, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.*

Immodica gloriæ appetentia, regnandi libido, & superbæ mentis elatio, lepra est: Eâ quondam tactus est Rex Ozias, & inde etiam lepra corporis. Eâ 4 Reg. c. 14. quoque infici solebant Ægypti Reges, adeóque etiam lepra carnis justo Dei Judicio; ut qui animum Plinius. superbiâ, ceu leprâ, polluissent; & corpus pari lue aspersum circumgestarent: hanc quicumque induistis, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*; & illicò exuetis.

Hæc quippe una est via ad sanitatem, una leprosæ animulæ medicina, quam si respuitis, profectò, & à natura degeneres, & à sana mente estis alienissimi. Ecquid enim (ut utar argumento, styloque Tertulliani:)

L. de Pœnit. c. 12. *Muta quidem animæ, & irrationales, medicinas sibi divinitùs attributas in tempore agnoscunt: Cervus sagitta confixus, ut ferrum, & irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia. Et peccator restituendæ sibi institutam à Domino Exomologesim sciens, prateribit?* Non præteribit certè, si modò attendat, quæ sibi ab Exomologesi parata animæ bona, si admiserit; & quæ mala, si eam respuerit.

Primùm enim Exomologesis, *gehennam in corde extinguit*; hoc est conscientiæ stimulos (qui peccatrici animulæ, sunt pro gehenna) sopire solet, atque suffocare.

Deinde *thesaurum ignis æterni dissipat, & adversus gehennam secunda subsidia præbet.*

Cur igitur eam non amplecteris? *Cur salutem tuam deseres? cur cessabis aggredi quod scis mederi tibi?*

Mederi, inquam, non animo tantùm; sed quod mireris, etiam corpori. Argumento erit illud Epicteti invicti Martyris: cùm misellum hominem (qui fortè ab annis quindecim morbo laborarat) sanitati reddidisset, & tam corporis, quàm animi paralysim ab eo depulisset: ejus parenti illud monitum adjecit, si sanam suam familiam vellet, si morbos, & paralysim procul ab ædibus, ac filiis; curaret ut illi frequentarent Sacramentum Confessionis; tum enim constanti valetudine Cœlo propitio donandos.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Nonne decem mundati sunt: & novem ubi sunt.* vers. 18.

CUR QUÆRIT CHRISTUS UBI SINT illi novem, qui novit ubi sint omnia?



UT ingens corpori malum erat lepra; sic & ingens beneficium illius curatio, pro qua deinde gratos esse oportebat Salvatori quàm Optimo. Ea quippe beneficio cuivis minimo lex est imposita, ut pro illo gratus sit, qui accepit: quod ipsum deinde Christus ipse edocuit B. Baptistam Veranam Franciscanam. Huic aliquando se visendum obtulit; & hæc tum illi:

4 P. Histor. S. Francis. tom. 2. l. 7. c. 24. *Si nunquam ampliùs peccares, & plures pœnitentias faceres tu sola, quàm fecerint omnes Beati, & tot lacrymas spargeres, ut faceres aliud mare, & tot pœnas patereris, quot posses pati; non sufficeret id ad gratias agendas mihi, pro minimo beneficio, quod tibi unquam feci.*

Hæc illi Christus, cui etiam & hoc divina revelatione cognitum: *Gloriosam Dei Matrem simul cum tota natura Angelica, & humana, non esse sufficientem ad gratias agendas caritati divinæ, pro creatione unius minimi floris super terram producti pro nostra utilitate, ob respectum ejus infinitæ excellentiæ, & nostræ vilitatis.* Ibidem c. 30.

Hæc illi cœlo annuente declarata, ex quibus conficies, quæ obligatio incumbat illi, qui à Deo vel minimum beneficium accepit, tum etiam quantum in leprosis illis vitium, qui benefactori suo adeò fuerunt ingrati. Hinc illæ Christi seu expostulantis, seu etiam interrogantis voces: *Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* cujus querimoniæ, & interrogationis occasione,

Primùm hîc quæram, cur qui omnia novit Deus, ingratos minimè norit? Deinde pauca subjiciam ingratitudinis symbola: tum etiam genera: tum denique supplicia.

Cùm

Ingrati Deo ignoti.

Cùm in oculos venit leprosus unus, & is quidem beneficii accepti memor, ex illo quæsivit Christus: *Nonne decem mundati sunt; & novem ubi sunt?* Vbi sint inquirit, quasi eum lateret, quem tamen nihil latet: quia nimirum *sic habet ingratos quasi ignotos*; inquit Glossa: & hinc ubi sunt inquirit Dominus. Diceres eum, qui omnia novit, ingratum non nosse: nec quod ei nomen, quis locus, quæ regio: Diceres, inquam, è creaturarum serie expunctum; & verò expunctus est.

Ingratitudinis symbolum.

Habes hujus rei argumentum in igne, qui ingratitudinis symbolum est. Vbi Möysis voce texitur series rerum creatarum, fit mentio infimi elementi, nempe terræ: *In principio creavit Deus cælum & terram.* *Gen. c. 1.*

I. Ignis.

Ignis autem quod supremum est elementum, non meminit usquam ne verbulo quidem; quia ignis ex se sterilis, atque infœcundus, nihil ex se, vel in se gignit; imò cætera devorat, & nihil reddit: *Propterea de hoc elemento non injuria siletur*, inquit Rupertus.

Quod igni, hoc & ingratis: de iis silet Deus, nec pro suis habet; quia instar edacis flammæ ingentia cœli beneficentia devorant, atque absumunt, & nihil unquam redonant. Ejus generis fuit Israël, in quem Deus Opt. Max. plena manu effudit cælestia dona, & terræ uberioris lac, & mel: tamen iis acceptis ingratus fuit; hinc de illo Deus ad Oseam: *Cap. 1. v. 9.* *Voca nomen ejus non populus meus, Quia vos non populus meus, & ego non ero vester.* Ecce qualis Israël, qui nec Dei est populus, nec illi quodammodo Deus: quia scilicet ingratus.

II. Rubus.

Hujus ingratitudinis symbolum expressum vidit in rubo, qui sentibus horrebat, orbabatur fructibus, obsidebatur flammis, non accendebatur: quod rubi vitium ad Israëlem sic transfert Divus Chrysologus:

Serm. 104. *Deus daturus Legem, ignem præmisit in rubo; sed Divinum rubus portavit, non concepit incendium: jam tunc aculeis malitiæ, & ingratum culturæ Legis populum præfigurans.*

III. Mulus.

Et hoc secundum est ingrati animi symbolum: aliud est mulus, stolidum animal, atque adulterinum, quod generatur quidem; non tamen generat: cui proinde similis ingratus, qui gratiam accipit, non rependit. Ne ex eo genere sis monet, urgetque Propheta Regius dum ait: *Ps. 31. v. 9.* *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*, ad percipienda, quæ cœlo propitio influunt beneficia, & grato animo authori reponenda.

IV. Tenebræ.

Aliud ingratitudinis symbolum sunt tenebræ, quas non dissipat lux aurea supernarum gratiarum. Appello fidem, authoritatémque discipuli qui Christo fuit à secretis, & amoribus; sic inquit ille: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Lux erat Christus, à quo lumen, radiique bonorum cœlestium undique radiabant: at tenebræ; hoc est ingrata Judæorum corda, animique, eam non aspexerunt, non admiserunt oculo mentis, ac Fidei; imò repulerunt à se quàm longissimè, invisa post homines natos ingratitudine; cujus genera tria in iis reperio, uti & in plerisque mortalium.

Ingratitudinis genera tria:

Primum fuit, estque eorum, qui beneficia sibi de cœlo collata agnoscunt quidem, & memori mente retinent; at ea in authorem suum minimè referunt, minimè ad eum revertuntur, vel gressu corporis, vel animi, ut gratias rependant.

Primum.

In hac ingratorum serie fuerunt novem illi leprosi, qui etsi sanitatem, quam erant à Christo consecuti, usurparent oculis, palparent manu, animo tenerent; non rediere tamen, nec authori tanti beneficii gratias reddidere contra dictamen rectæ rationis, ac naturæ ipsius instinctum: ut enim Joseph Judæus: *L. 4. Antiq. c. 6.* *Iusta, & naturaliter insita gratiarum actio.*

Secundum.

In secundo ingratorum genere reponuntur ii, quos alta penitus tenet, sepelitque beneficiorum acceptorum oblivio: Ex hoc fuêre Judæi, ingrata, invisáque superis capita, in quæ vertuntur illæ Vatis querelæ:

Psal. 77. v. 11. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos: benefactorum ejus, & mirabilium, quæ ostendit eis, non sunt recordati manus ejus.*

Benefacta, inquam; vel ut vertit Symmachus, *molimina* Omnipotentis Dei, qui vim suam exeruit, manúmque explicuit, ut eos educeret è servitute Ægypti.

Benefacta, hoc est, ut Apollinaris explicat, labores, & prælia, in quæ descendit Deus ipse, vel Angelus, vice Dei, quasi Dux Israëlis.

Nimirum, ô perfide Judæe, *Angelus prævius sua castra promovit, ut etiam præsenti Deo probareris ingratus*; inquit S. Zeno. *Serm. 2. de Exod.*

Ingratus dico benefactis, ingratior mirabilibus; hoc est prodigiis, ac portentis, quæ tibi sub oculos posuit; inter quæ fuit etiam illud, quod in summo Solis æstu, arentéque Ægypti terra, *Petra percussa dedit aquas*: & in hoc ingratitudinem tuam, ô Israel, arguit, arguétque etiam posterorum omnium, qui illius malè æmuli, Deo non reddunt, quod natura, ratióque reddere jubet; imò quod in se habent, & acceperunt, ut reddant; cùm ipsa petra aquas det, fundátque, quas non habet.

Et hoc est argumentum, quo utitur Oleaster ut ingratum hominem redarguat.

In cap. 20. Num. *Petra*, inquit, *dabat aquam suam: omnia etiam insensata dant Deo suo, ac creatori quidquid ab eis postulaverit; etiamsi id sua natura non habeant: solus homo negat Deo suo, quod Deus ab eo petit, nempe amorem, & præcordia sua: ferreus, & plusquam lapideus es, si dante petra aquas Deo, & populo, tu non des Domino Deo tuo cor tuum*; quod scilicet ab eo accepisti.

Tertium.

In tertia ingratorum classe inscribuntur illi, qui pro beneficiis etiam maleficia reponunt: & hi omnium pessimi, utpote, qui arma etiam in eum vertunt, à quo acceperunt. In hos cadit illud Oseæ:

Cap. 7. *Et ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum, & in me cogitaverunt malitiam; facti sunt quasi arcus dolosus*; hoc est, qui sagittario tendenti, ac vibranti nonnus *percutit dirigentem, & vulnerat Dominum*, ut explicat D. Hieronymus.

Et is Deo suo fuit Israël, *Arcus dolosus*, qui Deum quasi dirigentem percussit, & quà licuit etiam Dominum vulneravit.

Hinc illæ querelæ, & justa Omnipotentis adversus Judæos expostulatio: *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.*

Nimirum idolis ubi se inclinavit Israël, ubi filios, & filias dæmoniis immolavit; mala pro bonis retribuit; tum autem vel maximè ubi Christum morti addixit, & Cruci, & pro summo bono summum malum rependit; dum Salvatorem odio perdidit, quem servare amore debuisset.

Et hoc fuit *Iudæorum opprobrium*, inquit D. Bernardus. Neco quoque notentur Christiani, paucis exponam quid sit ingratitudo; quæ ab illa infamiæ nota inuratur Christiano nomini, quæque decreta illi cœlo vindice supplicia? *Serm. 11. in Cant.*

Ingratitudo quid sit?

Peremptoria res est ingratitudo, hostis animæ, inimica salutis, ait D. Bernardus, qui ea, qua solet eloquentiæ vi illam persequitur, & addit:

Serm. de 7. Misericordiis. *Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Hæc S. Præsul in unum veluti fasciculum collegit, eum dissolvamus, & singula seorsim expendamus.

Primùm ingratitudo *Hostis est Animæ.* Si tibi, quisquis es, ô homo, fortunarum tuarum hostis, si

corpusculi hujus esset, eum certè & à tectis tuis arceres, & à corpore, membrisque si fortè ea prehendisset, excuteres: & ingratitudinem, quæ animæ hostis est, non arcebis? non excuties? facies certè si tibi anima sit potior fortunis, & carneâ illâ mole.

Deinde ingratitudo *inimica* dicitur *salutis*, & quidem æternæ. Versaris, ô anima, medios inter hostes, à quibus non vitæ mortali periculum est; sed immortali: non de tempore agitur; sed de æternitate jacienda est alea: benè habet si tibi alicunde salus; & illi inimica ingratitudo, eam proinde ut hostem fuge, & gratitudinem, ut amicam salutis, amplectere; componet illa inimicitias, si quæ fortè inter te, & Deum intercedant.

Cùm in terris ageret B. Felix Capucinus, incurrit in duos adolescentes, qui jam posita veste, strictóque ferro in singulare certamen descendebant; quibus ille injecit illas voces sibi familiares, *Deo gratias*: & illicò ira de corde, ferrum è manibus excidit: adeò amica saluti in Deum gratitudo etiam duobus verbulis prolata.

Quod illis, hoc tibi, ô peccatrix anima; in te nudato ense irruit Divina Justitia, & jugulo tuo jam imminet, fortè irritata ingratitudine tua: quæ inimica est salutis: sed agè duas voculas expedi, & pro illa, qua te cœlum sustinuit patientia, Deo gratias age, & illicò arma cadent è manibus; & vita, & salute donaberis. Sed ne longiùs; Redeamus ad ingratitudinis species, à quibus paululùm discessimus.

Dicitur illa *exinanitio meritorum, virtutum dispersio*. Multis annis, labore multo, multoque sudore collegisti vim magnam meritorum; ea reposita habes in thesauris tuis, quibus indubiè cœlos emere debueras, ac beatitatem. Verùm ea omnia eripuit, dissipavit, absumpsitque ingratitudo: & quantum istud est malum?

Dic agè, ô quisquis es, opum, auri, gemmarúmque amatior: si per longos terrarum, marisque tractus, per Solis æstus, & Lunæ vias, per boreales auras, nivésque tibi comparasses ingentis pretii merces; si magnam opum vim; quo animo ferres eam à te tolli, unóque momento perire, quod annis multis vix peperisses? quo animo id pateris; eodem & patere ingratitudinis tuæ damna, quibus & meritis tuis vacuus, & virtutibus nudatus reverteris.

Ingratitudinis pœna. Hujus jacturæ causam si petis, pete ex ipso sinu ingratitudinis tuæ; hæc enim est *ventus urens*, qui suaviter, ac molliter incidentem supernæ benedictionis imbrem, mox halitu vehementi exsugit, exhauritque. Hæc *Fontem Divinæ pietatis* arescere facit; hæc *Rorem* bibit cœlestis misericordiæ; hæc *Fluenta* gratiæ sistit, aut aliò vertit, occluso per summum scelus animæ tuæ alveo: Ecce quæ, quantáve ab illa damna.

Exempla si voles, ea suggeret ætas majorum, & præterita longè sæcula.

Præf. in Psal. Judaico populo duas legis tabulas dedit Deus; sed primæ mox à Moyse contractæ, quia necdum gratiarum *Cantico firmata*, inquit S. Ambrosius: Secundæ servatæ, & integræ manserunt in ævum; quia *tali signaculo consecratæ*: tantùm interest, quis sis acceptis à Divina manu beneficiis: iis etiam si gratus existas, ea retines, & miris auges incrementis; sin autem ingratus, ea deperdis; imò & periculum incurris justæ in caput tuum ultionis.

a Reg. c. 10. Hujus exemplum dabit Rex Ezechias, retulerat illæ ingentem de hoste victoriam, in qua cœlestis genii manu cæsa ex Assyriis centum octoginta millia. Fortunatus ille belli exitus, hostiúmque strages, Ezechiæ animum erigere debuerat, & in Dei sui laudem grato animo efferre: at non extulit, non excivit in gratiarum actiones. Et hinc illicò gravi

Isai. c. 38. v. 1. percussus morbo prostratus jacuit, venitque ad ipsa mortis limina; *ægrotavit Ezechias usque ad mortem*.

Causa tam subitæ ægritudinis, non alia, quàm ingratitudo: nimirum Superi gratos animos attollunt; ingratos verò deprimunt: sed hæc pœna levior videri potuit, quia hæsit in corpore, nec evasit ad animum; tempori servit, non duræ æternitati; at illa cujus initio memini, quòd scilicet ingrati Deo sint ignoti, est longè gravissima: quia mentem occupat, & in æternitatem portenditur.

Ad illas cœlo vindice illatas ingratitudini pœnas, accedit ingens probrum etiam non fere humano genere, quod etiam ab animantibus se patiatur hac in parte vinci.

In vita Abbatis *Gerasini* refert illud *Joannes Moschus In Vitis PP. c. 108.* dignum omnino quod eat in posteras ætates. Fortè pius Abbas ad Jordanis ripam inambulabat secum agens, & cum Deo tacitis cogitationibus: cùm ei occurrit Leo, cujus pedi infixa spina & tumorem causarat, & magnum doloris sensum; quem ut mitigaret, aut tolleret, seni ostentare cœpit aculeo læsum, & quàm pessimè affectum pedem, & quâ rugitu, quâ etiam ejulatu opem quodammodo flagitare: quam ut afferret senex in genua procubuit; Leonis pedem apprehendit, spinam edunt, & saniem è vulnere copiosè manantem; & insuper panno illigavit, ac liberum dimisit.

Quid hic Leo, animalium princeps, & natura ferox, ac timendus? An senem dimittat? an abeat in saltus, & nemora? an ex genio suo prædas agat? Minimè verò: seni adhæret, senem comitatur, senem ubique sequitur, ut solet animal sicut ac domesticum, ut herum canis, aut catellus. *Ingratitudinis exprobratio.*

Erat autem & seni asellus, quo utebatur senex ut ea Jordane ad Monasterium aquam deportaret in fratrum usus, & commoda: & hunc asellum comitabatur Leo, velut fidus illius custos, ac tutor. Evenit autem ut fortè ab asino cum paullò longiùs abesset Leo, Camelarius unus aliquis ex Arabia veniens, asellum caperet, atque abduceret.

Quid rursum hic Leo? Ad monasterium quasi subtristis, ac dejectus amisso comite. Cui Abbas: *Ubi est asinus?* caput demisit Leo, demisit jubas & caput. Cui rursum senea: *Comedisti eum: Benedictus Deus. Quidquid faciebat asinus, facies tu.* Nec mora, nec à ferociente leone præcipienti injecta remora. Jussit Abbas, & paruit Leo, ac deinceps canthelium portavit capientem amphoras quatuor, tulitque ad monasterium. Fortè ad hoc venit miles, Leonémque vidit, ceu bajulum aquas deportantem, causamque intellexit ex Abbate: quod scilicet Leo quasi reus asinicidii portaret aquas in pœnam admissi sceleris, illiusque misertus tria numismata seni dedit, ut ex iis asellum emeret, qui deinceps subiret onus, Leonémque liberum dimitteret, quod factum est, & factum benè. Labitur interea tempus non modicum, cùm ille ipse Camelarius, qui asinum abduxerat, rediit ferens triticum eodem ad hoc usus asino, cumque Jordanem trajecisset, fortè illi occurrit Leo, quo viso camelos illico dimisit, dimisit & asinum, quem ut vidit, agnovitque Leo, in eum statim incurrit, atque ut priùs solebat, dentibus ejus capistrum mordens eum cum tribus camelis ad monasterium reduxit, eáque præda quasi lætus, ac triumphans, bono seni, ac Domino asellum perditum restituit, jubásque dimisit. Agnovit senex perperam à se accusatum, damnatum, punitúmque Leonem, ac deinceps in monasterio liberum aluit, nomenque imposuit *Jordanus*. Vixit porro Leo ibidem annos quinque: non Leonem credidisses; sed domesticum jumentum. Interea absente fortè Leone, obiit Abbas, & non procul ab Ecclesia sepultus peracto de more officio, redit Leo, ad quem sic *Sabbatius Cilix* illius successor: *Jordane, senex noster obiit, & nos reliquit orphanos: sed accipe, & comede.*

Mirum

Mirum sanè dictu, visúque: nec comedere voluit Leo: Sed huc illúcque circumspexit, num fortè senem videret, eúmque quæritans horrendum irrugit: crederes benefactoris sui vel absentiam, vel obitum lugere: & certè lugebat: quod ne diutius faceret, abblandiri illi *Sabbatius*, abblandiri & alii fratres, molliterque mulcere jubas, ac dicere: *Migravit senex ad Dominum, & dimisit nos.* Sed neque sic mitigari potuit Leo, nec placari, imò quæritare magis, atque in rugitus ejulatúsque effundi totus, testarique quà poterat; quis sibi de amisso sene sensus, quisve dolor, ac luctus esset. Cui deinde Senex: *Veni mecum, & ex quo non credas nobis, ostendam tibi ubi positus sit senex ille noster.* Dixit, & jubas apprehendens ad locum eduxit, adjecitque illud ad Leonem: *Ecce hic senex noster sepultus est*; dixit, & genua posuit quasi Deum, superósque pro illo oraturus.

Quid interea Leo? primùm hæsit quasi stupore attonitus; tum prostratum *Sabbatium* intuitus, & ipse seipse prostravit, magisque quàm aliàs unquam irrugiens, atque ejulans, iterum, iterúmque terram capite quatiens concidit totus, & vivere desiit: diceres vivere non posse nisi viveret benefactor, moriique etiam debere eo mortuo. Et certè mortuus est, & sepulchro ipsi immortuus.

His te volo, te compello, mi Lector; quis tibi sensus? quis animus? quis & tibi, ô ingrate superis homuncio! Vide quis & Leoni.

Animal est, & quidem brutum animal, expers rationis, & animæ rationalis, & tamen benefactori suo gratum est, illi vivit, illi laborat, illi compatitur; imò & commoritur: tu Deo tuo, Christo tuo, supremóque Domino, nec gratus es, nec vivis, nec laboras, nec compateris, nec commoreris.

Senex Leoni è pede spinam extraxit, vulnus curavit, saniem eluit, & probè colligavit: tibi Deus, tibi Christus, non dico spinam è pede eduxit: sed infixum animo letalem aculeum, peccati, inquam, aculeum extulit, vitæque reddidit, ac cœlo etiam si voles; & tamen adhuc ingratus es non sine probro, infamiáque dedecore tui generis, non sine superum injuria, Deique ipsius, summi tui benefactoris. O probrum! ô monstrum ingratitudinis, cui etiam irrugiant Leones; in quod involent, quod impetant, laniéntque vindici dente, morsúque: & verò una peterent, ac laniarent, si modò cœlum pateretur.

Hic stylum è membrana subducere parabam, cùm ecce occurrit aliud, & quidem illustre gratitudinis exemplum, in quod elabi calamum libentiùs patior, quod ab animali sit, & quidem ferocissimo: *Hyæna* est, cui fortè, cùm catulus cœcus natus esset, nescio quo impulsu, cœlesti sanè, ad *Macarium* accurrit, cellæ illius fores capite pulsavit, admissáque catulum ad viri Sancti pedes abjecit.

Agnovit ille quid spectaret, expectarétque *Hyæna*: catulum accepit, in ejus oculos exspuit, & curavit. Catulum jam sanum, & probè oculatum recepit Hyæna, suo lacte pavit, & abiit: sed accepti beneficii memor, imò & grata, ac benefica: die enim sequenti ad virum Dei rediit, & pellem magnæ ovis ad illius pedes, quasi donum, quasi honorarium abjecit. Cui Macarius: *Vnde tibi illa pellis? Vtique ab ove quam laniasti, & suo vellere spoliasti. Ego per injuriam, & per vim acceptum non accipio.* Quid interim Hyæna? caput inclinat quasi patratum à se facinus agnoscens, abjicit se ad Sancti genua, pedésque veluti rea, veniámque deprecans, ac pellem ovinam iterum, iterúmque deponit, quasi testem, quasi tesseram gratitudinis.

Quid deinde Macarius? Urgeri se videt, sentitque; tum sic ad Hyænam: *Dixi me non accepturum nisi spondeas, imò & quà potes etiam jurato affirmes, te imposterum pauperculos pastores non offensurum, eorum oves devorando, ac spoliando.*

Vix hæc dixerat, cùm caput inclinavit Hyæna quasi annuens, sanctéque illud adpromittens. Sic oblatam sibi pellem accepit, rennuitque Macarius, à quo & B. Melania eam deinde accepit, servavitque seros in annos. *Palladius in Vita PP. l. 8. num. 20.*

Hic iterum ad te redeo, Amice Lector, petóque ut etiam à feris & quidem maximè efferis gratus esse discas, gratus, inquam, Deo, à quo non lumen oculorum, & corporis accepisti (quod exiguum esset) sed mentis, & animæ (quod longè maximum.) Sed ne longiùs.

****

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.



HILDEBERTUS, magnus in Gallia Præsul de Rege magnificè protulit illud: *Regiam manum meliùs donativo splendere, quàm sceptro.* Quod ego ad Dei ter Opt. ter Max. manum spectare magis, & liberè, & verè pronuntio: hæc enim non tam sceptro, grandibúsque gemmis; quàm largitatibus, donisque est luminosa, ut proinde meritò cecinerit olim Regius Vates: *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*: hoc est benedictione, atque ubertate, quam ut commendet CHRISTUS hominem de Divina illa largitate, ac Providentia minùs confidentem, primò, vocat in apertam campi planitiem, ut ibi oculo legat, & animo *Lilia agri, quomodo crescant*, quà gratia, quà venustate: deinde assurgere vult in aëra, & attendere *volatilia Cœli*, quæ etsi nec serant, nec metant, nec congregent in horrea; pascuntur tamen, & vivunt, non alia providentia, quàm cœlesti; quæ *aperit manum suam, & implet omne animal benedictione.* *Epist. 1.* *Psal. 103. v. 28.* *Psal. 144. v. 16.*

Denique cum ipsum hominem ab his revocat ad seipsum: ut consideret staturam suam, & corporis incrementum, quod sensim fit, ipso minimè cogitante; & hoc solo Dei nutu, motuque naturæ, quæ in illius fabrica laborat, etiam dum sopitur, profundumque obdormiscit.

Et hæc sunt argumenta, ex quibus CHRISTUS, ceu Magister optimus, conficit apertum Omnipotentis oculum vel maximè invigilare mortalium commodis: si enim illi de Liliis agri, de cœli volatilibus, de carnea, ac lutea mole cura est: Quantò magis de immortali spiritu, quo vivit, ac spirat homo? quem proinde ad altiora natum, ac fictum oportunè monet quærere Regnum Dei, & Iustitiam ejus; tum enim fore, ut liberalius adjiciantur ea, quæ ad brevis ævi cursum, ad vitæ usuram, ad victum, vestémque necessaria videbuntur. Et hæc est brevis Evangelicæ doctrinæ series: de qua ista

EX D. THOMA.

Matth. c. 6. EX his verbis: *Nemo potest duobus Dominis servire*; conficit Deo soli serviendum, & hoc propter quinque:

Serm. 2. Primò, *Propter congruitatem*: cùm enim omnia Deo serviant, congruum est, ut & illi homo serviat.

Serviunt autem illi omnia *tripliciter*: 1. *Præcepta* *Psal. 148.* *sibi data implendo. Præceptum posuit, & non præteribit.* 2. *Rebelles Deo puniendo.* 3. *Amicis ejus benefaciendo.* *Cap. 16.* De his duobus ita Sapiens: *Creatura tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos, & levior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.*

Secundò, *Propter veri Domini proprietatem*, quam Deus solus in nos habet. Hoc autem *Dominium possidet* *Psal. 4.* *triplici Iure*, 1. *Iure Creationis. Ipse fecit nos, & non ipsi* *2. Cor. 6.* *nos.* 2. *Emptionis.* De hoc Apostolus: *Empti estis pretio magno.* 3. *Vitæ educationis*: *Dat* enim *escam* *Psal. 135.* *omni carni.*

Tertiò, *Propter dignitatem serviendi Deo*: ea porrò dignitas triplex: 1. *Triumphalis*: ut hanc assequaris, *2. Timot. 2.* *Labora ut bonus miles Christi.* 2. *Sacerdotalis.* 3. *Regalis*; *Fecit* enim *nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes.* *Apoc. 5.*

Quartò, *Propter necessitatem ei serviendi*; hæc autem petitur ex triplici capite: 1. Quia qui ei servire noluerit subjicietur hostium suorum servituti. 2. Bonorum omnium penuriam patietur. 3. Sub multiplici miseria penitus conteretur. De his sic olim Israëli: *Eò quòd non servieris Domino Deo tuo, servies* *Deuter. 28.* *inimico tuo, quem Dominus immittet tibi*: Ecce primum. *In fame, & siti, & nuditate*: Ecce secundum. *Et imponet jugum ferreum, donec conterat te*: Ecce tertium.

Quintò, *Propter utilitatem*: ea porrò triplex. 1. *Ab omnibus inimicis liberatio. Servite illi soli, & liberabit* *1. Reg. 7.* *vos de manibus inimicorum vestrorum.* 2. *Ineffabilis cordis exultatio*; ad hanc invitat Regius Psaltes: *Servite* *Psal. 99.* *Domino in lætitia.* 3. *Æterna omnium deliciarum fruitio*; ad quam sic evocat Dominus: *Euge serve bone, & fi-* *Matth. 25.* *delis, intra in gaudium Domini tui.*

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 14. post Pent. Serm. 1. DIvus Bonaventura expendens illud primæ Veritatis Oraculum:

Nemo potest duobus Dominis servire; ostendit cur omninò non possit.

Primò, *Dissimiles sunt isti duo Domini, Deus, & diabolus: Primus enim est Suavissimus; Secundus, Crudelissimus*,

Secundò, Quia dissimilia, imò contraria inter se, & pugnantia sunt eorum imperia, atque servitia.

Deo, quippe, *servitur flendo, per pœnitentiam; diabolo ridendo per lasciviam.*

Deo servitur vigilando, in custodia contra diabolum: diabolo autem servitur dormiendo in negligentia contra Deum.

Deo servitur ascendendo de virtute in virtutem usque in cœlum; diabolo autem descendendo de vitio in vitium usque in infernum.

Sicut ergo nemo potest simul flere, & ridere; vigilare, & dormire; ascendere, & descendere: sic nec istis Dominis simul servire.

Tertiò, Quia ut contraria sunt istorum dominorum servitia, sic & præmia; *Alter enim remunerat servos suos cum corona; alter cum gehenna.*

Hæc ubi confecit S. Doctor, docuitque repudiandum esse diabolum, ut uni serviamus; tum nos in spem, ac fiduciam erigit ex illis Christi verbis: *Serm. 2.* *Scit enim Pater vester, quia omnibus his indigetis. Pater*, inquit, est *Deus*, quatuor omninò titulis:

Primò, *Propter paternam procreationem*; *Nonnè ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit te, & creavit te?* *Deut. 32.* *Fecit corpus, creavit animam, possedit totum.*

Secundò, *Propter paternam dilectionem*; qua nos reduces ad se excepit, ut filium prodigum bonus Pater.

Tertiò, *Propter paternam procreationem*; qua de victu, vestitu, aliísque ad vitam necessariis providet, quod in spem, ac fiduciam elevare debet: *Adhuc enim vivit qui Iudæos quadraginta annis nec serentes, nec metentes pavit: quid ergo timent Christiani, quando tam liberaliter procurantur Iudæi?* inquit Bonaventura; qui etiam hæc addit, ut spem augeat: *O Christiane quare amarus es? qui tibi dat seipsum, quomodo non daret tibi cibum? qui tibi dat Spiritum sanctum, quomodo non victum? qui tibi virtutes, quomodo non vestes.*

Quartò, denique *Pater* est *Deus*: *propter paternam hæreditatis collationem*; ad quam, ut piis monitis, ceu manu, ducat Servator optimus, ad extremum adjicit.

Quærite ergò primum Regnum Dei, & justitiam ejus; quæ verba sigillatim expendit S. Doctor?

Quærite, inquit: 1. *Cum soliditate cogitatus.* 2. *Cum aviditate appetitus.* 3. *Cum strenuitate effectus*; Sicque per omnes animæ vires, ac potentias: quarum *Prima inquisitio est potentia cognitiva per fidem*: 2. *Potentia affectiva per Charitatem*: 3. *Potentia operativa per spem*: Sic enim, sic quærendum est Regnum Dei, & quidem *primùm*, id est, *ante omnia.*

Regnum, inquam, *Dei in quo divina, & summa charitas, ex quo redditur speciosum ad videndum; Immensa bonitas, ex qua redditur deliciosum ad perfruendum*: Denique *omnimoda contrarietatis ablatio, ex qua redditur sempiternum, ad permanendum.*

Ad extremum adjicit, *& justitiam ejus.*

Quæritur autem ea justitia tribus modis: 1. *Est simplicitas intentionis in declinando malum.* 2. *Strenuitas operationis in faciendo bonum.* 3. *Studiositas sollicitudinis in corrigendo erratum.*

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.
Ad illa verba : *Nemo potest duobus Dominis servire ; non potestis Deo servire & Mammonæ.* Matth. cap. 6. v. 24.

CUR HOMO UNA SUI PARTE DEO servire non possit, & alterâ Mammonæ?



ONSTAT homo spiritu, constat & corpore, ceu gemina sui parte. Cur una Deo, altera Mammonæ dari non possit? Cur una illius leges, ac placita; & altera hujus imperia admittere non possit?

Ratio petenda nobis erit, primùm ex eo, qui imperat; deinde ex illo cui imperatur; denique ex ipsa hujus, & illius servitute, atque imperio, & pugnantibus inter se præceptis.

Ad primum quod attinet: Deus, est ter Opt. ter Max. & omnium conditor, ideóque consortis impatiens: *Quia Deus totum hominem condidit: habere eum communem cum adversario non dignatur*; inquit D. Gregorius. *1. Reg. c. 7.*

I. Ratio ex Deo. Deus est: adeóque tu illius templum, ô homo! in quo proinde simul, cum Mammona coli non potest.

Ad historiæ tum profanæ, tum Sacræ fidem appello.

Plutarch. Marcellus belli fulmen, & Romanæ gloria gentis; cùm è Sicilia victor Romam rediisset, templum unum erigere voluit, dicaréque tum Honori, tum Virtuti, ceu geminis Diis. Habitum super eo solemne Mystarum concilium; itum ad suffragia, & communi calculo reclamatum; quod Deas duas: *Gloriam*, & *Virtutem* una ædes non caperet. Ideóque duas extrui placuit: Primam scilicet Virtuti; Secundam Honori. Nimirum in cæca illa gentilitatis nocte etiam is sensus fuit, duo Numina, vel si mavis, (quod in re erat, ac veritate) etiam duo Numinum simulacra simul coli non posse.

Philistæi, gens in primis superstitiosa, & perfida, idolum Dagon unà cum fœderis Arcâ eodem in templo, aráve deponi voluit: & verò etiam deposuit: at scelus inultum esse Deus non est passus: nec simul stare voluit Arcam, & Dagon: hoc enim illicò subvertit; *cúmque surrexissent diluculo Azotii, altera die ecce Dagon pronus jacebat in terra.* *1. Reg. 5. v. 3.*

Cùm deinde illud insano ausu tursum extulissent, & in locum suum restituissent, cœlo vindice iterum eversum abscissis etiam capite, ac manibus. Nimirum Deus immortalis, qui è cœli specula spectabat temerarios illos Philistinorum conatus, eos illicò evertit, nec tulit unquam Arcam suam cum idolo eadem in æde, aráve consistere.

Et qui feret in eodem homine, ceu Divinitatis suæ templo, coli etiam Mammonam? certè non feret.

In superum Regia, Empyrei sede, ac beatitatis, sese quondam extulit Lucifer, & cœleste quodammodo imperium cum Deo partiri voluit. Hinc insolentes illæ voces: *Sedebo in monte Aquilonis, & ero similis altissimo*: quasi diceret, Deo meridiem ubi cubat, ubi quiescit, relinquam; in eo se jactabit: ego Aquilonis verticem occupabo, & æquo quasi jure regnabo.

Quid deinde? & ecce illicò pulsus è Cœli regia, & fulguris adinstar præcipiti lapsu ad inferos detrusus: adeò verum etiam in cœlesti Regno pari jure duos dominari minimè posse.

Et certè, si homines inter, & in terræ puncto ejusdem Regni consors non admittitur, qui admittetur in Cœlis?

Alexandro Darius jam propè subactus medium regnum obtulerat, cui ille sic liberâ, egregiáque voce.

Unicum Cœlum duos non patitur soles, unicum Imperium duos non patitur Imperatores. *Plut. in Alex.*

Qui Alexandro sensus fuit, idem deinde & posteris Imperatoribus.

Roma nascens duos vidit, eósque fratres: Romulum, & Remum; nec tamen duos tulit: *Roma ut condita est, duos fratres simul habere non potuit*, inquit Minutius Felix in Octavio.

Eadem Roma jam adulta, & in regni sui flore, Augustum, & Antonium non est passa: hinc ad bella, cædésque ventum est; utque advertit ille ipse Minutius, *Generi, & soceri bella toto orbe diffusa sunt*; & hoc ideò tantùm, quia unius Imperii, licèt maximi fortuna, duos non cepit: adeò verum illud Poëtæ: *Semperq; potestas impatiens consortis erit.*

Quod & verum etiam in brutis animantibus, eorúmque ductu, à quo Minutius argumentum trahit in superos, Deúmque ter Opt. ter Max.

Rex unus Apibus, Dux unus (inquit) *in gregibus, in conventu rector unus: tu in Cœlo summam potestatem credis dividi?* Non credas sanè, si is sis, qui velis esse, Christianus: nec dividitur in Cœlis summa potestas; nec in terris cum aliis dividi patitur: stat enim, stabitque in ævum oraculum illud primæ Veritatis; *Nemo potest duobus Dominis servire; nec potestis Deo servire, & Mammonæ*; quod & verum etiam ex illo, qui servit. Is est pusillus homo cujus cordis angustiæ duos non capiunt Imperatores. II. Ratio ex homine.

Seneca de terræ globo, quo tot vertuntur imperia dicere solebat: *Punctum est istud omne in quo bella geritis & regna disponitis.*

Quod ille de terræ puncto; hoc ego de humano corde: punctum est illud, in quo tamen (ô malum! ô nefas!) & mundus, & caro, & dæmon bella gerunt, & regna disponunt: sed frustra; ea non capit punctum, nec plures dominos patitur; si unum admittit, alterum ut excludat est necesse.

Testor Isaiæ fidem, atque Oracula: in quibus sic ille de humano corde sub symbolo lectuli: *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non potest.* *Cap. 28.*

Cor hominis stratum est, & lectulus; sic enim eum appellandum censuit Sponsa: *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea.* *Cant. 3. 1.*

In lectulo, ut, ut inde conficias, quæ illius angustiæ; eæ scilicet quæ unicum capiant, excludant cæteros: in hoc lectulo pallium breve, quod etiam unum operire potest, non plures; unde necessum est primum discooperias, si secúdum etiam malè tegere velis: quod ipsũ Israeli objecit Deus non sine probro.

Quia,

Cap. 17. *Quia*, inquit, *juxta me discooperuisti & suscepisti adulterum*; imò & adulter ipse fuisti, & infidelis Israel: qui præter me sponsum, & amantem tui, alios amatores admisisti; idola scilicet, quibus amores tuos inclinasti, ideoque mecum in spiritali conjugio permanere non poteris, quia lectus amoris mei ita arctus est, ut non nisi sponsam, & sponsum unum capiat.

Ausonius. Nimirum *duo socios non recipiunt, amor, & principatus: nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt*; ut rectè canit tragicus Poeta.

Quod si ea regni, & conjugii lex est; ut nec consortem illud, nec hoc admittat; & ea quoque est illius, quæ debetur Deo, servitutis.

Quod ipsum agnovit olim, & libera voce professus est Arsenius; objicienti enim, quod à Theodosio, & duobus filiis principibus Arcadio, & Honorio abiisset, quod discessisset ab honorata illa servitute, respondit: *Non possum me dividere Deo, & hominibus*; nec unam mei partem aulæ, alteram aris devovere: aut me totum habeat Theodosius; aut totum Deus. Et hic quidem habiturus suo, id est, summo jure.

Hæc verè, & piè magnus Eremicola, probè Doctus ab illo Christi oraculo: *Nemo potest duobus Dominis servire.* Quæ verba quisquis aure fideli, animoque meliore hauserit: abibit illicò à carne, cui servivit; à mundo, cui se dedidit; à dæmone, cui malè paruit, benè conscius non posse se duobus dominis servire.

Ità quondam à sæculo discessit Nepotianus; cùm enim inter sacra solemnia audisset prælegi illud Evangelii: *Nemo potest duobus dominis servire*; illicò mundum, ceu priorem dominum, valere jussit; ut Christo, Deoque uni serviret: ratus quod erat, utrique servire se nullo modo posse. Qui enim id posset?

Deus spiritus est, & quidem purissimus. Quid igitur in servitute illi cum Carne commune esse possit?

Deus est Veritas: quid illi cum Mundo, qui est puta vanitas?

Deus est Lux, & quidem Divina: quid illi cum tenebris.

Deus est Vita; & quidem æterna: quid illi cum morte?

Deus est ipsa sanctitas; quid illi cum scelere?

Deus est salus, ac beatitas; quid illi cum damnatione? Certè si cum his, & illis Deo nihil possit esse commune; neque etiam cùm illa, quæ ei impenditur servitute.

Accedit deinde, quod ut Domini inter se pugnantes ac contrarii; sic & pugnantia, & contraria inter se eorum servitia. III. Ratio ex contrarietate præceptorum.

Diabolus (quem subinde misellus homo tyrannum patitur) ad ea inclinat, quæ sunt peccati, & abjectæ stygis: Deus autem ad illa erigit, quæ virtutis sunt, ac beatitatis.

Caro, quæ in animam dominationem affectat; ea præcipit, quæ carnis sunt, ac putidæ voluptatis; Deus autem ea, quæ spiritûs.

Mundus, qui & ipse in hominem tyrannidem suam exercet, ea imperat, quæ sunt vanitatis; Deus autem, quæ veritatis, & boni solidioris.

Qui huic, & illi parebis homo? Certè non parebis: quia & repugnantes inter se Domini, & repugnantia eorum imperia. Superest igitur ut uni Deo, ceu Domino servias.

Ad hanc servitutem te natura formavit, ratio veluti manu duxit, & felix quædam necessitas impulit. nasceris enim velis nolis, ut sis servus; benè habet si Dei ter Opt. ter Max.

Dignitas est servum esse potentis; felicitas servum esse sapientis; spes, & securitas est servum esse divitis, inquiebat D. Ambrosius. In Epist. 2. ad Timoth.

Quod si ita est etiam in humanis, quæ amabo te, mi Lector, quæ dignitas erit servum esse Omnipotentis, cujus nutu regitur quidquid aut in terris est, aut in cœlis, aut etiam in inferis. In cujus conspectu tremunt, qui portant Orbem, & qui tribus digitis apprehendit fundamenta terræ.

Quæ felicitas erit servum esse sapientis, imò ipsius sapientiæ discipulum.

Quæ denique spes, ac securitas servum esse divitis; divitis inquam in omnes, & cujus est Orbis terrarum, quantus, quantus is est; è cujus manu, ceu bonorum omnium cornucopia, & argenti pretium, & auri fulgor, & gemmarum lux in subjectos omnes defluit, & cujus beneficentia nunquam sicco alveo exarescit.

Certè illius servum; imò & mancipium esse, & summa dignitas, & suprema felicitas, & spes, ac securitas nullo unquam au casu evertenda, aut ævo finienda.

QUÆSTIO SECUNDA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Respicite volatilia cœli.* vers. 26.

CUR NON HOMINES CÆLESTES?

Cur non animalia terrestria?

Cur non homines, Ic mihi duplex injicitur quæstio: Una cur Magister Optimus Discipulos suos non evocet ad viros alienos à cura rerum temporalium, ut eos ab eadem revocet? Altera cur non etiam ad animalia terrestria?

Ad primam quod attinet, occurrebat Moyses, qui & quadraginta diebus jejunus, & quasi oblitus sui corpusculi.

Occurrebat etiam Elias, qui olim benè pastus à corvo, quia sui parum memor.

Occurrebat & Joannes in avia solitudine, nec mãducans, nec bibens: Cur igitur ad illos non ducit Salvator optimus? Cur non trahit in exemplum? Hic vertitur cardo quæstionis, ad quam succurrit

Prima ratio: quia mox obtrudere potuit unus aliquis, nec sibi Moysis, aut Eliæ virtutem, nec Joannis abstinentiam adesse; & hæc ratio petita ab hominis imbecillitate. I. Ratio.

Altera ducitur ab exemplo Scripturæ, & antiquæ Legis, quæ homines remittit ad animalia, ut ab illis discant cœlo sapere, ac Deo. II. Ratio.

In hoc, inquit D. Chrysostomus, *Legem imitatus antiquam: nam vetus quoque Lex ad apem, ad formicam, ad turturem, ad hirundinem aliquando remittit*; sic & Salvator.

Tertia

III. Ratio. Tertia ratio est Theophilacti: *Meminit avium*, inquit, *ut admoneat nos etiam illis brutiores esse*; ut qui ab illis doceri debeamus, quid opus facto. Cap. I. v. 7.

Homil. in Dom 15. *Milvus in cœlo cognovit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit Iudicium Domini*; inquiebat ore querulo, & tristi nænia Jeremias.

Et meritò, quia milvus cognoscit tempus suum, quod tamen homo ratione præditus non cognoscit: hirundo, & ciconia statis temporibus eunt, redeúntque: & homo stata Deo serviendi tempora non observat: favos cudunt, & excudunt apes, diurno intentæ labori, à quo nullum illis otium, nullæ vacuæ sunt ab opere horæ: & homo dies, & annos inani terit otio: formica æstate calida, frigidæ, inertíque hyemi providet, & futuris quodammodo prospicit; & homo in æstu juventutis suæ, senescenti, ac frigidæ ætati non consulit, nec futura longè ante aspicit, nec æterna cogitat.

Hirundines, cæteroquin garrulæ, norunt tamen etiam ad primas Sanctorum voces, atque imperia, altùm silere; obedientiæ tenaces in paucis: & homo nec Sanctis obedire, nec ipsi Deo. O pudor! ô stupor!

Lucas Wadingus tom 2. in Annal. Minor. In castro Alviano concionem ad populum habebat D. Franciscus, cùm ecce ibi nidificantes hirundines suo garritu obstrepere, & sacro Oratori importunæ esse, atque molestæ; ad quas tamen sic ille:

Sorores meæ hirundines jam tempus est, ut loquar & ego, quia vos modò garr stis plus satis. Audite nunc Dei verbum, & profundum silete.

Silent illæ ad Francisci nutum, vocémque, Deíque verbum excipiunt; imò deinde ad solum illius nomen conticescunt.

Lutetiæ Parisiorum dum studiis vacat unus aliquis; ecce illa turbat, interturbátque sua garrulitate hirundo. Et hæc, inquit ille, est una ex illis, quæ ad Francisci imperium illicò conticuerunt. Tum sic ad illam: *In nomine servi Dei Francisci præcipio tibi, ut ad me veniens taceas.*

Venit illa, & tacuit, adeò dicto obaudiens, adeò Francisci nominis reverens. Et homo nec ipsi Deo obaudiens, nec illius Majestatis reverens.

Quid ergo mirum, si à Christo, Magistro quàm optimo ad volatilia cœli, ad ipsas hirundines ire, & aspicere jubeatur.

Ubi ad homines malè auritos dixit S. Franciscus, ad aves sermonem convertit, & sic ad illas oratione simplici, & candida. Sorores meæ volucres laudem debetis Deo conditori, qui vobis dedit & pennarum remigium, & liberum aërem, & annonam propè semper obviam, ac parabilem.

Ad has pii Oratoris voces, quasi gratulabundæ, ac gestientes & alas extendere, & rostra aperire, & plaudere, nec avolare nisi accepta priùs à viro Dei benedictione.

Et hæ aviculæ veluti memores, gratæque cœlesti beneficentiæ, ex cujus æstimatione est

IV. Ratio. Quarta ratio, quæ profertur ab Eusebio Emisseno, estque, ut loquuntur oratores, à fortiori: si enim Divina Providentia occupatur, & vacat alendis avibus, quæ hominis gratiâ conditæ sunt; quantò magis vacabit sustinendo homini, quem sui unius causâ creavit, ac condidit?

V. Ratio. Quinta ratio eò spectat, ut accepti à Divina Providentia beneficii memor sit homo, ut grates authori suo, ac nutritio rependat, ut fructus ferat, exemplo vel terræ, communis matris; vel animalium: quod dum non præstat, & his, & illa pejor esse convincitur; ut enim disertè D. Ambrosius: *Non deest terra obsequiis suis, non bestiæ desunt muneribus suis, quæ solemnes solvuntur in partus, ut homini nihil desit.*

Lib. de Noë & Arca, c. 24. *Homo solus partibus suis deest, nescit authorem suum, à quo omnia ei ministrantur, negligit conditorem.*

Venio ad secundam quæstionis propositæ partem, cur scilicet Dominus in exemplum adducat animalia volatilia potiùs quàm terrestria? Cur volatilia?

Abulensis hanc rationem producit, quod volatilia cibos, & annonam non congregent saltem ad prolixi temporis usuram: quod tamen faciunt terrestria nonnulla, uti formica, quæ adulta æstate convehit, ac reponit in multam hyemem.

I. Ratio. Et hoc provido naturæ consilio, quæ terrestribus animalibus eum instinctum indidit; negavit autem volatilibus, quòd hæc omni ferè tempore advolare possint ad annonam conquirendam sine magno labore, & nisu; illa verò ad eam vix, ac ne vix quidem adrepere.

In cap. 12. Luc. Divus Ambrosius aliò mentem vertit, & ait: *Volatilibus cœli idcircò inelaborati pabuli usus exuberat, quod fructus sibi communes ad escam datos speciali quodam nesciunt vindicare dominatu: nos communia amisimus, cùm propria vindicamus.* II. Ratio.

Nam nec proprium quicquam est, ubi perpetuum nihil est; nec certa copia, ubi incertus eventus.

Aves cœli speciale sibi nihil vindicant, & ideò pabulis indigere nesciunt.

Hæc S. Præsul, qui discrimen statuit homines inter, & aves, simúlque cur hæ de pastu minimè sollicitæ; illi verò anxii quàm maximè. Tam avibus, quàm hominibus dati communes fructus in escam: sed hi seu gula insolentiore, seu malè sana ambitione communia ut propria vendicant, & arrogant sibi, ideóque sæpiùs illis privantur: at illæ contra cùm nihil sibi vendicent omnia habent in promptu, nec ullis egent, ita illis providente natura, vel potiùs authore omnium Deo.

Et hinc oportunè adducuntur in exemplum illius, quæ debet esse in Divina Providentia spei, atque confidentiæ; imò & gratitudinis: & hinc

III. Ratio. Divus Maximus opinatur à Christo Servatore hîc produci volatilia cœli, quòd symbolum gratitudinis esse videantur; sic enim ait:

Hom. 2. de non timēdis host. carnal. *Aves propter viles escas gratias agunt; tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es? quis non erubescat sensum hominis habens sine Psalmorum celebritate diem claudere, cùm ipsæ aves ad gratificandum Psalterii suavitate persultent; & ei gloriam non versuum dulcedine personare, cujus laudes, volucres modulata cantilena pronuntiant?*

Hæc ubi dixit pius Præsul, tum versa ad hominem oratione, ita rem conficit.

Imitare ergo frater minutissimas aves; manè, & vesperè creatori gratias referendo.

IV. Ratio. Censent alii Servatorem Optimum hîc avium meminisse, quòd eas præ terrestribus animalibus haberet in oculis, & puris amoribus; quod & notatum in ipso Creatore, primáque Universi molitione, quippe volantibus cœli benedixit Deus, ubi primùm eas in auras eduxit: at non sic jumentis, reptilibus, & bestiis terræ. Quod factum est non casu; sed mirabili Dei Providentia, quæ inde pusillos mortales sapere docuit, & boni aliquid ad mores deducere: & quidem

Primò bestiis terræ nulla à conditore Deo data tum est benedictio, quia *inter eas erat serpens, cui post paululum erat ipse maledicturus*, ut explicat Glossa.

Inde nosces quantum intersit quocum vivas, agas, miscearis; & quantum ab uno malo bonis aliis decedat etiam cœlo judice.

V. Ratio. Secundò volantia ex aquis educta, liquidóque elemento; at terrestria animalia ex terra, ceu materna, producta sunt, futura quondam symbolum alicujus, quod homines inter notandum erat discriminis. In his enim aliqui purioribus sacri Baptismatis aquis, & probè eluti, & cœlo renati: alii terræ relicti veluti terræ filii, quia terrenis cupiditatibus, ac desideriis implicati: & inde his nulla benedictio; illis autem quamplurima.

Et hæc ratio placuit Anastasio:

In Hexam. *Quæ ex aquis sunt genita*, inquit, *omnia Deus benedixit, à terra vero genita animantia privavit benedictione; nam præfigurabatur generatio per Baptismum ex aqua, & proinde genitas animas per Baptismum benedixit; animantibus, & jumentis, & feris, & venenatis hominibus, qui sunt peregrini, & alieni à generatione Baptismi nequaquam impertiit benedictionem; sed eos reliquit absque benedictione.*

VI. Ratio. Tertiò, accedit & alia ratio illi affinis, quæ est Theophilacti, eaque etiam symbolica: Volatilia cœli quæ de terra surgunt, & in purum tolluntur aëra homines designant puros, & Dei spiritu plenos, qui & supra terram, & supra se etiam ipsos elevantur: & his cœlo propitio ampla cedit benedictio: at verò animalia terræ ostendunt graviores, ac terrenas hominum animas, hoc est, cœlesti spiritu vacuas, & carni sic immersas, ut propè crederes in terram degenerasse: & istis nulla datur benedictio; sed potius relinquitur omnis maledictio.

QUÆSTIO TERTIA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Considerate Lilia agri.* vers. 27.

CUR LILIA POTIUS, QUAM AUT purpureas Rosas, aut molles Violas.

Cur Lilia? ERVATOR Optimus ut abjectos homines erigeret, abduceretque ab inani, atque immodica rerum terrenarum cura; doceretque Deo, ceu naturæ, ac bonorum omnium parenti, penitus confidendum; eos evocat in amœnam campi unius aream, ibique flores inter varios, Lilia jubet spectare, attendereque curiosiùs; *Considerate*, inquit, *Lilia agri*: Sed amabo te Magister optimè, cur Lilia potius quàm aut purpureas Rosas? aut molles Violas? aut faciles Hyacinthos?

I. Ratio. Video Lilia mortalibus juxta, ac immortalibus in oculis fuisse, & primis amoribus.

Salomoni Regum Sapientissimo vestis fuit intertexta Liliis acu pictis ære phrygio.

Et vestis aspersa Liliis, vulgo regalis habita. Nimirum ars, quæ simia est naturæ, è floribus Lilia selegit, quæ industriâ manu exprimeret; longo tamen intervallo: verum nempè vetus adagium:

Vers. 28. *Pulchros esse fœtus artis, aureos naturæ.* Quod indicatum voluit Christus, dum ait: *Considerate Lilia agri*

Vers. 29. *quomodo crescunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.*

In Cap. 6. Matth. *Et revera*, (ut pulchrè D. Hieronymus) *quod sericum, quæ Regum purpura, quæ pictura textricum, potest floribus comparari? quid ita rubet ut Rosa? quid ita candet ut Lilium? Violæ verò purpuram nullo modo superari murice, oculorum magis, quàm sermonis judicium est.*

Quod si vel ex ipso tantum oculorum judicio, flores, & Lilia terræ fœtus, & Dei parentis opus, vincunt omnem decorem, qui ab arte, humanaque opulentia parari potest; quàm necesse est amabilem, ac stupendam esse authoris Providentiam, quæ flores, & Lilia ea decorat venustate, qua nec Salomon in omni gloria sua.

II. Deinde quam spem, & fiduciam in illa reponi oportuit: si enim de floribus, ac Liliis sua apud Deum est cura; ut sua sit illis nativa vestis, suusque decor; quantum hominis necesse est? cùm is apud superos, & Liliis, & omni natura rationis experte, potior sit.

Et hoc est argumentum, quod Christus à Liliis agri ad hominem ductum esse voluit.

III. Sed cur inquies à Liliis? Jam unam rationem attigi: quia hæc mortalibus sunt in amore, ac pretio; sunt & immortalibus, ipsique supremo Numini.

Testis erit Sapiens, qui cœlestem sponsum pasci voluit inter Lilia; ubi enim potiùs?

Est in Lilio radix, quam mirere si defodias, est culmus altior, & herbescens in eo viriditas, quam suspicias; est flosculi candor, & odor, quem haurias, amesque.

Apud D. Bernardum Doctorem candidum, ac Liliatum: *Radix Lilii commendatur in tribus, alba est,* De rad. Lilii c. 19.
splendida est, tractabilis est; unoque veluti symbolo tres notat virtutes, quæ apud cœlestem sponsum III. A radice Lilii.
sunt in pretio, primisque curis.

Primò enim est *Albedo radicis*; & hæc indicat *munditiam cogitationis*: hæc si desit, etsi extrinsecus munda sint cætera; & *perditur proprietas Lilii, & virginitatis decor.*

Secundò, *splendida est Lilii radix*: & hæc ostendit insignem animi hilaritatem, qua se unus aliquis in opera bona diffundit. Sunt enim, qui *hæc faciunt, vel coactione, vel necessitate, vel consuetudine*, inquit Bernardus: & in his deficit Lilii decor, nitorque radicis, hoc est *virtus hilaritatis*, quæ virgines maximè decet.

Tertiò, *tractabilis est radix Lilii*; per quam intellige *virtutem mansuetudinis*: hæc nitet floretque inter aspera, ut *Lilium inter spinas.*

Tractabile, & leve est Lilium; pungentes & dura sunt spinæ: non perdit Lilium suam lenitatem, licèt proferat spinarum asperitatem, ait Bernardus, qui sic ad animam, ceu Christi sponsam.

Vis esse Lilium? esto Lilium inter filias; hoc est inter animas, quæ ejusdem fidei, ejusdem professionis tecum sunt: & si morum amaritudine, & verborum asperitate te pungunt; esto inter tales mitis, & tractabilis, nec exasperes ad quodlibet verbum.

Et hæc sunt præclara monita, hæ virtutum prælectiones, quas à Lilii radice accipis, mi Lector, etiam interprete D. Bernardo.

Aliæ sunt, quæ surgunt, & redduntur ab illius De vestitudine Lilii,
culmo; in quo etiam D. Bernardus tria commendat: cap. 21.
est enim in eo *Rectitudo, Fortitudo, Longitudo.*

Rectitudo, viam facilem sternit ad superos, ad quos IV.
ducit *Recta intentio*, quam ferè unam spectat Deus; A culmo
hæc si adsit, bona sunt omnia; si desit, mala: ideoque Lilii.
hanc in paucis amare, curareque debet Mens pia, & Deo, superisque devota.

Sic eam amavit, curavitque D. Gregorius Nazianzenus, qui peregrinationem aliquam suscepturus, sic ad JESUM orasse fertur; *Tibi vivo Christe, tibi loquor, tibi incedo, tibi sedeo.*

Hæc mortalis vita, quanta quanta est, nobis est peregrinatio: in qua si vivimus, ac spiramus; Christo vivamus, ac spiremus. Si loquimur, & tonamus è pulpito; eidem loquamur, ac tonemus: si stamus, si incedimus, si sedemus, si quid aliud molimur, & agimus;

agimus; id omne uni Deo tribuamus, eâ quâ decet rectiſſimâ intentione.

Hac unâ ſi nos, noſtráque regamus omnia, paſcetur inter nos Chriſtus, ceu ſponſus inter Lilia.

Ita viſus olim paſci in corde S. Gertrudis, de qua ſic ipſemet S. Mechtildi religioſæ eodem in Cœnobio: cui dum ſeſe viſendum exhibet, adjecit illud amantis ſponſi: nullum eſſe in terris locum ſecundum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo libentiùs habitaret, quàm in Gertrudis corde: & hoc vel ideò tantùm, quod illud rectà ſemper in Deum tenderet: ut tendere docuit Lilii rectitudo.

Ex qua D. Bernardus virginibus animos facit, ut rectæ ſint ſemper, & nunquam incurvæ, quod ſatagit malus dæmon, cujus inſidias, & verba dolola ſic aperit S. Præſul: *Dum in tantam altitudinem caſtitatis aſcenditis, laborat adverſarius veſter ſatanas, ut vos ab illa deflectat: clamat enim nobis ſæpe; imò ſemper ſuggerit vocem illam, dicens: Incurvare ut transeamus? Quid eſt incurvare? Flecte intentionem tuam ad terrena, quam ad cœleſtia erexiſti, ut pateat nobis tranſitus per te, ut conculcemus te.* Ubi hæc adverſarii verba explicuit: tum verſa ad Virgines oratione ait: *Ne conſentias inimico tuo, ô anima caſta Virgo Chriſti, amica ſponſi tui: amici tui ſponſa ne conſentias, ut ne incurveris; hoc eſt, nihil terrenum quæras, non laudes humanas, non homines, non divitias terrenas; quia ſi ad hæc declinaveris tranſibit per te mendax ille, teq; conculcabit, & premet, ac elidet te;* ubi hæc malorum portenta ſub oculos poſuit, exclamat: *O inſenſatè, qui rectitudinem intentionis ſuæ incurvant.* Ne incurves unquam, ô anima, memor eſto rectitudinis Lilii; ſed & *Fortitudinis*, qua appellentes euros ſuſtinet, & frangit.

Supra.

Et hæc ſymbolum eſt illius roboris, quo pollere debet mens Chriſtiana, quæ nec adverſis flecti poteſt, nec ingruentibus perſecutionibus, ceu ventis frangi; ſed erecta ſtat, ſtabítque in ævum omne.

Ita ſtetêre quondam in Eccleſia Chriſtiani, etiam pueri, ac puellæ in primo ætatulæ flore, de quibus ita Minutius Felix in Octavio:

Pueri, & mulierculæ noſtræ cruces, & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terriculas inſpiratâ patientiâ doloris illudunt. Et hoc quidem non die, vel anno; ſed ipſo etiam totius vitæ curſu, longitudine quadam invictæ patientiæ, ac fortitudinis.

Et hæc à trunco Lilii petita morum documenta; neque minora ducentur ab ipſo flore, in quo tria etiam ſpectare lubet.

V
A flore Lilii.

Primùm, eſt candidus, & ſimplex foliorum color, minimeque varius: & hic indicat purum hominem, & ſimplicitatis Chriſtianæ amantem in paucis, alienum ab omni fuco, dolóque.

Is fuit Orion Religioſus, de quo ſic Iſidorus Peluſiota: *Simplex lingua, ſimplicior animo; ſed moribus, & vitâ ſimpliciſſimus.* Et hæc ſimplicitas elucet in candore Lilii, ceu ſymbolo; imò & inſignis vitæ, morúmque caſtimonia: quæ eluxit in virginibus, Agnete, Cæcilia, Catharina, quæ cæteras inter fuere, quod Lilia inter ſpinas: *Lilia Chriſti ſunt Virgines*, inquit D. Ambroſius; cui ſuffragatur D. Gregorius Nyſſenus, quo interprete: *Lilia ſunt, qui in carne non carnaliter vivunt.* Sed ad morem, modúmque puri ſpiritus, qui ut expers eſt corporeæ molis; ſic & affectionum carnalium immunis.

L. 2 Ep. 41

Lib. de Inſtit. Virg. c. 15.

Ii fuere primis naſcentis Eccleſiæ ſæculis Chriſtiani, quos inter, atque Paganos diſcrimen petebatur à vitæ caſtimonia: hæc enim erat veluti nota quædam Chriſtianitatis, de qua audiendus eſt Minutius Felix, qui ſic altiore ſtylo: *Vos Pagani venerem ſpargitis, dum paſſim liberos ſeritis; nos unius matrimonii vinculo libenter inhæremus caſto ſermone, caſtiori corpore, & plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potiùs, quàm gloriantur.*

Hæc ille, tam de continentia, quæ tum erat inter Chriſtianos conjugatos: quàm de caſtitatis flore illibato, qui inter Virgines.

Et hujus, & illius ſymbolum eſſe potuit Lilii candor.

Fatendum tamen D. Bernardo judice, ſolam virginitatem Lilio deſignari: *Eſt enim*, inquit, *& caſtitas continentium, ſeu viduarum; eſt & caſtitas maritalis; ſed eæ jam minimè, flores appellantur, quia virginitatis florem Lilii amiſerunt. Eos igitur, qui defloraţi non ſunt, id eſt Virgines, flore Lilii in præſenti volumus nuncupari. Nec hoc dicendo facimus injuriam continentibus, & maritatis: Non enim cùm laudamus caſtitatem Ioannis, vituperamus conjugium Abrahæ; nec commendando virginitatem Mariæ, viduitatem Annæ reprobamus.*

De flore Lilii c. 15.

Hactenus S. Abbas, qui Deiparam ab illa Virginitate longè puriſſima, vocat *Lilium ſingulare*, quæ ſcilicet *in confinio utriuſque Legis votum conſecravit perpetuæ, & integerrimæ virginitatis.*

Vertio ad aliud, quod in Lilii flore ſpectandum natura dedit, non ſine magno voluptatis ſenſu; ſunt claviculi aureis velut punctulis diſtincti: & hi ſymbolum ſunt illius, quæ in anima virgine debet eſſe charitatis, à quâ olim commendati in Eccleſia naſcente Chriſtiani, ſpectaculo paganis ipſis invidendo, de quo ſic Minutius Felix: *Sic nos diligimus (quod doletis) quia odiſſe non poſſumus; ſic nos vocamus fratres, quod invidetis.*

Stupenda ſanè, & propè Superis invidenda Chriſtianorum illius ævi conditio, in quâ ſic eorum animos occupabat amor proximi, ut illius odio locum non relinqueret, nec odiſſe quemquam poſſet, quiſquis & nomine, & re etiam ipſa Chriſtianum ſe fateretur.

VI.
Ab odore Lilii.

Et hinc vel maximè diffuſus Lilii noſtri odor ſuavis; de quo ſic Gillebertus: *Audi quid Liliorum unum loquitur: Chriſti bonus odor ſumus;* at quo modo bonus odor? eo ſanè; quo Lilia.

Lilia ſunt exempla caſtitatis, quæ etiam longè poſita optimè redolent.

Lilia ſunt ſacri ſermones, in quibus æternæ vitæ olfacimus gaudia, & odorum attrahimus ſpiritum.

Lilia ſunt omnes Eccleſiæ filii, quorum verba, & vita grato fragrant odore.

Lilia ſunt MARIA, & IOANNES, & ipſe IESVS, qui & in ſe redolet, & in reliquis omnibus ipſe ſentitur.

Lilia denique ſunt ii omnes, qui gratum ſanctioris vitæ effundunt odorem; qui virtutum omnium exemplis ad aliorum veluti nares appellunt, eoſque trahunt in odorem ſuavitatis grata quadam virtutum, quas expreſſerunt, imitatione.

Atque utinam eſſent ii omnes, qui à Chriſto dici, & eſſe volunt Chriſtiani; utinam illi non aſpirarent odores alios, odores peregrinos, non ſine injuria ſui nominis, ac ſtatus.

Si qui fortè hoc ævo ſint ejuſmodi, ſi quis eorum, qui hanc pagellam legerit; audiat ille quid de hoc ſentiat Gillebertus Abbas:

Injuria, inquit, *eſt Liliorum, ſi aliquis peregrinus odor ſe illis immiſceat, qui ſuavitatem illorum contriſtet, animique afflatus naribus ipſum corrumpat, & convertat ad ſæculum, & poſt eum fœtorem currere faciat. Injuria eſt ſi tibi ſuavius fragrant vitia, quam virtutum Lilia.*

In Cant. Serm. 27.

Et quia hæc ſpectabat imprimis, amabátque Chriſtus; hinc à Liliis (quæ harum veluti ſymbola ſunt) nos probè doctos voluit potiùs, quàm ab alio quovis flore. Et inde propoſitæ initio quæſtioni factum abundè eſt ſatis.

His rationibus, quæ petitæ ſunt ex ipſa Lilii natura, & virtutibus, quarum eſt illuſtre ſymbolum: addi poteſt & alia, eáque communis tum Liliis agri tum floribus aliis, qui ei innaſcuntur. Ut enim ab his, eorúmque nitore diſcimus amabilem Dei providentiam: ita & inſignem rerum omnium ſublunarium deſpicientiam.

Ita didicit aliquando B. Carolus adhuc miles, deinde Abbas Villariensis octavus. Wormatia Moguntiam tendebat cum Gerardo Wascardo commilitone, cùm fortè de via occurrit pratum apertum, ac patens amœna quadam herbarum viriditate, & florum varietate conspicuum. Hoc dum oculis lustrant non sine ingenti voluptatis sensu, venit utrique illud in animum compromittere, & quidem sincera fide, ut alter alteri aperiret, quæ eò loci cogitatio in mentem venisset.

Henriqu. 2. l. 2. Dist. 24. c. 1. 8.

Tum Carolus: *Cogitavi*, inquit, *viriditatem, & florum gratiam, & dixi, Vanum est, & ad modicum parens quidquid viret, aut floret in sæculo.*

Cui Gerardus: Et mihi, ait, eadem omnino incidit cogitatio. Hæc porrò tam huic, quàm illi tam altè insedit animo, tam potentes in eo motus excitavit, ut à sæculari profanáque militia ad sacram, & religiosam transtulerit. Eò quippe loco vovit tam hic, quàm ille in idem monasterium pedem inferre, habitum sumere, & vitam omnem exigere. Quod deinde factum in Cœnobio *d'Hemmerode*, non sine Numine, & amica Dei providentia, quæ eò deinde virtutis ac sanctitatis Carolum evexit, ut non semel ipsius capiti visus sit imminere Spiritus sanctus candidæ columbæ specie.

Ecce quantum intersit ex Christi seu oraculo, seu præcepto, oculis usurpasse *Lilia agri*, atque ex iis in animum admisisse enatas exinde cogitationes, seu eas esse velis de mirabili Numinis Providentia, seu de terrenorum omnium fluxu, brevitate, vanitate. Quæ sanè cogitatio, ut illis ad virtutem, ad sanctitatem fuit satis: sic & aliis esse poterit.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* vers. 25.

AN ERGO DAMNANDA OMNIS CURA ad ea, quæ vitæ sustinendæ necessaria?

Euchitæ otiosi.



Uchitæ hæretici, qui aranearum in morem è quolibet flosculo venena legunt; ex his Christi verbis: *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*; inducunt in genus humanum otium iners, desidem vitam, sejunctam ab omni labore, curáque ea procurandi, quæ ad corpus sustentandum necessaria videntur; quasi ea sponte cœlo defluere debeant, & in sinus otiosos impluere.

Volunt enim *semper orare, laborare nunquam*, mali profectò oratores: contra quos olim pugnavit calamo D. Augustinus, scripsitque librum de opere Monachorum, quo probat utilem subinde; imò necessarium esse laborem; tum corpori exercendo, tum animo à sacris lucubrationibus opportunè avocando.

Otium dãnandum.

Neque verò ab illo labore, operéve aliena sunt illa Christi monita, quibus jubet ne solliciti simus, aut de parando cibo, aut texenda veste: sed tantùm damnat nimium anxias, atque intempestivas curas, Deoque minùs confidentes, & cor in terram, terrenáque bona præceps; verbo uno nimiam sollicitudinem; ab hac enim importari potest in animum non leve peccatum.

Uti & nimia cura.

I. Primùm si ad rem corpoream operosè procurandam tanquam ad finem tendat, magisque æstimet victum comparare, quàm Dei Regnum.

II. Deinde si ad superflua sese diffundat.

Tum etiam, si modum non servet; sed abripi se sinat impete quodam, æstúve impotentiore.

III. Denique si cum insolenti timore, ac desperatione, quasi sibi uni minimè attendat Dei providentia: in his omnibus scelus invenit S. Thomas, & passim Interpretes.

Multos, ait Rupertus, *sollicitudo illa scandalizavit ut malum dominum sustinerent, & bonum contemnerent.* Sustinerent, inquam, mundum, qui ex vero malus est Dominus, & malè providet; Deum autem, qui & Optimus est Dominus, & suis optimè prospicit, contemnerent; crimine sanè plurimùm damnando; à quo ut asseclas suos revocaret Christus, tribus potissimùm utitur argumentis.

Argumenta Christi.

I. A volatilibus.

Primùm petitur à volatilibus cœli: At cur, inquies, à volatilibus, & quidem cœli? potuisset, inquit, Chrysostomus hominum proferre exempla; ut Moysen, Eliam, Joannem, qui de victu non fuêre solliciti; sed ut magis audientium conscientias verberaret de irrationabilium illos securitate commonuit.

Deinde meminit volatilium, ut in omni elemento exempla proponat amabilis suæ Providentiæ. Hinc incipit ab aëre, in quo feruntur volatilia: inde definit in terra, dum revocat ad Lilia, quæ in ea nascuntur, & surgunt.

Tum quia longiùs absunt à cibo, quæ libero feruntur aëre.

Tum etiam, quia animalia terrestria magis abjecta sunt ad pastum, & in hoc quærendo magis incumbunt quàm aviculæ, quæ ferè totæ occupantur in cantu; de cibo minùs sollicitæ, quibus proinde magis invigilat Dei providentia.

Denique quia aves cœli speciale sibi nil vindicant, & ideò pabulis indigere nesciunt, quia aliis invidere non norunt.

Et hinc recensuit volatilia cœli; hoc est, quæ libero vagantur æthere, ut distingueret ab eis, quæ caveis inclusæ, aut villis, hominum aluntur Providentia, cùm alia Deus ipse pascat.

Sacri interpretes, qui apis marinæ more, modoque, è Scripturæ areolis mella legunt, per *Volatilia cœli*, intelligi credunt religiosos, qui à terra sublimes, atque elati toti sunt ut Deo accinant, de victu parùm anxii; quibus proinde sustentandis invigilat quàm maximè: si tamen non abjiciant illi sese, victum turpiter emendicando, circumcursando per compita, per vicos, per villas, ac nobilium domos, ut aves domesticæ ad pastum.

Secundum argumentum, quo minùs confidentes de Divina Providentia impetit, ac sternit Magister Optimus, ducitur ab hominis statura, cui adjicere cubitum, aut palmum, aut etiam digitum ut velis, minimè possis. Ut enim D. Chrysostomus: *Deus est, qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente: si ergo in teipso quotidie Dei Providentia operatur; quomodo in necessariis tuis cessabit?* II. Ab hominis statura.

Cibum sumis, ô homo; coquitur ille vi nativi caloris; eo nutriris, imò & augeris, etsi ne cogites quidem, etsi otieris, etsi dormias: at quantum augeris?

geris? quantum velis? quantum expetieris? quantum cogitaris? minimè: *Non cogitatione; sed posita à Deo lege naturæ augeris*; & in gygantem assurgis, si cum te Deus velit, aut in pygmæum deficis, si talem te probet author naturæ: ut gygas, ut pygmæus sis, non est in tua voluntate; velis, nolis, eris, quod esse te volet, qui te condidit. Sicut ergo conscia hujusce veritatis de statura augenda minimè laboramus; sic etiam minimè de victu, quo scilicet potior est statura: Hæc si Deo relinquitur, & ille relinquatur est necesse.

III. A Liliis agri. Tertium argumentum, quo in lucem apertissimè que ponitur mirabilis Dei Providentia, est *à Liliis*, & quidem *agri*: *quæ si esset donorum, poterat dici, quod humanus labor, ac sollicitudo ad eorum pulchritudinem aliquid contulisset*, inquit Abulensis: At Lilia agri, ut nullius ope, culturáque surgunt; sic & vestiuntur solâ vi naturæ, ac Numinis omnia ritè disponentis; de his sic author operis imperfecti:

Lilia statuto tempore formantur frondibus, vestiuntur candore, implentur odoribus; quod terra radici non dederat Deus invisibili operatione largitur. In omnibus autem eadem plenitudo servatur, ut non ab eventu facta putentur; sed Dei Providentia intelligantur esse disposita. Dicendo autem laborant, viros confortat: dicendo verò non nent, mulieres; ut tam à viris laborem immodicum, quàm à mulieribus nendi fastidia tollat: Si enim Lilia agri etiam ad decorem, ac nanvam quandam venustatem adducit provida Dei manus; quanto magis homines, & ea veste donabit, quæ necessitati serviet, & ea etiam quæ decoro; nam hujus, & illius cura est Deo. In quo profectò (ut disertè notat D. Chrysostomus) facit quod parentes optimi: Si enim liberis suis prospiciunt, tum de iis, quæ ad vitam necessaria; tum etiam, quæ ad usitatam elegantiam, & honestam animi relaxationem facere videntur. Ubi hæc argumenta vi quadam Divina, & nervo altioris eloquentiæ pressit Servator; tum illud ad extremum conficit:

Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Quam conclusionem è Christi Logica ductam, dum attendit Euthimius, sic ait:

Tu verò considera quod si nobis jussum est, ne de rebus necessariis simus solliciti, quam sperabimus veniam cum de his etiam, quæ necessaria non sunt anxii sumus?

Ut anxiæ sunt gentes, quæ cùm ferè pecudum more abjectæ sunt ad pastum: eum inquirunt impensiùs; quod est nota quædam infidelitatis, de qua sic D. Hilarius:

Gentium est infidelitatis, istius cura anxii, quibus sæculi amore detentu, & corporis gaudiis occupatis, nullum per fidem, & confessionem Dei in cœleste Regnum iter quæritur, & optatur.

At nobis & fides est, & Dei confessio, quæ avocet ab illa sollicitudine rerum caducarum, transferátque ad altiora, ac cœlestia votis omnibus inquirenda; rejectâ penes Deum aliorum omnium cura: scit enim ille, quia his etiam indigemus quamdiu volvimur hoc ævo mortali.

Quod si subinde ea subtrahat, facit quod erga ægros medici solent.

Sicut medicus abstrahit ab infirmo cibum, & potum, ut curet eum; sic Deus noster, qui habet providere, permittit hominem pati, ut curetur; inquit S. Thomas.

Curetur, inquam, nudetúrque superfluâ illâ, nimiâque rerum inferiorum sollicitudine, à qua mirum quàm varia in animum importentur mala.

Primùm enim Dei verbum, & occultas inspirationes, ceu cœleste semen suffocat.

Deinde hominem misellum laqueis implicat: *Qui enim volunt divites fieri incidunt in laqueos diaboli.*

Tum revocat à Divinis, atque æternis: *Amor temporalium, æternarum viscus est pœnarum.*

Tum etiam excæcat; ita excæcatus est Sedecias in Reblatha, quod interpretatur *Multa*. 4. Reg. c. 25.

Denique rapit in omnia propè scelera; acuit enim invidiæ stimulos, iras excitat, manus armat, atque in cædes trahit; ita traxit olim Cain in cædem Abelis; & hoc à nimia libidine possessionis rerum temporalium; *Cain* enim, id est, *possessio*. Ecce quæ malorum portenta, atque prodigia ab illa terrenarum rerum appetentia enascantur. Illa declinare si velis, & hanc ut declines est necesse, & quidem ex Dei tui nutu, & præcepto.

Israëli hoc olim Deus dederat in mandatis? *Agrum tuum non seres diverso semine*; Nimirum *Deus*, qui *simplicissimus est*, *amat simplicia*, & *adulterinas mixtiones*, *sive carnis*, *sive spiritus*, *in suo cultu odit*, & *vetat*: amat autem, ac præcipit sibi exhiberi simplicem animum, hoc est, qui terrenis sollicitudinibus mixtus non sit, atque implicatus; quod paucis verbis apprimè declarat D. Augustinus: *Simplex eris*, inquit, *explicando te à mundo; implicando duplex eris.* Levit. c. 19. v. 19. Theodor. Hom. 2. in Ioan.

QUÆSTIO QUINTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quærite primùm Regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* vers. 33.

QVOD REGNVM DEI? QVÆ IVSTITIA? Et cur hanc, & illud quærenti, hæc omnia dicuntur adjici: non autem dari?

Quid Regnum Dei?



De vocculis illis *Regnum Dei*, sua lis est inter Authores.

D. Chrysostomus censet esse extremum Judicii diem, & in eo retributionem bonorum operum.

Jansenius, Dei verbum, & per illud gloriam Divini Nominis, dum magis, ac magis inclarescit.

S. Thomas, Beatitatem: & hæc sententia meo judicio huic loco magis consentanea.

Quid Justitia? De voce Justitiæ etiam sua contentio; sunt enim, qui per hanc intelligant bona opera, & justa, à quibus Justi dicimur; sunt qui gratiam justificantem sunt qui tam hanc, quàm illa: & hæc sententia vero propior.

Denique per hæc omnia accipiuntur ea, quæ huic vitæ sustinendæ serviunt: ut est annona, quæ corpus fovet; vestis, quæ tegit; suppellex, opes, quæ illud ornant, aliáque hujus ævi, & fortunæ bona, quæ Regnum Dei quærenti dicuntur *Adjici, non dari*: ne scilicet (ut notat Augustinus) *bonorum temporalium suppeditatio videretur esse merces; vel ut discerentur qualitatem eorum, quæ in præsenti dantur, si futurorum* magnitudini

magnitudini comparentur; cùm temporalia veluti accessoria solùm sint, & accidentia: ut disertè Chrysostomus.

In Psal. 104. Quocum sentit D. Bonaventura: quo interprete *temporalia quodammodo adjectiva sunt; nam tum adsunt; tum non; substantivum est amor Dei*: Hic enim non transit; sed permanet in æternum.

Temporalia adjectiva.

Et hoc est discrimen, quod S. Doctor ponit inter illa adjectiva, & hoc substantivum: ea quo in Christiana Logica rectè concludit: *Adjectiva ergo ad substantiva debent referri; id est temporalia, ad summum bonum.* Et hoc est quod longè ante docuit summus omnium Magister JESUS, dum sic ad Discipulos:

Quærite ergo primum Regnum Dei, & Iustitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

Adjicientur, inquam, Dei ter Opt. ter Max. munificentiâ, quæ in eo facit, quod hic mercatores; qui si fortè magni pretii merces vendiderint, ex quadam animi gratitudine, ac liberalitate emptori ultrò adjiciunt aliqua corollaria, quæ parum, aut nihil æstimant. Pusillo homini, ceu emptori, proponit præpotens rerum Deus æterna, cœlestia, Divina bona, quæ summi apud superos pretii: hæc si emat, si comparet sibi labore aliquo, modico sudore, opere bono; tum verò liberale Numen adjicit temporalia, caduca, terrena bona. Exemplum in Salomone tibi dabunt litteræ Sacratiores.

Adjecta Salomoni.

In amœna noctis, & somni unius imagine ei sese videndum dederat Deus; & hæc insuper adjecerat Divina voce: *Postula quod vis, ut dem tibi.* Cui Salomon: *Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum, & malum. Placuit sermo coram Domino: & hæc illi. Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum; sed postulasti tibi Sapientiam, ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor Sapiens; sed & hæc, quæ non postulasti dedi tibi; divitias scilicet & gloriam.*

3. Reg. c. 3.

Quod Salomoni: hoc deinde aliis, ut in sæcula verum esset illud Christi oraculum:

Quærite primùm Regnum Dei, & Iustitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

Adjecta S. Elizabethæ.

Cùm S. Elizabetha de Regno Dei, hoc est de quærenda sibi beatitate, piè sollicita, atque in bona opera, liberalésque eleëmosynas effusa, exhausto ærario, regiisque gazis, ad extremam propè paupertatem, & Xenodochii angustias, ac sordes redacta fuisset; sensit adesse sibi Dei manum, & adjici etiam cum fœnore, quod in pauperes dispersit: cùm enim minimè anxia, Divinæque Providentiæ confidens quiesceret, vidit auro plurimo repleri gazas, & plura refundi, quàm effudisset. Sed istud antiquioris est memoriæ: hoc recentioris.

Fœminæ nobili.

Madriti mulier nobilis genere; at virtute, ac pietate nobilior, eò redacta erat paupertatis, ut ne domi superesset panis, quo famem pelleret. In his angustiis, una tamen erat de Cœlo cogitatio, unum studium orationis, una cura Deo placendi: & in his præsertim *B. Joanni de Deo*, viro in paucis sancto; & cui sacros Cœlitum honores attribuit Urbanus Octavus. Hæc, inquam, mulier Divinæ innixa Providentiæ, & beati Joannis præsidio, ad sacram perrexit ædem, & de more preces fudit: cætera Deo, ac Sancto committens. Mirum dictu, visúque! cùm domum redit, invenit mensam paratam, pane, vino, & obsonio apprimè instructam, etiam ad delicias: adeò verum in illa; quærenti Dei regnum, adjici cætera, hoc est, annonam liberalem.

Bulla Canonizat.

Testis erit B. Robertus primus Abbas, & fundator Ordinis Cisterciensis. Oeconomo is suo illud dederat in mandatis, ut panes egenis daret liberali manu. Negavit hic domi esse panes. Tum ille, quid ergo in cœnula dabis fratribus? cui ille: Enimverò nesciò.

Interea pius Præsul de Regno Dei, id est, Dei laudibus, & Divino officio sollicitus, pergit in templum, ac deinde de more cum fratribus dato signo ad cœnaculum redit. Et ecce singulis sua panes. Tum Præsul œconomo: Undeilli panes? cui ille: Eos Religiosis servatos volui. Crediderat in eo aliquam esse œconomiæ, & humanæ providentiæ rationem: at magnus Præsul, cui altior erat animus, doctúsque divina quærere, non humana, panes omnes colligi, & in subjectas aquas abjici voluit. Addens & illud dignum religioso Præsule. Nolim enimverò fratres meos vesci panibus, quos inobedientia, inopsque divinorum consiliorum diffidentia reservavit.

Henriquez. l. 1. Dist. 2. c. 7.

Vidisti benevole Lector, quî Dei Regnum, ejúsque justitiam quæsierit pius Abbas, attende quomodo adjiciantur illi cætera.

Vix aquæ, inobedientiæ, ac diffidentiæ illius vindices, vix, inquam, panes hauserant: cùm ecce ad Monasterii portam advehuntur quadrigæ tres onustæ panibus, quos fœminæ nobiles alendis fratribus submittebant. Adeò verum illud Christi oraculum:

Quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

Hæc, inquam, omnia, cibus, potus, annona, & cætera vitæ sustinendæ necessaria. Imò subinde divitiæ, & gloria.

Exemplo erit adolescens Constantinopolitanus, cui parens erat prædives; sed imprimis pius, atque in egenos liberalis. Adolescenti

Huic morti jam proximo ea injecta est cogitatio, Deo grat issimum fore si moriens, pauperes ex asse hæredes scriberet: supernæ illi inspirationi parturum se spopondit, si modò annueret filius unicus, isque omnium hæres; cujus voluntatem explorare placuit. Adest ille, lectóque parentis assidere jussus, & hæc extrema verba excipere. Lib. 10. Vit. Patrum.

Fili natura te mihi filium dedit, & hæredem; sed si me audis unà mecum egenos hæredes facies: te autem ipse, tuáque Christo committes; erit ille tibi pupillo tutor; & custos; qui ut cætera desint, non deerit ipse, tantùm illi te totum crede. Cui sic filius:

Ut lubet pater, fit pauper hæres; ego Christi, meliores ab hoc mihi divitiæ; fluxæ enim à te manant, ab hoc perennes: Divitiæ tuæ hodie sunt, & cras non erunt; Christus autem manet in æternum.

Hæc bono parenti bonus filius; Igitur ex condicto publicis tabulis ad egenos venit opima hæreditas, auri vis ingens, supellex omnis, & filius iis omnibus nudus, Iro pauperior, cœlo relinquitur & Divinæ Providentiæ. Hujus rei fama tota volat Constantinopoli, & accolas omnes rapit, quà effusâ, prodigâque liberalitate; quà etiam parentis, ac filii in egenos pietate; quà denique in seipsum (ut videri poterat) immanitate.

Interea labuntur menses, & anni, & unà cum illis accrescit adolescenti egestas ingens, & rerum omnium penuria; sed & accrescit in Deum fiducia, qua sperat quærenti regnum Dei, & justitiam ejus, suo quoque tempore adjicienda cætera. Neque spem fefellit eventus: Eo loci, ac temporis vivebat Constantinopoli nobilis in paucis opulentus, cui filia erat unica, eáque jam nubilis, de qua in matrimonium collocanda dum est anxius pater, anxia & mater, illud inter eos fixum, ratúmque: dandam adolescenti imprimis pio, & à virtute probè instructo; hanc enim rebantur boni conjuges esse nobilitatem, & veras opes; sed qua via, qua sorte quærendus ille?

Convenit inter illos non sine Numine, ut uxor die sequenti, primulâ luce adiret Sacram Ædem, & qui primus eam intrasset adolescens, is bono omine filiæ in maritum cederet. Miræ profectò Divinæ Providentiæ leges! qui primus in Templum venit,

verit, fuit ille ipse adolescens, qui ex suo, parentisque voto pauperes hæredes fecerat. Eum ut vidit matrona nobilis, per famulum ad se vocari jussit, ex eóque modestè quæsivit, quod ei nomen, quis parens, quæ familia, quæ vivendi ratio: ubi inaudiit eum esse, quem ex fama jam noverat; ex virtute autem amarat, suspexerátque, licèt de facie minùs notum; tum verò sic ad illum:

Te quæro, te volo bone adolescens, te quippe submisit, qui tibi datus erat à patre curator JESUS; ast mihi filia nubilis, eáque unica, parentum amor, ac deliciæ, spes, & columen familiæ meæ, eam tibi uxorem amo, & dono.

Hæc in Æde Sacra paucis ad eum mater; tum ad patrem itum celeri gradu, & fideliter relata omnia; evocata & filia, quæ ex suo parentúmque voto mox in uxorem adolescenti data, non sine stupore, & approbatione totius urbis Constantinopolitanæ, quæ in hoc agnoscere, ac revereri cœpit mirabiles Divinæ Providentiæ vias, quæ suis invigilat vel maximè, cùm minimè credunt.

Ecquid enim, ut te ipse compellem, amice Lector; quid in hoc suspicies magis? an vigiles cœlestis Providentiæ curas? an adolescentis in ea veluti quiescentis fiduciam, ac veluti soporem? Nec enim aut de matrimonio cogitabat ipse, aut de dote, opibúsque comparandis sublevandæ paupertatis ergo: sed una illi de orando Deo erat sollicitudo; hujus enim solius causa in Templum venerat, vix ortâ die, ut in eo regnum Dei quæreret, & justitiam ejus, cùm ecce minimè cogitanti adjicit Deus hæc omnia, id est, uxorem imprimis nobilem, atque opulentam, hæreditatem opimam, superba palatia, supellectilem variam ac pretiosam, auri, argentíque pondus immensum, gemmarum lucem, & gratiam, aliáque omnia, quæ vel ad vitæ commoda, vel etiam ad delicias facere videntur: adeò in hoc adolescente probatum fuit illud: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Petro Damiano.

Cujus Oraculi veritatem, dum attendit Petrus Damianus, Abbates ac Monachos monere solebat impensiùs, ut deponerent omnem rerum terrenarum sollicitudinem, de cœlestibus tantùm anxii: hæc enim videntur relictæ labori nostro, atque industriæ, cujus est eas quærere; at verò illæ reservatæ Divinæ Providentiæ, cujus est illas dare etiam non petenti. Hæ quippe sunt cœli leges, hæc agendi, providendíque ratio; quam experientia didicerat Petrus Damianus: aiebat enim se nunquam possedisse domum magis opulentam, quàm cùm abjectâ temporalium curâ, totum se converterat ad æterna, ac Divina præsidia, tum sibi, tum suis per opera religiosæ vitæ paranda. Hinc ad Abbates illud scripsit dignum cedro:

Lib 6. Epist. 32.

Dixi præsens, dico nunc absens, spernite divitias ne perpetuò mendicetis.

Religiosis.

Mendicant certè perpetuò, qui nimiâ curâ vitæ necessaria quæritant; non mendicant autem, qui altiore spiritu ducti illa contemnunt, suóque contemptu imponunt quamdam Deo legem, ac necessitatem providendi: scit enim ille, quod etiam iis indigemus, & ea habet ad manum, quæ effundat, & immensum bonitatis pondus, quo inclinetur, ut in se confidentibus faciat benè etiam in hoc ævo mortali caducisque bonis.

Quod si non faciat, vitio id nostro accidit, vel quia non tam Deo fidimus, quàm industriæ nostræ; vel quia ea quærimus aliâ quàm par est viâ, ac ratione; vel denique quia præposteri sumus oratores; petimus enim primùm terrena, ac caduca; deinde cœlestia, atque æterna.

Francisco Carmelitæ.

Primo modo leviùs peccasse visus vir cæteroquin religiosus. *Franciscus à puero* JESU *Carmelita discalceatus*: contraxerat ille æs alienum egenorum miseriæ sublevandæ causa: quod ut dissolveret, à Duce Sabaudiæ eleëmosynam petierat, ejúsque sponsionem acceperat. Sed ô malum! Madrito Barcinonem Dux abiit fide minimè liberata. Inde cum puero JESU queri Franciscus ab illo se delusum. Cui JESUS subacerbè respondit: id enim verò factum, quia *non in me; sed in tua industria confidisti.* Culpam agnovit vir pius; & veniam accepit: imò quod mireris eodem die, quo creditoribus numeranda erat pecunia, per tabellarium Barcinonæ à duce missum habuit, quod sufficeret debito dissolvendo. Nimirum indulgens Deus, ita necessitati occurrendum vult prospectum, ut tamen illud omne ejus Providentiæ ascribatur; non autem humanæ arti, atque industriæ, aut rationi, modóque, qui hominem sapiat. In quo etiam aliquousque lapsus ille ipse, quo de agimus, Franciscus: hunc enixè invitarat princeps unus aliquis ad iter unà secum suscipiendum; recusarat ille justas ob causas, quas ut vinceret, obtulit illi ducentos aureos in usus pauperum; horum ut amans erat Franciscus, illicò cessit, & eleëmosynæ spe vinci se passus est.

In ejus vita l. 2. c. 4.

Verùm nocte insequente à puero JESU verbis malè exceptus, & facti pœnitens nocte intempesta evasit, Complutúmque rediit; quódque mireris, in ipso hospitalis januæ limine Juvenem obvium habuit, equo albo insidentem, qui hæc illi:

En frater Francisce, gaudeo te hic invenisse, tolle ducentos hos aureos, qui te diligit tibi eos mittit.

Hos nimirum submiserat JESUS Francisci amantior, simúlque docuerat spem omnem in Dei Providentia reponendam.

Sed & alia ratio est, ob quam Dominus Universi terrena bona denegat, quia scilicet quæruntur illa, non autem Deus in illis. Ita quondam Israëlitica turba viso panum miraculo Christum sedulò secuta; non tam ejus gratia, quàm sui: ut scilicet rursum prodigioso illo pane famem expleret. Hoc illis objicit: *Quæritis me non quia vidistis signa; sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Hoc est interprete D. Augustino: *Propter carnem me quæritis, non propter spiritum;* & quia multi sic JESUM quærunt, minimè inveniunt, neque etiam ab illo temporalia accipiunt, quia ea postulant, non Dei gratia; sed amore sui.

Negata alus.

Ioan. c. 6.

Tract. 25. in Ioan.

Et in illa hominum classe reponuntur multi, ut & in hac, quam subjicio: qui scilicet primum locum dant terrenis bonis; secundum autem cœlestibus.

In quo similes sunt infelici Esau. Cùm ad vitæ metas propiùs accessisset Isaac, filiis suis Jacobo & Esau benè precari voluit. Et quidem Jacobo primum benedicens, hæc illi: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ.* Esau verò ista: *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Hæc annosus senex, non sine Numine, occultóque altioris spiritus instinctu; quo factum ut Jacobi benedictio primùm à Cœlo; deinde à terra: contrà verò Esau à terra; tum à cœlo. Quæ causa?

Gen. c. 28.

Jacobus carum erat superis caput, Deique electus, qui studio pietatis, ac religionis, & in se, & in posteros cœli rorem ac benedictionem primùm deducere debuerat; tum secundùm illam etiam terræ bona, frugésque fertilis soli: è contrario Esau invisus superis, invisus Deo, & reprobus: quia prius amarat, & posteros amare docuerat terræ pinguedinem, quàm cœli rorem: quod præsago spiritu, vocéque jam inde prædixit Isaacus.

Quàm multi hoc quo vivimus ævo Esau similes; petunt illi, & quidem cum rugitu, & clamore valido sibi servari, daríque à Deo benedictionem; sed præposteri sunt Oratores, dum primùm amant, & ambiunt terræ fructus & bona, quàm Cœli rorem, & fluenta cœlestium gratiarum; quæ tamen & amasse priùs, & ambivisse oportuerat.

Et

Et hinc cœlo judice, ac vindice plerumque evenire solet ut etiam illis proveniat. Ementò, quia & naturæ ordinem, & rationis placita, & Cœli jura invertunt. Hæc enim priùs jubent appeti Divina, deinde terrena. De hoc genere hominum sic olim D. Chrysostomus:

Hom 24. in Ioan. *Omne studium in his, quæ ad vitam hanc pertinent evacuatur; de spiritualibus autem nulla est ratio: propterea nobis neque terrena illa pro voto proveniunt.*

Imò si quando proveniant, eripiuntur. In quo multis evenit, quod olim Constantinopolitanis proceribus, ac nobilibus, quorum meminit Clemens Pontifex in Bulla data anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo nono.

Hungariæ Regnum invadere, occupare, perdere parabat Turcarum Imperator: cui malo ut obviam iret pius Pontifex, litteras expedivit ad Ferdinandum tum temporis Hungariæ Regem, ad Proceres ac Præsules, quos paterna voce monet, urgétque ad sacrum bellum, & fortunas suas, & manus concedant; ne si nimis tenaces sint & avari, illis usu veniat quod Proceribus, ac Nobilibus Constantinopolitanis.

Ubi Constantinopolim occupavit Turcarum tyrannus, publicò edicto & sub pœna capitis jussit, omne quod habebant aurum, argentúmque deferri: viso illius magno, & incredibili acervo, caput omnibus amputari jussit, dicens: *Tali pœna dignos esse qui cùm tanto thesauro se, ac patriam defendere potuissent; in hostis potestatem potius devenire, quàm thesaurum expendere maluissent.*

Quod illis olim, hoc & in præsentia tibi, qui auro, & partis opibus malè uteris; tibi nimis parcus, & Deo tuo.

Poteras illis, & verò etiam debueras, & te tueri, & periclitantem ab inferni tyranno animulam defendere, & Regnum Cœleste tibi comparare: at secus omninò fecisti; maluisti enim & pecuniæ parcere, & avara tenacique manu in arcis tuis, ac gazis continere; quàm piè effundere vel in pauperum usus, vel in sacras Aras, Domósque ornandas; vel etiam emendo Cœlesti Regno: ideóque justo Dei vindicis judicio, & illis orbaberis in hac vita mortali; & patria altiore ac beata excides, reus capitis, æternique supplicii.

Ne porrò sic reus aliquando dicaris, Amice Lector, agè, concessis tibi Cœlo propitio divitiis quam optimè utere; iis quære primùm Regnum Dei, & justitiam ejus; & cætera, quæ animus optare potuisset adjicientur tibi, etiam cum fœnore Beatitatis

****

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.



Hier. in locis Hebr. *AIN* Civitas erat Galileæ duobus millianbus distans à monte Thabor, quam torrens Cedron alluebat. Nomen sortita à situs, & loci amœnitate. *Naïn* enim, id est *pulchra, jucunda, delectabilis.* In hanc veniebat CHRISTUS, jamque portæ imminebat: cùm ecce incurrit in oculos pompa funebris: *Efferebatur* enim *filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat;* Vidua olim marito, jam orba filio. Hinc, & inde dolor, lacrymæ, & fœmineus ejulatus; cujus misertus Salvator: dixit illi, *Noli flere. Flere prohibet eum, cui resurrectio debebatur,* inquit Ambrosius: Verùm quidni fleat, quæ filium amisit? *Non amisit; sed præmisit,* ait D. Cyprianus: *Non decessit; sed recessit:* ut in simili Petrus Blosius, *Non obiit; sed abiit.* Ideò, ô bona mater, noli flere. Ad hanc CHRISTI vocem erigi se sensit, sensit & arescere lacrymas, animúmque spe nova tangi; magis autem ubi propiùs accessit IESUS, ubi tetigit loculum; maximè verò ubi in eas erupit voces: *Adolescens tibi dico surge.* Illicò quippe *resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui;* & matri suæ redditus. Hinc omnes invasit timor, stuporque, quibus, ubi datum aliquid est, tum auditæ passim illæ voces: *Propheta magnus surrexit in nobis, & Deus visitavit plebem suam.* Et hæc summa rei gestæ, de qua nihil invenio in D. Thoma, ideóque hic tantùm

---

EX D. BONAVENTURA.

A Littera paululùm discedit, ut transeat ad mores, mysticúmque sensum, quem ut explicet, æqua judicii lance singula verba expendit, atque exponit, & quidem:

Dom 15. post Pent. Serm. 1. Primò, *Defunctus ille* est peccator. *Effertur* hic *in transgressione mortali de gratia in culpam:* & hoc *per dæmones, malos consiliarios, & per quoslibet ad malum instigantes:* *Effertur,* inquam, *per dæmones, qui ut olim Nabucodonosor, vasa aurea, & argentea, id est, perfectos homines efferunt de domo Dei, in quo imitantur fures, & raptores, qui libentius efferunt vasa aurea, & argenteæ quàm lutea, hoc est, cariora Ecclesiæ membra ad peccatum libentius trahunt:* hæc S. Doctor, qui deinde recht ad defunctum adolescentem, qui dicitur ad Christi vocem resedisse, quod *non vacat mysterio.*

Expenditur illud in tribus mortuis: puella, adolescen-

adolescente; & Lazaro; quos à mortuis excitavit Salvator; & ita quidem ut *puella in sua suscitatione dicatur surrexisse, adolescens ille resedisse, Lazarus verò ligatus manus & pedes prodiisse.* In quo videbis tria genera hominum, qui à lethali peccato mortui sunt, & qui deinde vitæ, id est, gratiæ redduntur; sed aliter, atque aliter.

Serm. 4. Puella, quam *mortuam suscitavit in domo* refert peccatorem, qui sola *voluntate* peccavit, estque mortuus; sed *in domo: adhuc enim latet interius.* Hic *vivificatus continuò surgit, quia parva remanet difficultas.*

Serm. 2. Adolescens, qui *venit extra portam*, exhibet hominem, qui *opere peccavit*, & ille *vivificatus sedet*: quia *adhuc pronitas remanet.*

Serm. 4. Lazarus verò, qui vocatur *è sepulchro*, ostendit peccatorem, qui è mala *consuetudine*, ceu *sepulchro*, Dei voce prodit: & hic licèt *vivificatus*; *ligatus tamen est, quia habet magnam pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum*: & hinc inter eos discrimen; sed & aliunde, quod advertit, & scitè notat D. Bonaventura, qui ait: *Dominum suscitasse triplicem mortuum*; scilicet *Puellam, Lazarum, & Adolescentem; & cujuslibet eorum suscitatio sua approbatione dignoscitur.* Nam *suscitatio puellæ probatur manducatione, Lazari ambulatione, Adolescentis locutione.*

In quo JESUS, Deus-Homo, se omnis *vitæ datorem* probavit:

In manducatione, quæ reficit actum vegetabilis; vitæ vegetativæ Dominum, & largitorem.

In ambulatione, quæ actum sensibilis; vitæ sensitivæ.

In locutione, quæ actum rationalis; vitæ quoque rationalis.

Et hæc sunt mysteria, quæ in illis interprete D. Bonaventura latere voluit amabilis Dei Sapientia; sed & aliud in hoc quoque, quod Adolescens dicatur *cœpisse loqui*; *confitendo* scilicet, *ac laudando benefactorem suum*; & ita loqui decet eum, qui *mortuus per transgressionem, justificatur per Contritionem: loquitur per Confessionem, & Dei laudem.* Serm. 3.

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORARIS.

Ad illa verba: *Ecce defunctus efferebatur.* Lucæ c. 7. v. 12.

IUDÆI MORTUORUM CORPORA EXTRA URBEM efferebant; nos in urbibus condimus: utri rectius?



Persarum mos. VT variæ vitæ, mortisque leges: ita varia funeris, & sepulchri ratio.

Persæ nec cremare suos, nec sepelire; sed cera oblitos domi servare soliti: quod ipsum Assyriis, Syris, Babylonus usitatum. Hi enim omnes cadavera condire variis aromatibus, myrrhâ, aloë, cedro, melle, sale, bitumine, resinâ, quibus etiam sanies, & membrorum solutio impediri potest.

Indorum. Indi sepulchra nulla voluère, quod insignium virorum sepulchrum esset universa terra; & certè facilis jactura sepulchri: *Cælo, quippe tegitur, qui non habet urnam.*

Romanorum. Romani, Phryges, Carthaginenses suorum corpora cremare flammis, & busto primùm; dein urnis credere: Christiani ea sacratiore humo, in cineres abitura concedere, & rectius: est enim hujus mater optima, rerumque omnium fœcunda parens, quæ sinu suo recipere suaviter, & fovere suavius amat ea omnia, quæ olim in lucem, & solem emisit, ea lege ut sibi tandem aliquando redderent, quod acceperant.

Et certè videtur ea quoque Dei, & naturæ lex fuisse: quippe primò homini dixit Deus: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*: Ex quibus verbis id confici velim, Dei ter Opt. ter Max. institutum maximè consonum esse, ut humana corpora terræ reddita, sua velut sponte diffluant, & in terram, è qua manarunt, revertantur. Sed hinc oritur alia quæstio.

Sepulchra ubi? Utrùm in urbe sepulchra locum invenire debeant, an extra urbis pomœria.

Pro secunda controversiæ parte facit antiquitas, quæ suis tumulos elegit, effoditque extra urbes.

Extra urbes. Ita Judæi, ipsaque Hierosolyma, amplissima urbs, civium suorum sepulchra posuit in valle Josaphat.

Ita Joseph ab Arimathia sibi sepulchrum condiderat ad Calvariæ radices, in quo deinde Servator Universi conquievit.

Ita denique, ut argumentum petam ab historia, quæ est in manibus; defunctus efferebatur filius unicus matris suæ.

Judæis accessère Græci, apud quos nefas erat quemquam in urbe sepelire: Ipsi certè Athenienses ex Solonis instituto, longiùs à civitate sua campum elegerant, in quo ter in tribus columnis sepultorum nomina scriberentur.

Romanis quoque ager erat suburbanus, campus Martius, aut aliqua via, velut Flaminia, aut Latina, in qua sua sepulchra avito more extruebant: & hunc ritum servare placuit lege duodecim tabularum, imò & graviore multâ, quàm Adrianus Imperator iis imposuit, qui in urbe suos terræ mandassent.

Imò & ipsi Christiani in prima nascentis Ecclesiæ infantia extra Romanæ urbis pomeria, suis tumulos erigebant, ut etiam modò videre est in cœmeterio Priscillæ, S. Sebastiani, S. Laurentii, & aliorum sepulchris, in quibus etiamnum quiescunt magnarum mentium exuviæ, & gloriosi Martyrum cineres.

Cujus instituti aliæ, æque aliæ rationes proferri possunt: ut omittam eas, quæ ductæ sunt ab aliqua superstitione. Orator Romanus hanc affert secundo de legibus, quod iniquum videretur locum publicum privata religione obligari. I. Ratio.

Accedit quod sepultura non modò defunctorum quieti, sed & vivorum commodis servire debeat; ut scilicet corpora visu, & odore fœda, amoveantur: nevè tabida cadaverum lue & graveolentiâ aër ipse aliquo modo inficiatur. II. Ratio.

Hæ rationes, aliæque suaserunt extrà urbium septa constituenda mortuorum sepulchra. Verùm lapsu temporis, ipsâque experientiâ rerum magistrâ edocti posteri didicerunt longè opportunius esse, & defunctorum quieti, & vivorum commodis, si in urbibus ipsis sepulchrorum locus aliquis assignaretur, isque vel in æde sacra, vel in loco adjacente. In urbibus.

I. Ratio. Primùm ut mortis memoria, quasi sanctioris vitæ stimulus, etiam de propinquo vivos, ac valentes pungeret.

II. Ratio. Deinde ut adolescentes domesticis exemplis eruditi assuescerent, non metuere, non horrere, aut fugere mortem; sed potiùs amare, prosequi, & forti, firmóque pede inevitabiles lethi calcare vias. Et hæc ratio fuit cur Lychurgus lata etiam lege Spartanis edixerit, ut mortui cives in urbe sepelirentur.

III. Ratio. Accessit & alia ratio, eáque formandis moribus accommoda; quòd sic detur quodammodo habitare cum mortuis, loqui cum mortuis, & in eorum cineribus vitæque reliquiis vitam omnem agere, mortémque meditari, objectis è vicino defunctorum sepulchris. Et hæc meditatio habita quondam veluti primus, ac summus Philosophiæ proventus; ut enim habet Græca parœmia: ὀρθῶς φιλοσοφεῖν ἐστὶ τὸν θάνατον μελετᾶν. *Rectè philosophari, mortem esse meditari.*

IV. Ratio. Hæc ratio Tarentinos impulit, ut defunctis civibus intra urbis suæ ambitum tumulos designarent; quod Oraculo didicissent beatiores se fore, si cum pluribus, id est, cum vivis ac mortuis habitassent. Et istæ rationes communes omnibus: hæ, quas subdo Christianis propriæ, ac singulares; ut scilicet Templum, aut Cœmiterium ingressuri, meminerint superos, Deumque pro defunctorum quiete precari; ut eorum animæ, si fortè in expiatoriis ignibus detinerentur, ex illis in cœlos evadant, locumque beatitatis.

V. Ratio. Ad quod beneficium etiam confert illud; quòd Sacrificiorum, quæ in Missa fiunt, sint participes animæ, quarum exuviæ in templis jacent.

VI. Ratio. Denique quod Sanctorum, qui istic & quiescunt & religioso cultu celebres sunt, precibus adjuventur.

Et hæc causa movit Constantinum Magnum, Cæsarem Augustissimum, ut in portien SS. Apostolorum Petri, & Pauli, sepulchri locum sibi deligeret; quòd crederet & securiorem se, & propè beatum si jaceret ad limina SS. Apostolorum, quos ut cœli principes venerabatur, & à quibus sibi prælidium sperabat in Superum Regia.

Dignum ceris est illud, quod de sepulchro Danielis refert Rabbi Benjamin. In urbe *Susan habitabant* Judæi septies mille discreti in Synagogas quatuordecim, quas medius Tygris sic dividebat, ut pars cis, pars trans illum :: sed quod in hac, & illa mirabere; pars una accolas omnes divites habebat, atque opulentos; altera contrà pauperes omnes, atque abjectos; quæ diversæ fortunæ ratio, adscribebatur sepulchro Danielis, quod ab ista stabat. Et hinc data occasio primùm querelis, deinde jurgiis, denique pugnis: ventum enim ad manus, & arma, quibus decerneretur, cuinam parti cederet, illud sepulchrum: Tenuit ea lis complures annos quibus hinc, & inde acris pugna, non sine cæde & sanguine; cui ut tandem finis, modúsque imponeretur: in has conditiones descendêre, ut alternis annis Danielis Cippus ad alteram partem deportaretur, unáque etiam, ut rebantur, fortuna melior.

Quod & factum annis quamplurimis, quibus etiam id servatum, ut cùm in alteram urbis regionem transferretur sepulchrum, eodem quoque longè plurimi suas ædes, ac domicilia transferrent: Tenuit ea vivendi ratio, eáque Judæos inter conventio, usque ad Regem Senigar, qui cùm non pateretur sanctissimi Prophetæ tumulum ultro, citróque transportati, modum adinvenit, quo litem dirimeret.

Primùm enim exactè dimensus est spatium, quod inter utramque partem intererat; deinde Danielis Cippum arcæ vitreæ inclusum, æneis catenis è trabe sic suspendit, ut æquè ab hac, & illa parte distaret; & ita ex æquo tam huic, quàm illi faceret benè. Hæc Rabbi Benjamin, è quo illud deduco ad meum institutum, quantum intersit Reipub. bono, privatorúmque commodis, ut virorum magnorum sepulchra in urbe reponantur.

Certè ut abeamus à Daniele, & antiquiora illa missa faciamus, demúsque unum quod est recentioris memoriæ: fassi sunt ipsimet hæretici, ex quo postulante Ferdinando II. Cæsare Augusto & pio, eductum Magdeburgo est sacrum corpus D. Norberti, visa est simul educi secunda fortuna, aut potiùs aliò verti Divina Providentia, quæ ob tanti Præsulis exuvias, illi urbi incubuerat. Ex eo quippè tempore, res illius Civitatis florentissimæ, semper in pejus inclinare, ad usque obsidionem, cædem, bustum, excidiúmque miserabile. Tanti refert in urbe esse sanctorum virorum sepulchra, quæ & asyla illi sint, & propugnacula.

Tanti etiam erga sacras eorum reliquias pios esse. Certè ab illa pietate, & in Cœlo regnum paratur, & subinde etiam in terra; quod ostendit; ac probat ipsa *Hugonis Capeti* prosapia, quæ à religioso Reliquiarum cultu & florentissimum Galliæ Regnum obtinuit, & etiamnum obtinet. Lubet illius meminisse temporis. Obierat Ludovicus ultimus Rex ex Caroli Magni stirpe, ideóque delatum est Regni Diadema Hugoni Parisiensium Duci, planè, juxta SS. Richarii, & Walerici vaticinium dicam, an promissionem? nempè *Hugo Magnus*, ejus parens, & Parisiensium Comes, dum Nortmanni Gallias diriperent, & vastarent, Sanctorum illorum Lipsana in Morinos ad sancti Audomari transtulerat, ne barbarorum injuriis paterent. Hi, verò visi sunt adesse *Hugoni Comiti*, liberatori suo, ac promiserunt, præmium tantæ pietatis futurum Regnum ipsum Galliarum, quod ejus posteritas ideo erat consecutura. Tanti, ut dixi, interest vel Sanctorum exuvias apud se habere, vel in eas etiàm pium, ac religiosum esse.

Silvester Petra sancta Tanmafia. Tom. 2. 14.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Ecce defunctus.* vers. 12.

AD QUID HIC INSERTA ILLA particula demonstrativa: Ecce?

Meditatio mortis quid sit?



NE credè id casu factum, ne levioris calami lapsu, néve etiam ex historici usu, stylóve; sed altiori nutu Divinæ mentis, quæ scribentis manum regebat, & hac particula demonstrativà, *Ecce*, digito notabat illud, quod proximè sequebatur, *Defunctus*; ut sub oculos poneretur mortis memoria, ad quam invitat hic inserta vocula, *Ecce*, & qua etiam invitatus, Amice Lector, pauca demonstrabo, defrequenti, imò & perenni mortis memoria; quid illa sit, & quæ ad eam sequatur utilitas.

D. Bernar-

I. Summa Philosophia. D. Bernardo, *summa est Philosophia meditatio mortis*; Ad hanc Zachæum olim evocavit Christus dum ex arbore jussit exscendere; sic enim, interprete Divo Chrysologo, ad eum Servator; *Festinans descende, ut* Serm. 16. *expeditius intres Philosophiam mortis*; hoc est, veram sapientiam; quæ discitur magistrâ vel unicâ meditatione mortis, à qua doceris caduca despicere, æternáque ambire impensiùs, quod est Philosophiæ.

II. Doctrina salutaris. D. Chrysostomo, *Meditatio mortis est pro Doctore*; D. Paulus, os illud Spiritus sancti, & Evangelii tuba, Troadem ingressus, ad multam noctem dixerat frequenti concione, in qua, & Eutichus adolescens, qui gravi sopore mersus *cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus*; Act. c. 20. v. 9. Hic illicò soluta concio, Paulus conticuit; cætera quippè dixit mors adolescentis repentina. *Pro Doctore casus fuit*, inquit D. Chrysostomus; quod enim de vitæ incertitudine, deque ultima die docere potuit Paulus, docuit mors subita; & casus inopinatus Eutichii adolescentis. Quod si vel unius tantùm occasus partes omnes Doctoris explevit; quid non facient tot funera? tot ruinæ? tot interitus mortalium Orbe toto sparsorum, si eos ante oculos posueris?

Facient enimverò, quod & tum auditoribus Pauli, & deinde Christianis omnibus factum, ut unaquæque dies pro suprema habeatur.

L. de exhort. Cast. c. 12. *De posteriori tempore cogitant Christiani, quibus crastinum non est*, inquit Tertullianus; à quo discedo ut audiam Chrysologum, qui *mortis meditationem*, Ad Philip. c. 1. v. 21. *usuram* appellavit, adjiciens etiam ad illud Pauli, cui *mori lucrum* fuit. Nimirùm pia de morte commentatio adeò dives est, ut & lucrum sit spirituale, imò III. Usura. & usura; reddit enim, quod accipit etiam cum fœnore: si enim sanctas cogitationes ingerit, si desideria bona, eadem auget ingenti proventu; & hinc eadem cogitatio mortis dicta à nonnullis *semen bonorum operum*.

Laërt. in ejus vita. Soloni vertebatur annus ætatis octogesimus, cùm diem suum obiit, qui inter extrema monita illud quoque civibus suis in mandatis dedit: Primùm ut IV. Semen bonorum operum. corpus suum exanime in cineres redigerent: deinde eosdem per provinciam longè, latèque seminarent; ratus hac ratione proseminari posse, & mortis memoriam, & unà cum illa contemptum hujus ævi, rerúmque omnium; in quo repositus erat fructus melioris Philosophiæ, & libertas verè Christiana.

Epist. 26. Seneca licèt gentilis eam agnovisse visus; sic enim ad suos olim: *Meditare utrum commodius sit vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam? egregia res est mortem condiscere. Supervacuum forsitan putas id discere, quo semel utendum est? hoc est ipsum quare meditari debeamus; semper discendum est, quod an sciamus experiri* V. Libertas. *non possumus. Meditare mortem; qui hoc dicit meditari libertatem jubet; qui mori didicit, servire dedidicit, supra omnem potentiam est, certè extra omnem. Quid ad illum carcer, & custodia, & claustra; liberum ostium habet.* Hactenus Seneca, quo authore mortis meditatio quædam libertas est, quam qui induit, unà etiam servitutem exuit; imò extra reli jactum, extráque omnem potentiam esse videtur, nihilque ad illum carcer, aut vincula; ut qui liberum ostium habeat, quo ab illis exeat, imò quo & mortem ipsam evadat.

VI. Pignus immortalitatis. Basilius Seleuciensis notat primos parentes tamdiu immortales fuisse, quamdiu mortis memoriam tenaciter retinuêre: at ubi ad serpentis sibilum illam Gen. c. 3. deposuere; ubi mendaci illi voculæ, *Nequaquam morte moriemini*, crediderê; tum verò etiam immortalitatem, qua donati erant, abjecere.

Crederes memoriam mortis illis fuisse pignus quoddam immortalitatis.

VII. Asylum. Imò & *asylum* est, quò confugias, si te hujus ævi mala premant, aut mors ipsa.

Tertullianus alnore ut aliâs stylo sepulchrum vocat *asylum mortis*; *De requie*, inquit, *sepultura, de asylo* In Apolog. *mortis*. Asylum locus, in quo tutus agit reus; jus enim & religio vetat quidquam ei inferri mali, imò & tangi eum, qui ad asylum confugerit. Et mortis, ac sepulturæ memoria asylum est, ad quod confugis, si incursent mala, si hostis premat. Ad illud olim confugisse visus Abraham, cùm ei de sepulturæ locotam frequens cogitatio, tantaque sollicitudo fuit, cui ut locum dedit, desiit illi Deus apparere, animosque facere adversus inimicorum insidias, quod ei memoria mortis, ac sepulchri esset quodammodo, Celada in Judith. c. 16. §. 25. ac vice Divinæ protectionis, atque asyli. Ita de eo Interpretes.

Est præterea eadem mortis recordatio, *passionum* VIII. Frænum. *frænum, ac remedium*.

Si dolorem vis vincere, circui sepulchra, & passionis habebis remedium; & maximas hominum fortunas ultra cinerem videbis nihil esse, inquiebat Theophilactus.

Ea veritas in aperto erit per principes animi passiones discurrenti; uti facit P. Damianus, quem in hoc argumento juvat audire.

Superbia spiritus inflat, inquit, *sepulchrum ad mentem redeat; necessariò illic rigida cervicis tumorem premimus, ubi cinerem nos, pulveremq́ pensamus.* Opusc. 15. c. 23.

Ira fortassis efferat animum? dirige protinus oculos ad sepulchrum. mox enim omnis amaritudo deponitur, dum quò igros humanus vergat mens provida contemplatur.

Avaritia stimulus incitat? ad sepulchrum prastò semper recurre, ibique condisce, quia mortalitatis hujus incassum stipendia plura congerimus, qui iter ipsum, quod pergimus, tam brevi spatio terminamus. Hæc Petrus Damianus.

Galenus Medicorum Princeps, argentum vivum extingui cinere docebat; & vivam argenti cupiditatem, famem, aut sitim cinere, ceu mortis recordatione, suffocari est necesse.

Quod Superbiæ, Iræ, Avaritiæ; hoc & aliis depravatis affectionibus usu venit: reprimuntur hæ, imò & extinguuntur modico cinere, & animus sui Dominus, ac tempestatum domitor, victórque gloriosus evadit.

Illi quippe evenit, quod gubernatori: *Qui navem regit*, inquit Golfridus, *non in prora residet, sed* Alleg. in Ecclesiasticum *in pupp.; sic nostra navis gubernator animus prosperè cuncta dirigit si fuerit intentus extremus*; si non sederit in prora, hoc est primo vitæ limine; non ambularit per fora, id est, longioris ut apparet vitæ spatium; sed hæserit in puppi, hoc est in extremo vitæ, attenta, Qui eam usurparunt & perenni meditatione.

In hac se exercuere tum profani, tum sacri viri; ex illis unum producam. Is erit Pacunius Syriæ Pacunius. princeps, ac Dominus, qui regionem amplissimam fecerat suam: solebat is diebus singulis post cœnam in cubiculum deferri funesto, & quasi parentali famulorum cantu, quo ad symphoniam resonabant hæc voces: *Vixit, vixit.*

Hoc fuit domesticum viri principis funus, quo docuit nunquam emori debere mortis memoriam; sed potiùs etiam inter epulas, regiásque dapes in dies excitari, ac reviviscere oportere. De illo ita Seneca:

Pacunius, qui Syriam usu suam fecit; cùm vino, & Epist. 12. *illis funebribus epulis sibi parentaverat, sic in cubiculum ferebatur à cœna, ut inter plausus exoletorum, hoc ad symphoniam caneretur, βεβίωκε βεβίωκε nullo non se die extulit.*

Ubi hæc de illo: tum ad alios stylum vertit, & ait:

Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus, & in summum ituri; læti hilaresq́ dicamus:

Vixi, & quem dederat cursum natura, peregi. Crastinum si adjecerit Deus, læti recipiamus.

Ille est beatissimus, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat; quisquis dixit, Vixi, quotidie ad lucrum surgit.

Baronius. Cæsar Baronius, notus à purpura, notior à calamo, notissimus ab integritate vitæ, hæc uni de societate sibi familiari retulit.

Cùm gravi tenerer morbo, venissemque ad extrema vitæ mortisque confinia, nocte concubia in suavem soporem incidi, à quo mox excitatus, vidi exhiberi mihi numerum 69. simulque audivi (Deo ut reor tum in animum illabente) hæc intrinsecus mihi dicta: *Hic est numerus annorum tuorum.*

Et verò etiam is fuit, creditumque id datum S. Nerius. S. Philippo Nerio, qui pro Baronii incolumitate supplex ad Deum venit, & vitam prolongari petiit usque dum operi cœpto ad bonum Ecclesiæ coronidem imponeret.

Quod & factum feliciter, sed & illud Christianè, ac piè.

Ut diei illius, simulque mortis memoria semper esset in oculis, in cubiculo, in atrio, in aulis, ac propè palatio toto numerum 69. inscribi curavit: ut dum hic veniret in oculos; simul in animum veniret diei illius extremæ recordatio: quam diebus B Borgias. singulis usurpabat & ipse B Franciscus Borgia, eumque in finem manè ubi è strato surrexerat, terram, in quam rediturus erat, osculabatur, sibi dicens in aurem illud: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Simile quid expressit Maldonatus è Societate nostra, à doctis ingenii monumentis Orbe toto celebris; sed magis à vitæ, morumque innocentia; quam ut illibatam servaret ad extremum usque, diebus singulis quinies animo memori objiciebat supremam horam, quasi jam advenisset; & ita secum ipse meditabatur, secum loquebatur, secum agebat velut jam jam moriturus.

Prima ejus utilitas. Hæc ille, eadem & alii; quos ut non pigeat imitari, adjiciam eam, quæ ex illa commentatione manat, utilitatem: & quidem

Prima est ista, quod hominem labi facilem sustineat, ne aut incurrenti tentationi conniveat, aut peccato succumbat: cujus probè conscius Propheta Job, hæc sibi sæpiùs ad aurem, imò & animum:

Cap. 17. *Dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.* Quid inde boni? subjicit illicò: *non peccavi;* quasi diceret, quia & dierum meorum brevitas, & sepulchri nox in oculis fuit, nunquam lapsus sum in peccati noctem, damnandasque tenebras; sed in amœna gratiæ luce vitam omnem exegi.

Secunda. Altera utilitas, quæ ad priorem sequitur, est quòd vitiis moriatur & occidat, qui apud se cogitatione frequenti moritur, atque occidit, quod pulchrè expressit Petrus Damianus:

Opusc. 15. c. 23. *In omni*, inquit, *pugna surgentis articulo hac te sollicitudo non deserat, ut protinus mentis oculos ad sepulchra contemplanda convertas, quatenus dum te illis immundum, abjectùmque pulverem esse consideras, cervicem cordis adversus conditorem in arrogantiam non extollas, dumque conspicis procul dubio moriturum, jam te pulsantibus vitiis exhibeas velut mortuum?*

Tertia. Sed & aliud est, quod inde surgit bonum: dum à meditatione mortis à peccatis surgit, qui in ea lapsus erat; nec patitur in seipso scelerum tyrannidem, qui mortis imperium in se etiam sola cogitatione admiserit. Et hoc est quod indicatum voluit Apo- Ad Rom. c. 6. v. 12. stolus, dum ait: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.*

Peccatum fingit ut tyrannum, qui in corpore, ceu regia, subinde regnat: non tam legitimo imperio, quàm usurpata per vim, & nefas tyrannide. Ne porrò sic regnet, oportunè suggerit Apostolus mortale esse hoc corpus: ut vel sola mortis memoria, mœstique cineris, peccati jugum aut avertat, aut excutiat.

Ita eacussit olim in puella nobili, cujus meminit P. Petrus Cottonus. *In Lib. Med.* Erat hæc imprimis addicta mundo muliebri, delicatula, comptula, vanula, & parùm castis implexa amoribus, à quibus ut eam abstraheret vir religiosus, qui ei tum erat à confessionibus, hanc injunxit pœnitentiam, ut quoties manus ablueret, diceret ipsa sibi: *Hæ manus rotundula, blandula aliquando erunt esca vermium.* Hæc ubi sæ- Quarta. piùs ipsa sibi dixit, sensit aliam esse se, alias cogitationes, alios amoris æstus, alios impetus pœnitentis animæ, & ad meliora jam aspirantis. Non jam placere choreæ, tripudia, joci, comediæ, & ducta cum juvenculis in seram noctem colloquia; non abblandiri voluptas, non arridere venusta facies, & sucis illita, non vestium luxus quæri, non aliæ ætatis illius, ac sexus mollioris illecebræ. Nimirum jam illi solus in amore JESUS, sola in votis virtus, & quæ ad illam sequitur beata Æternitas. Tantum potuit una mortis cogitatio sæpiùs repetita; ad quam etiam aliud consequitur vitæ Christianæ commodum: nempe despicientia eorum omnium, quæ mundus Quinta. fallax amat, ac suspicit. Pictor nobilis in nuda tabellæ area exesum hominis caput depinxit: subjecta hac epigraphe: *Cogitanti vilescunt omnia.*

Et purpura, & sceptrum vilescit, cùm animo succurrit etiam coronatos vertices à morte demeti.

Aurum, gemmæ, & Occidentis, atque Orientis opes pro nibilo babentur, ubi iis omnibus ab invito mortis manu nudandum se videt homo; ubi in terræ sinum abjiciendum nudum cadaver.

Honos omnis, & fama, & magni nominis umbra penitùs evanescit, ubi à mortis afflatu dissipari hæc omnia viderit. Adeò verum illud: *Mortem cogitanti vilescunt omnia;* omnia, inquam, caduca, ac terrena: at in pretio sunt cœlestia, atque æterna; in amore virtus est, in votis beatitas.

Exemplo nobis erit B. Jacobus Venetus, qui ut gradum faceret ad altiorem aliquam vitæ perfectionem, ad Crucifixi pedes adjecerat caput hominis demortui, in quod oculos dum conjiceret, audire sibi videbatur quædam benè vitæ regendæ monita, Divinas præceptiones, & cœlestes maximas; quas dum audit, & sequitur, ad eam evasit morum sanctitatem, quam in illo postea amavit, ac suspexit Orbis universus.

Exemplo erit & P. Franciscus Cardosus Lusitanus, cujus mors eximiæ virtutis documento fuit.

Dixerat hic ad frequentem populum de mortis insidiis, ac filio viduæ Naïm, & quidem eo verbo- *Ulyssipone Anno 1604. 20. Sept.* rum pondere, ea mentis contentione, ut plurimis lacrymas elicuerit. Die insequenti cùm ab æditu ad celebrandum Sacrum evocaretur, mensæ suæ in cubiculo assidens, mortuus est repertus.

Acciti alii reperere illum porrecto in apertum librum digito, impressa istic hæc verba monstrantem: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* *Nadasi in Anno Dier. memor 20. Sept.*

Hîc omnes invasit stupor, & sancti concionatoris veneratio, quam deinde secuta multorum comploratio, altique gemitus, quos exceperunt exequiæ ea celebritate, ut nihil simile unquam viderit Ulyssippona: est qui dicat fuisse Regibus pares. Et hic fuit tanti viri exitus, quem præsensisse; imò & prædixisse auditus. Dixerat enim se non in lecto ignava morte; sed stantem moriturum.

Et verò stat, qui ita sedens, ac moriens digito notat ipsam stationem beatitatis, in qua stabit in omnem retro æternitatem.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm appropinquaret portæ Civitatis: Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat, & acceſſit, & tetigit loculum.* verſ. 12.

QVÆ VIDVA? QVIS DEFVNCTVS? QVIS ILLE LOCVLVS? Qui eum efferunt? Quò? Et quá portâ Civitatis?

Senſu morali.

VENIAM dabis, amice Lector, ſi diſcedam à littera: & accedam ad ea, quæ faciunt ad mores; tribus potiſſimùm de cauſis.

Una eſt, quia Evangelicæ hiſtoriæ ſeries in aperto eſt, nihilque in ea involutum, quod evolvi debeat curioſa indagine.

Alterà, quia nec hiſtoricus expreſſit, quis ille adoleſcens, quid ei nominis, quæ mater, aliáve ejuſmodi.

Poſtrema denique, quia moribus ritè formandis præcipuè impenditur ea, quam hic ſuſcepi, ſcribendi ratio; quam in præſentia dum teneo, ad allegoriam deflecto, & quæro. Quæ mater vidua? quis defunctus? quis ei loculus? qui illum efferunt? quò, & qua Civitatis porta?

Vidua eſt Eccleſia.

Vidua, eſt bona Mater Eccleſia. Defunctus eſt Chriſtianus, quiſquis is eſt aliquo lethali ſcelere pollutus; adeóque & ſibi, & cœlo, & Deo quaſi mortuus: loculus, in quo malè jacet eſt prava conſcientia: qui intrinſecus efferunt, ſunt paſſiones, cupiditates, & prava deſideria; extrinſecus mali conſiliarii, & ſi voles etiam dæmones. Porta Civitatis, eſt corporis ſenſus, eſt oculus, eſt auris, eſt guſtus, odoratus, tactus, per quorum ſingulos ſæpè mortuus exportatur infelix animus. Ita venerabilis Beda, quem interpretem ſic ſequar, ut de ſingulis attingam pauca.

QVIS ILLE DEFVNCTVS?

Defunctus peccator.

Dom. 15. poſt Pent. Serm. 2.

DIvus Bonaventura diſtinguit quadruplicem mortem, ex eáque quatuor quoque mortuorum genera; ait enim: *Quidam mortui ſunt morte naturæ; quidam morte culpæ; quidam morte gratiæ; quidam morte gehennæ. Mors eſt privatio vitæ: Primi ergo mortui privantur vita naturali: Secundi, vita ſpirituali: Tertii, vita carnali: Quarti, vita æternali.*

De ſecundis mihi in præſentia erit quæſtio, quam ſolvet ipſe Seraphicus Doctor; oſtendet enim quid ſit, & qui fiat mors ſpiritualis, & quot ab hac ſint genera mortuorum: & quidem

Ad primum ſic diſcurret: *Moritur homo in anima per peccatum mortale; ſicut enim vita corporis eſt anima, ſic vita animæ eſt Deus: ſi anima deſeratur, moritur corpus; ſic anima moritur, ſi deſeratur Deus.*

Ad ſecundum ſtatuet tria genera mortuorum ſpiritualiter, eáque petet ex tribus mortuis, quos vitæ reddidit Chriſtus: *Puellam enim mortuam ſuſcitavit in domo; Adoleſcentem in feretro; Lazarum in ſepulchro:* & hi typus ſunt, & umbra quædam trium in ſpiritu mortuorum; & hoc à triplici genere peccatorum lethalium: *Peccatum enim mortale quandóque eſt in voluntate, & tunc eſt mortuus in domo; adhuc enim latet interius; quandoque in opere, & tunc venit extra portam; quandóque in conſuetudine, & tunc eſt in ſepulchro.* Itáque mors ſpiritualis triplex, quam exprimit antiquus verſus ſtylo quidem nudo, ac ſimplici; ſed pio:

Mens mala mors intus, malus actus mors foris, uſus
Tumba, puella, puer, Lazarus, iſta notant.

Inde factum exiſtimo ut in Sacris Paginis peccare, & mori, idem omninò ſit: Ezechielis voce dixit olim Cap. 18.
indulgens Deus: *Nolo mortem peccatoris.* D. Cyprianus vertit: *Nolo mortem morientis;* quaſi idem ſit peccator, ac moriens; idem peccatum, & mors: ut patet ex illo Jeremiæ, qui hæc de Chriſto triſti Cap. 4 v. 20
næniâ: *Captus eſt in peccatis noſtris.* D. Ambroſius ex Hebræo ſic legit: *Comprehenſus eſt in interitu noſtro;* quaſi peccata ſint idem, atque interitus.

Hunc ſtudioſiùs expende, quiſquis à lethali ſcelere cœlo, gratiæ, Deoque mortuus es; & in hoc Adoleſcente vita functo, teipſum contemplare: eſt enim ille umbra quædam, atque imago tui, qui etiam loculo clauſus teneris, atque efferris; ſed quis, inquies, ille?

QVIS LOCVLVS?

Loculus.

LOculus dicitur, quaſi *parvulus locus*, & hoc tandem clauditur omnis homo; Crœſus, Irus ve ſit, nihil intereſt; in quo lugebis, damnabisque miſeram mortalium vanitatem, qui ſibi amplas porticus, & ingentia tectorum ſpatia metiuntur; imò urbes, & regna, quibus tandem à morte exuti, exiguo circumferuntur in loculo.

Ita circumlatus olim, clauſúsque Alexander, cujus ambitioni etiam unus non ſufficiebat orbis.

Ita Guilhelmus Normandiæ Dux, qui ab Anglia parta, domitáque, *Conquirentis* nomen accepit, & ipſe exiguo contentus loculo, ut bellè exprimit erectum illi hoc Epitaphium in Abbatia S. Stephani:

Rex magnus parva jacet hic Guilhelmus in urna;
Sufficit & magno parva domus Domino.

Quæ illi domus ſuffecit, eadem & aliis quoque ſufficiet: ſed ne longiùs in argumento ſatis obvio, & probè noto. Dicamus aliquid ad mores: Quis ille loculus?

1. Corpus.

Theophilacto eſt corpus hoc mortale: quod circumferimus, & quo tandem ſepulchro immortalis anima tenetur, ac circumfertur: quod dum æqua lance expendit S. Gregorius Nazianzenus, homines Græca voce appellabat *δυςάφους*, id eſt, *bis ſepultos*. Primùm in corpore; deinde in terra. Quæ hominis ſepulchra bellè expreſsêre Græci quadam affinitate vocum corporis, ac ſepulchri: corpus enim *σῶμα*, ſepulchrum autem *σῆμα*, unius tantum litterulæ differentia; ut inde noſſes inter corpus & ſepulchrum parum aut nihil intereſſe; imò corpus animæ ſepulchrum eſſe.

Quod ſi ita eſt, amabo te, mi Lector, quæ dementia corpori, ceu ſepulchro plus indulgêre, quàm animæ? illud in amore, ac pretio habere; hanc autem contemptui, ac propè odio.

Illud veſtire, ornare, colere, non ad neceſſitatem tantùm: ſed etiam ad luxum, & pompam: hanc autem nudam velle, nudam dico gratia, charitate,

aliisque

De civit. L. 14. c. 8.

Fecerunt Civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cœlestem verò amor Dei usque ad contemptum sui.

Hæc S. Præsul, ex quib conficis terrenam Civitatem esse hominem scelestum, atque impium, qui suę cineri, amoríque totus incubat; cœlestem verò hominem justum, ac pium; qui ad puros Dei sui amores amplexúsque rapitur totus: & hic, & ille suas habet portas. Quæ sint illæ quæris? Sunt corporis humani sensus, per quos aliquando perperàm exit à seipso, imò & effertur violenta quasi manu.

Portæ sensus.

Lib 21. Mor. c. 2.

D. Gregorius Magnus aiebat, sensus esse *animo foramina egredienti*; & per eadem concupiscentiam *hab.taculum intrare mentis.*

Lib. 2 in Iovin. c. 4.

D. Hieronymus eosdem corporis humani sensus dicebat esse quasi quasdam *animi fenestras*, per quas furnvè elabitur.

Cap. 60. v. 8.

Fortè hausit illud ab Isaïa, qui justos adumbravit emblemate nobili; ubi dixit esse *quasi columbas ad fenestras suas*; quæ scilicet innocentiam in sentibus retinerent, & prudentem cautionem, ne per illas à se, à ratione, à Deo suo mens exiret.

Alii sensus appellavere, *Portas animæ*. Certè Pythagoras scholæ eruditæ princeps, oculos vocabat ἡλίου πύλας, *Solis januas*; Illius, inquam, Solis, à quo in microcosmo, id est homine, lux omnis; mens scilicet, & intelligentia. Per has sensuum portas effertur animus in loculo, id est, malâ conscientiâ jacens, gratiæ, Deóque mortuus.

L. 21. Mor. c. 2.

Carnales sensus puerile quoddam exterius perstrepunt, & nisi interioris gravitatis pondere, & quasi juvenili quodam vigore refrænentur ad fluxa quæque, & levia mentem enervem trahunt, inquiebat olim magnus Pontifex Gregorius.

Rectè mentem *enervem*, hoc est, destitutam omni robore, quod est à gratia, ceu vita spiritali, trahunt ad sepulcbrum, & peccati voraginem.

Ita traxerunt olim Davidem, magnum illum heroëm, ita extulerunt per ipsas oculorum portas duplici scelere prostratum, ac mortuum.

In Reg. c. 3.

S. David quia oculos in fœminam jecit, & fixit, illius aspectu devictus adulterium perpetravit, ac deinde etiam homicidium: Si ergo tantus vir per injuriam oculorum cecidit; nos qui longe ab ejus Sanctitate distamus, tam mortale præcipitium summopere timere debemus, inquit Ugo Victorinos.

C. 31. v. 1.

Et verò quidni timeamus, cùm timuerit vel ipse Jobus, miraculum Constantiæ, ac Fortitudinis; qui ne exportaretur aliquando per sensuum, pérque oculorum portas, veluti mortuus: *Pepigerat fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine.*

Lib 21. Mor. c. 2.

Ita *S. vir acceptis corporis sensibus veluti subjectis ministris, æquissimus Iudex præerat, culpas conspiciebat antequam venirent: & velut insidianti morti fenestras corporis claudebat*, inquit S. Gregorius.

Et ita nobis claudendæ fenestræ, imò & portæ oculorum; uti & aurium, per quas etiam sæpiùs effertur mortuus à peccato immortalis animus; dum enim curiosiùs excipit verba detrahentis in aliorum vitam, ac scelera: levis abit, & investigat, & investigando seipsum perimi, atque mortuum educi permittit.

Exhort. ad plebem.

Obtrectationis author læditur, & ejus contagio auditor inficitur; inquit Eusebius.:

Sic duos malè perdit una maledicendi licentia: hinc detrahentem, & inde audientem.

Illius exemplum habes in detractore infami, de quo Historia Anglicana, tacito nomine: Hic emoriens linguam extulit, quæ mox fœdè inflari cœpit, & auditæ sæpiùs ab illo expirante hæ voces: *Ista pessima lingua me damnavit.* Uti damnat lingua; sic & auris, si aperiatur illa aut verbis alieno nomini, & bonæ famæ noxiis, aut turpium rerum narratiunculis, aut mollioribus, obscenisque cantilenis: quas D. Chrysostomus appellare solebat, *Satanicas odas*, Cæsarius, *Cantica diabolica*; D. Hieronymus, *Cantorum diaboli venenatam dulcedinem*; D. Cyprianus, *Basiliscum sibilantem*; D. Leo, Orbis terræ Pontifex, *Lethales suavitates*: utpote à quibus peccati lætho perditus effertur animus.

In Psal. 137. Hom 20. Epist 9. De singul. Cleric. Serm 4 de Iejunio.

Hom. 6.

Ne porrò sic efferatur, audiendus Valerianus Episcopus Cemeliensis: *Nemo insidiosis cantibus credat, nec ad ea libidinosæ vocis incitamenta respiciat, quæ cùm oblectant, sæviunt; cum blandiuntur, occidunt*; & ubi occiderint, exportant.

Ita multis auditus est fatalis porta. Hierosolymæ erat porta; quæ porta stercorum vulgò dicebatur, quod per eam stercora in urbem inveherentur. Et talis immortalis hominis animæ, ceu Dei domo, ceu spiritali Civitati est auris, est porta; sed porta stercorum, per quam obscœna verba, ceu stercora, in eam importantur.

In Libro Sentent. PP.

Vir quidam inter Eremicolas celebris vidit aliquando Angelos lætos, atque alacres volitare, cùm religiosæ vitæ sectatores relaxandi animi causa, pios inter se sermones haberent: at ubi primùm ad alia (ut facilè fit) diffluerent, istos primò tristiores factos longiùs abscedere; contrà verò fœdissimos porcos succedere, gestire, applicare se, & cœnum suum ad eos, qui impurè loquerentur. Quid enim aliud? cœnum sunt obscœna verba, & quidem porcorum, id est dæmonum cœnum, quod in aurem, ceu animæ portam, injicitur.

L. 3 Ep. 50.

L. 2. Ep. 40.

Ita multis auditus est porta stercorea, imò & fatalis, nec ille tantùm; sed & gustus, guláque, quæ illi insidet, quam Petrus Cellensis Abbas appellat, *Prostibulum vitiorum*; Isidorus Pelusiota, *Ventris tyrannidem*, quæ hominem, quem occupat, effert extra se, extra rationem, extra gratiam, extra Deum; & hoc per os veluti quandam carnis nostræ portam: qua proh dolor, pudórque! quàm multi etiam hoc, quo vivimus ævo jacentes, ac mortui efferuntur; non efferrentur autem, si ii essent, qui deberent Christiani.

De his certè ista ad Arianos scribebat olim Divus Gregorius Nazianzenus: *Nos nec divitias jactamus, quibus affluentibus cor apponendum non esse lex nostra præscribit; nec annuos, diurnósque proventus numeramus; nec turgida, cibisq; conferta mensa, stupidíque ventris incitamentis efferimur.*

Rectè S. Præsul utitur hac voce, *Efferimur*; ut qui probè noverat à gula mortuos efferri miseros mortales, & hoc oris ipsius, atque faucium porta.

Uti etiam & *porta tactus impudorati*, per quem ut annotat D. Gregorius Nazianzenus fit introitus ad multa vitia; exitus à virtutibus; introitus ad mortem animæ; exitus à vita spiritali: ut proinde meritò D. Hieronymus in vita S. Hilarionis dixerit: *Tactum, & jocos esse morituræ virginitatis principia*; ab his enim, qua data porta ruunt, & ad mortem proruunt incauti præsertim adolescentes; quos hoc loco monitos velim, ut sedulò abstineant à tactu pulchellorum, ac præsertim mulierum; nec à facie tantùm, & manibus; sed & ab harum crinibus, imò & veste; exemplo Sanctissimorum adolescentum, atque ipsius Servatoris dilecti.

Hier. ep. 30. ad Pammachium.

Ioseph cùm tangere vellet Ægyptia, fugiens de manibus ejus, pallium abjecit humilis usque ad servitutem, verecundus usque ad fugam, patiens usque ad carcerem; inquit S. Ambrosius.

L. 1. Offic. c. 17.

Collat. 7. c. 26.

Paulus in Ægypto mirabilis ob excellentem vitæ sanctimoniam, aliásque virtutes, adeò puritatis animi studiosus fuit: *Vt non dicam vultum fœmineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectui suo pateretur offerri*, ait Cassianus.

Denique ut abeam à puris hominibus, qui è molli luto malè ficti, qui solvi faciles in omnem libidinem, qui à carne, ceu læna domestica, sibi timere debent

quàm

quàm maximè; ut, inquam, ab illis abeam, veniamque ad Servatorem nostrum, ad Deum hominem, qui quamvis esset ipse extra libidinis tela, & jam vita beatiore frueretur neque tamen tum tangi se passus est à Magdalena, muliere religiosissima; sed cùm illa jam prona rueret, ita paucis vetuit: *Noli me tangere*; quod ad omnem posterorum memoriam in Evangelio notatum voluit, ut doceret ejusmodi tactus esse fugiendos; quod ab illis homo & sæpè privetur Dei gratia, & mortuus efferatur; uti etiam subinde ab odoratu, qui & ipse pudicitiæ hostis est; afflati quippè odores è suavissimis rebus corpus effæminant, atque emolliunt ad delicatissimas voluptates excipiendas, à quibus deinde ad mortem itur, & sepulchrum, eâ, quæ patuit sensus illius portâ.

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Adolescens tibi dico surge.* vers. 13.

QUÆ VIS? QUÆ REPOSITA SPES in illis CHRISTI *verbis?*

Vis divina. Is altior; vis omnipò Divina, quæ ad inferos evadit, quæ mortuos excitat, & vitæ reddit, non orando, sed imperando. Ait enim Christus: *Adolescens tibi dico surge*; tibi dico, tibi impero, & ipsi morti: vocem imperantis audiit adolescens, audiit & mors ipsa omnibus aliis & surda, & cæca, & illicò paruit.

Non sic Eliæ, non sic Elizæo; etsi enim ad horum vocem, qui vitam amiserant eam recepere: at non imperio datum illud, non præcepto; sed supplici orationi, cui Cœlum, & Deus annuit.

Non sic etiam Petro Apostolorum Principi; etsi
Act. c. 9. v. 40. enim conversus ad corpus emortuum dixerit: *Tabitha surge*; at non addidit *tibi dico*; hoc enim Christi fuit, & solius Divinæ potestatis, cujus est etiam mortuis, & morti imperitare.

Et ita aliquando imperitabit *novissima tuba*, quæ
Serm. 103. ut elatè D. Chrysologus: *Inferis infert bellum, sepulchri resolvit moles, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem perpetem dat triumphum.*

At quæ, inquies, est illa tuba? *Non ea tantùm, quæ arctato spiritu per concavum cornu ligni, vel æris, tristem bellantibus dat mugitum, sed potissimum illa, quæ de corde patris, ore filii vitalem, & inferis, & superis dat clamorem.*

Spes resurrectionis. Hæc nimirum est *novissima tuba*, quæ etiam prima fuit: *Tuba enim quæ in principio mundum vocavit ex nihilo, ipsa in novissimo mundum revocabit ex perdito; & quæ initio hominem suscitavit ex limo, ipsa in fine hominem resuscitabit ex pulvere.*

Exemplo seminis. Et verò quidni resuscitabit? si enim, ut hîc ille ipse S. Præsul: *Ex tuba Divinæ vocis semina nascuntur, crescunt, adolescunt, juvenescunt, senescunt, decidunt moriuntur, & iterum vitalibus sepulta sulcis resoluta putredine salutari ex morte in vitam suam redeunt, de corruptione propria suscitantur in forma.* Si, inquam, *Dei vox, tuba Christi per dies, per menses, per tempora, per annos, vocat, revocat, ducit, reducit, præcipit esse, facit non esse, dat morti, vitæ reddit? Quare quod in omnibus semper facit, semel facere non possit in omnibus? Aut in nobis solis virtus Divina lassessit*; enimverò non lassessit:

Equidenim ut te alloquar, ô homo! *si tibi omnia sua ex morte reviviscunt, cur tu Deo, tua non reviviscas ex morte?*

Reviviscès certè, & cœlo resurges, ac beatitati; & verò ad hujus resurrectionis sinceram fidem, spem firmam, expectationem certam te excitat vel exemplo suo, qui ad solam Christi vocem resurrexit adolescens, quem ut matri, ut vitæ redditum contemplatur D. Chrysologus, sic olim ad Fratres, ad auditores suos, sic in præsentia ad vos:

Hortor ut unius resurgentis exemplo ad fidem Resurre- Fides resurrectionis.
ctionis omnium concitemur, & credamus, quod Crux nostri corporis sit aratrum, Fides semen, sulcus sepulchrum, resolutio germen, expectatio tempus, ut cùm ver Dominici Adventus arriserit corporum nostrorum matura tunc viriditas vitalem resurgat in messem, nescituram jam finem, nescituram canitiem, non passuram falces, nec flagella sensuram.

Ubi sic altiore stylo est adhortatus, ubi resurrectionis aliquando futuræ modum, ordinem, tempus exemplo seminis ostendit; tum rationem subjungit.

Quia scilicet depositis in morte vetustatis paleis, novum Ratio resurrectionis.
gloriosi corporis consurgit in fructum.

Denique elabitur ad communem totius generis humani resurrectionem, quam probat esse impetrandam Ecclesiæ precibus, sudore, sanguine; sic enim ad extremum conficit.

Si ad unius viduæ lacrymas temporales sic motus est Christus, ut occurreret in via, ut ex oculis stillantia dolorum fluenta restingueret, ut recuteret mortem, reduceret hominem, resuscitaret corpus, vitam reduceret, planctum verteret in gaudium, & exequias lugubres in festivitatem Causa meritoria.
natalitiam commutaret, & pheretro datum, matri vivum redderet ex morte; quid modò faciet, quando immdescit viribus suis ad Ecclesiæ suæ lacrymas diuturnas, ad sponsæ suæ sanguineos sudores? Nam per supplicantem Ecclesiam lacrymas fundit juges, per Martyres sacrum Sanguinem sudat, donec unicum suum, hoc est, populum Christianum, quem tot ad mortem ferunt tempora, occurrens Christus de mortali pheretro perpetuæ vitæ reddat in supernæ matris gaudium sempiternum.

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

Ad illa verba: *Resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui.* V. 15.

CUR PRIMUM RESIDET? Deinde loquitur?

Signa corporalis resurrectionis. ACRA Historicus duo hic aperit vitæ redditæ signa: Primum quod adolescens, qui jacebat mortuus, resederit; hoc est erexerit sese, ut deinde sederet: alterum, quod explicato linguæ vinculo fari cœperit, & abire in Salvatoris sui laudes: in quid enim potiùs? Certè si solvi debuit lingua, ideò solvi, ut ei diceret benè, à quo & vitam & vocem receperat.

I. Residere. II. Loqui. Sed cur inquies primùm residet? Cur deinde loquitur? hic est quæstionis nodus, qui facilè solvi potest, ubi agitur de vita corpori restituta; hæc enim illius indicia sunt manifesta: àt difficultas exurgit paulò major ubi tractandum de vita gratiæ, reddenda infelici animulæ, quæ à lethali peccato erat mortua; cur nimirum residere debeat illa, seseque primùm erigere? tum etiam loqui?

Eadem & spiritualis. Huic quæstioni faciam satis, si dixero & hæc quoque esse signa spiritualis resurrectionis, quod exemplo clariùs evadet.

Probatur in Prodigo. Adolescens prodigus, qui typus fuit, & umbra quædam animata peccatoris, id est mortui, ubi ad vitam meliorem aspirare cœpit, primùm ait:

Serm. 2. *Surgam. Iacebat qui dixit, surgam, intellexit lapsum, sensit ruinam, jacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico, & ideò exclamat: Surgam. Et surgens venit ad patrem,* Serm. 3. *non gressu pedum, sed mentis incessu;* inquit Chrysologus.

I. Surgit. Quod olim prodigus sibi, Patrique mortuus; hoc & peccator: surgat ille primùm à luto, in quo jacuit; à loculo, in quo portabatur; hoc est, à peccato, & peccandi consuetudine discedat, non corpore, sed mente: surgat, inquam, vel exemplo Prodigi: Serm. 3. *Surrexit ille mentis, & corporis de ruinis; surrexit de profundo inferni.* surgat & hic, hac spe certus, quod apud cœlestem Patrem *Filius surgit plus de venia, quàm corruit de reatu.*

Ubi autem ita surrexerit, tum veniat ad Patrem: est enim adhuc ab illo longè.

Quomodo longè? quia etsi venit, nondum pervenit; venit ad pœnitentiam, sed nondum pervenit ad gratiam; venit ad domum patris, sed nondum pervenit ad gloriam pristini honoris. perveniet autem ubi loqui cœperit, ubi has II. Loquitur. apud se jactare voces: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te.*

Quid deinde? *Vidit eum pater de longè, & misericordia motus est: movetur misericordia, qui loco moveri non potest; accurrit non progressu corporis, sed pietatis affectu; cecidit super collum ejus, non lapsu viscerum, sed compassionis; cecidit super collum ejus, ut amoris onere onus tolleret peccatorum.*

Videtis, inquit S. Chrysologus, *quia filius juvatur istius patris onere, non gravatur.*

Et osculatus est eum; sic nimirum *pater judicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella.*

Pergit indulgens pater; & sic ad servos: *Citò proferte stolam primam.* *Citò*, inquit, *videtis quia delicta non videt vis amoris. Tardam misericordiam pater nescit, delicta qui discutit, prodit.*

Ne porrò prodat jubet proferri stolam primam, & dari annulum in manu ejus: *Sic paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat & honorem.*

Imo & *calceamenta det in pedibus, ne vel in pede rem meat deformitas nuditatis: sed potiùs ut calceatus anterioris vita redeat ad cursum;* imò etiam ad paternas delicias mensæ: hinc jubetur *parari vitulus saginatus,* qui scilicet *testetur paterna pinguedinem charitatis.*

Ecce qua ratione Prodigus, qui mortuus erat revixit, & quibus viis ad eum venit boni Patris miseratio. Iisdem ad te veniet, ô peccator; si primùm surgas à sterquilino, in quo fœdè jacuisti; si abeas à porcis, à carnalibus affectibus, quos pavisti; si ad Deum, à quo abiisti, redeas; si loquaris opportuna pœnitentis animæ verba; si in cœlum jactes illas voces: *Peccavi;* si in Patris spiritalis aures deponas, atque abjicias quod hactenus malè tenuisti peccatorum onus.

Certè ut surgas, ut loquaris, doceris etiam exemplo hujus adolescentis, qui resedit; & statim cœpit loqui.

De quo quærit Richardus, cur priùs resuscitatus, quàm puella.

In promptu est responsio; quia priùs mortuus: ita est si in nudo historiæ cortice hæreas; at si ad medullam pervadas, si sensum mysticum attendas, alia planè causa, eáque plena mysterio. Priùs vitæ redditus est adolescens, qui efferebatur extra portam, nec domi occultabatur, ut puella: ita Richardus. De statu inter hom. c. 5. Ea quod duo disces, bone Lector.

Primum, lethale peccati vulnus citiùs sanari si pateat, si exponatur oculis, & auribus medici spiritalis; tardiùs, si veletur.

Alterum, nunquam sanandum ulcus peccati nisi retegatur; nunquam vitæ reddendum mortuum in domo, in latebris, nisi miraculo; ut olim puella, quæ non assurrexit nisi elata potenti Dei manu.

Ideoque necessum est, ut peccator, qui in spiritu & lethaliter læsus, & mortuus, pandat vulnus, quod latet, & loculum conscientiæ clausum, aperiat.

In quo imitabitur pauperculos illos, ac mendicos, qui vel in plateis populo frequentibus assident, vel stant ad sacrarum ædium fores. Exponunt illi ulcera sua; hic brachium, ille tibiam fœdè exulceratam, & sanie madentem.

Revelanda sunt Domino peccata, sicut pauperes ulcera sua monstrant transeuntibus, inquit Ugo Carensis. In cap. 6. princ.

Revelantur autem peccata, ingenua & libera confessione: *Mortuus per transgressionem peccati justificatus per Contritionem; loquitur per Confessionem*, inquit D. Bonaventura. Serm. 9. Dom. 16. post Trin.

Sed huic plerumque obicem ponit præposterus pudor, & Domino creat mala. Primùm ut ea trahatur in longum, differatúrque in menses, in annos, imò ad ipsa vitæ mortísque confinia; quod & insaniæ plenum, & periculi.

Insaniam probabit objecta quondam B. Arsenio species, & imago.

In denso nemore vidit ille hominem, qui nisu valido cædebat ligna, quæ cùm colligasset in justæ molis fasciculum, illum tentavit in humeros tollere, & facilè sustulisset: verùm, quæ hominis insania fuit; aliis atque aliis ramis hinc, & inde congestis, eum magis, ac magis augere cœpit; & auxit eousque,

ut ne à terra levare quidem posset; ne dum extollere in humeros, atque exportare.

Dum insanos miselli illius conatus speculatur, stupet, ridetque bonus Abbas; ecce adest illi bonus è Cœlo genius, & hæc ei in aurem:

O Arseni, hæc est imago expressa illius, qui aut pudore victus, aut peccati pondere gravatus, confessionem in menses, & annos rejicit: unus ille nneri addit, & dum peccata peccatis accumulat, & moras aliis moris nectit; facit ut non sit ferendo, ut fatiscat, ut deficiat etiam dum vel solùm de scelerum pondere levando cogitârit. Tantum malum est illa procrastinatio, cui accedit & alterum plenum periculi: dum enim sic procrastinas, differsque confessionem, ceu opportunum levandæ conscientiæ remedium: & hoc tibi subtrahit vindex Deus, etsi subinde etiam misericors, cujus exemplum non ita pridem vidit Anglia in Barone de *Stourton*.

P. Morus Hist. Angl. Soc. IESV. l. 5.

Hic animo Catholicam religionem sequebatur, externo cultu hæreticam, sacrorum cultum conservationi bonorum postponens. Ne verò illum mors in hoc gravi neglectu imparatum abriperet, duos domi alebat Sacerdotes, caverátque ne uterque uno die, unáve nocte unquam abesset. At aliter, quam cautum fuerat, Dei occulto judicio accidit, quando illum extrema ægritudo oppressit: nam utroque absente, nulla etiam cujusquam diligentia Sacerdos alter reperiri potuit. Vocatis itaque uxore, œconomo, & domesticis, agnitáque simulatæ religionis gravissima culpa, petitáque à Deo venia excessit non sine gemitu, & lacrymis; ac deinde *P. Cornelio* Societatis JESU Sacerdoti pro ejus anima sacrificanti sese stitit ad latus Evangelii, consueta vestitus toga, quam ut diduxit, latus ostendit ambustum, petitque astantibus impensè commendari, ut è purgantibus flammis eripi posset: quod & factum.

Habes in eo Dei vindicis exemplum simul & misericordis. Alia accipe solius vindicis.

Nobilis quidam magnæ familiæ in Anglia, Catholicus, & magni zeli ac prudentiæ, Patribus nostris notissimus, in pago quodam ubi domum perampl am habebat ministellum hæreticum, hominem litteratum, nec in Catholicos malevolum sibi valdè devinxerat: cumque semel hominem ex more convivio excepisset, in partem vocatum, amicè rogat, Ecquid de Fide sua sentiat? ac post multas ambages elicit tandem veritatis agnitionem; in errore se quidem versari, eúmque quod pejus sit, alios docere, atque adeò à vera salutis semita aberrare; adigi tamen se ad nihil immutandum uxoris, liberorumque alendorum necessitate, nihil quippe sibi opum, nisi quod ex ministerio colligeret suppetere: cæterùm de Dei misericordia sperare non de futuram sibi ante obitum pœnitentiæ ritè peragendæ occasionem. Instat Nobilis, ac seriò monuit in re tanti momenti, unde æterna animæ salus dependeat, non procrastinandum, seni præsertim octogenario; quærendum primò regnum Dei & justitiam ejus, cætera quibus pro se suísque indigeret, à Divina providentia sibi certò adjicienda speraret. Sed nihil profuit. Contigit postea miserum senem in morbum incidere; ac Nobilis illico de hominis salute solicitus famulum mittit qui rogaret num Catholicum Sacerdotem ad colloquium admittere paratus foret? Annuit æger. Adest continuò sub vesperam Sacerdos è D. Francisci familia strictioris observantiæ, is scilicet qui Nobili illi cohabitabat: at æger quieti se dederat. Res igitur in sequentem diem dilata est. Mane insequenti Sacerdotem humanissimè ministellus excepit, & quo de animæ salute cum illo agere tutò posset, domesticos omnes abesse voluit, ac filium nominatim natu maximum, qui aliquid suspicatus tergiversabatur. At ecce horrendum Dei judicium, miser homo cum jam Sacerdotem de Deo sibi conciliando alloqui pararet, antequam verbum proferre potuerit, agonizare subitò cœpit, adeò ut Sacerdos ne se solo teste moreretur, familiam iterum advocasse coactus fuerit, & sic miserrimè expiravit adstante sibi Sacerdote, nec opis quidquam afferre valente. Historiam hanc ex ore Nobilis istius habuit P. Socius Provincialis nostri in Anglia, contigitque sex circiter aut septem ab hinc annis.

Idem Nobilis (ut ipse Patri eidem testatus est) alium quendam Theologiæ hæreticæ Doctorem sibi inprimis charum (nam pædagogum aliquando habuerat) sæpè monuit ne se sciens volénsque perditum iret; nescire enim non posse veritatem Fidei Catholicæ & falsitatem suæ. Hic similiter moras nectebat metu pinguis beneficii amittendi, & conjugis liberorúmque inopiæ. Tandem post frequentia monita inductus est ut Directorium P. Personii, ubi præcipuè de Pœnitentia non differenda agit, pervolveret, eâque lectione valdè permotus mutationem polliceretur intra 5. dies, quas inducias petiit ut interim Londinum iret, ac de rebus suis ad hoc disponeret. Nobilis nescio quid in hoc periculi pertimèscens cùm iter hoc illi dissuadere non posset, instituit summopere ut ad diem præfixum certò se reversurum ad hæresim ejurandam promitteret, aliter insecuturum se & reducturum. Accepit miser conditionem: Londinum abiit: illic morbo subito correptus, in hæresi moritur. Adeo periculosa pœnitentiæ dilatio, de qua sic D. Augustinus:

Res est, quæ multos occidit, cùm dicunt Cras, Cras; & subitò ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum: Cras, cras corvi vox; geme ut columbus, & tunde pectus. *Serm. 16. de Verbo Dom.*

Hæc S. Præsul, qui alio loco instat, & urget: ut exuamus corvi nigredinem, & vocem illius malè ominatam supprimamus, & potiùs columbæ gemitum, candoremque imitemur.

Fratres, inquit, *non tardetis converti ad Dominum: Sunt enim, qui præparant conversionem, & differunt, & fit in illis vox corvina, Cras, Cras. Corvus de Arca missus est, non est reversus; non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reversa est. Quamdiu Cras, Cras? observa ultimum Cras, quia ignoras quod sit ultimum Cras.* *In Psal. 102.*

Ita S. Augustinus, qui non cessat ubique locorum damnare, atque impetere corvinam illam vocem, in quam abit peccator; quem etiam in scriptis suis spirans alloquitur, & sic compellat:

Quando corripis? Quando mutaris? Cras, inquis: ecce quoties dicis Cras, cras: factus es corvus. Ecce dico tibi cùm facis vocem corvinam occurrit tibi ruina; nam ille corvus, quem imitaris exiit de Arca, & non rediit. *Serm. 164. de Temp.* Neque redibis ipse ad Deum tuum, à quo existi; neque ad Ecclesiæ gremium, à quo infidus discessisti; neque ad gratiam, quam exuisti: dum enim facis vocem corvinam occurret tibi ruina.

Ita paucis ab hinc annis occurrit viro imprimis opulento, de quo hæc ad nos plurimorum litteris. Senex erat octogenario major, homo durus, & qui plurimos oppresserat: è morbo cùm periclitari cœpisset, monitus sæpiùs à suis, ut animæ consuleret, & conscientiam jam annis triginta neglectam confessione salutari purgaret: quibus ille respondit, necdum eò periculi deventum, facturum se quod erat officii, ubi præsens instaret necessitas: urgent amici, etiamnum instare, agi de vita, de salute, de æternitate: importunis eorum precibus, monitisque tandem annuit æger, consentitque ut evocentur Religiosi, quos ipsi probassent: dum itur, & curritur; ecce adsunt duo, habitu, ut videbatur, religioso: ad infirmum vocatos se aiunt, admittuntur illicò, & sine teste, & sine arbitro relinquuntur.

Interea

Interea adveniunt alii duo in eadem veste viri verè religiosi, qui & ipsi admitti postulant. Attoniti domestici aiunt duos alios jam intromissos etiamnum esse cum ægro.

Mirari hi, & asserere nullos alios è sua domo evocatos, nullos adesse posse.

Contra domestici reipsa advenisse, & adesse; interea per aulam inambulant hi, tandémque pertæsi moræ longioris, cubiculum subeunt unà cum domesticis de hero anxiis; & ecce neque personatos illos confessarios reperiunt, neque ægrum in lectulo, sed tantùm cubiculi parietes aspersos recenti multóque sanguine; & fumum ac flammas ex imo lecti furentes: evolarant nimirùm tartarei illi corvi, & unà secum traxerant infelicem illum senem; qui tot annis jactarat corvinam illam vocem: *Cras, Cras.*

Sed neque Cras illud illuxit unquam, neque elucescet in tota quanta quanta erit æternitate; quia scilicet priùs occurrit ruina. Nè tibi etiam hæc occurrat aliquando, agè, supplex ad Deum veni, & dic cum Propheta:

Psal. 140. v. 3. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Non dixit claustrum continentiæ; sed ostium: ostium & aperitur, & clauditur; ergo si ostium est, & aperiatur, & claudatur, aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati: ita enim erit ostium continentiæ, non ruina.* Augustin. Ibidem.

Exemplis res erit illustrior.

Anno Domini millesimo sexcentesimo octavo in urbe Oropesa vidit Hispania illustre hoc in genere prodigium. Vir fuit & claudus & captus membris omnibus, & insuper aliis morbis oppressus. Hic sanitatis amantior peregrinationem vovit ad B. Virginem eò loci miraculis celebrem; addiditque insuper votum integræ confessionis (quam scilicet ab annis triginta nonnisi sacrilegam fecerat, suppressis ex malo pudore peccatis quibusdam pudendis, & gravioribus.) Ex Litt. An. Soc. IESV. Anno 1608. Prov. Tolet.

Mirum dictu, visúque! vix votum illud emiserat, cùm ecce perfectâ donatus est sanitate, nam & in pedes consistere, & expeditè incedere; imò & currere visus ad omnium stuporem.

Voti igitur reus, & adeptæ valetudinis beneficio excitatus, peregrinationem ad D. Matris, ac Virginis ædem instituit, eámque subit, & ad confessarii pedes sese abjicit: sed ô grande malum præposterus pudor!) eo sanè victus infelix homuncio, enormia illa scelera iterum reticet, & abit novo crimine, id est sacrilegio gravis, atque onustus.

Sed ecce reducem iterum tangit Dei manus, & vindex Cœlum: qui enim vel voto tantùm, ostium, id est paratum animum, ad confessionem aperuerat, ac deinde os ad illam clauserat, rursùm & claudicare cœpit, & membris omnibus capi, & graviùs ægrotare quàm priùs. Sic illi unum, idemque os & *ostium continentiæ fuit, ac ruina: continentiæ* quidem dum illud concepto voto aperit ad confessionem; *ruina* verò dum insano pudore claudit.

Ab hoc certè dum & in animo sauciæ conscientiæ furiis, & in corpore morbis ac doloribus acutissimis agitatur, de serià atque integra confessione cogitat; ad unum è Societate non tam venit, quàm adrepsit, peccatáque omnia in aurem illi fideliter deposuit, atque rursum ad Deiparæ sacellum peregrinus abiit; quid inde illo actum, nescimus. Fortè indulgens Cœlum id beneficii negavit, quodantè concesserat.

Meliore sorte quispiam alius in Aragoniæ regno, cui etiam os primò fuerat *ostium ruinæ*: deinde *continentiæ.* Ex Litt. An. 1601. Prov. Aragon.

Inciderat hic in scelera quædam enormia, quæ etiam ex verecundia diu, ac frequenter in confessione tacuerat. Cùm ecce opportunè Ecclesiasten è pulpito dicentem, & contra peccata, ac malè sanum illum pudorem detonantem audit, & commovetur totus, & eò quidem ut ad confessarium citus accurrat, gravem illam animæ sarcinam depositurus. Sed (ô grandia scleratæ linguæ vincula, ô insanam conscientiæ læsæ verecundiam!) ab hac oppressus, peccatum quod diu latuerat, iterum clauso ore, ceu animæ ostio, retinet; at suo malo: nocte enim proximè sequenti, repentino & gravi morbo peti se sensit, atque ad extrema deduci: cúmque anxia cogitatione, atque cura evolveret quid tandem cœlo vindice secum agendum esset. Ecce quæ Dei miseratio fuit; has voces auribus excipit:

Hæc omnia pateris quòd admissum crimen celâris improbè: vis eo periculo, morboq́, te expedire; agedùm integrè aperi quod latet peccatum.

Paruit ille quàm citissimè, & confessarium ad se evocari jussit, & omnes animæ maculas sincera confessione eluit non sine magno pœnitentis animi sensu ac dolore.

Et hunc, & illum probavêre superi: quia simulatque animæ sua reddita est sanitas; sua quoque reddita morbido corpori: ut inde nosces illius ægritudinem etiam in hoc fuisse derivatam.

Ex quibus alieno doctus malo tibi benè consule, ô quisquis es peccator; & fac ut os non sit tibi *claustrum; sed ostium*, quod scilicet *aperiatur ad confessionem peccati, & claudatur ad excusationem peccati.*

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.



VENIT CHRISTUS in domum Principis Pharisæorum, cum eóque mensæ assedit nobilis conviva: eo fine ut inter fercula, pia verba jaceret, quæ deinde etiam prodigiis firmaret. Et ita factum est, & factum benè: nam & hydropicum sanavit, & parabolam ingessit formandis moribus opportunam, quâ docuit, quæ esset via in sublime, quisve gradus ad summum, scilicet ab infimo.

Luc. c.14. v. 8. *Cùm*, inquit, *invitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco*; ne deinde cum rubore delabi cogaris ad ultimum; sed potiùs modestiæ memor ac demissionis, novissimum locum tibi delige: ex illo quippe gradum facies ad primum, non sine honore tuo, & gratia, plausuque convivarum, cùm & in te humiles animos amarint: & simul audierint honoratum illud: Vers. 10. *Amice ascende superius.* Hæc ubi disertis verbis edocuit Magister optimus, tum adjicit probatam in Cœlo maximam dignam Cedro: Vers. 11. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

EX D. THOMA.

Serm. 2. IN hydropico, *tria moraliter hic notantur*:

Primò, *Magna peccatoris infirmitas*, seu hydropisis, in qua tria vitia significantur; 1. *Luxuria*, quæ est, *morbus aquosus*; de quo sic sacræ Paginæ: Gen. c.4. *Effusus es sicut aqua, quia ascendisti cubile Patris tui.* 2. *Superbia*: hydropis enim nascitur ex vitio vesicæ cum inflatione turgente; & superbia ex cordis tumore: 1. Cor. 5. *Et vos inflati estis*, aiebat Apostolus. 3. *Avaritia*; ut enim plus bibit, plus sitit hydropicus; sic & *Avarus* qui 2. Ioan. 3. *non impletur pecuniâ.*

Secundò, *Magna Dei clementia*, quæ maximè elucet in hydropici spiritalis curatione, quæ fit *triplici remedio*. 1. Enim *Luxuria sanatur remedio puritatis.* Matth. 5. *Beati enim mundo corde.* 2. *Superbia, remedio humilitatis*; quæ discitur à CHRISTO, qui est Matth. 11. *humilis corde.* 3. *Avaritia, remedio paupertatis voluntariæ*; Ita Luc. c. 6. *Beati pauperes spiritu.*

Tertiò, *Magna Christi Sapientia* in iis, quæ subjicit ad formandos mores: *Cùm invitatus fueris.*

Hæc ubi dixit S. Doctor, tum moraliter explicat illud CHRISTI: *Omnis qui se exaltat, &c.* & ait: Serm. 3.

Primò, Superbos exaltare se tribus modis: 1. *Contra Deum* sese erigendo. 2. *In seipsis*, inaniter sibi placendo. 3. *In alios*, se illis arroganter præferendo.

Secundò; *Tripliciter etiam humiliari*: 1. Quia *à Superbia dejiciuntur.* 2. Quia *coram omnibus confunduntur.* 3. Quia *æternùm puniuntur*: Et ista humiliatio est ad pœnam, hæc ad virtutem, & meritum. Fit autem: 1. Cognoscendo nos, quòd nihil simus. 2. Contemnendo nosmetipsos. 3. Nos omnibus subjiciendo. Eum, qui se sic humilitat, exaltabit Deus: 1. *Conferendo ei Iudiciariam potestatem*: *Vos qui secuti estis me, sedebitis.* Matth. 19. 2. *Regiam dignitatem*: *Vt sedeant cum Principibus.* 1. Reg. 2. 3. *Gloriæ æternitatem*: *Humilem enim spiritu suscipiet gloria.* Prov. 19.

EX D. BONAVENTURA.

DIvus Bonaventura stylum sistit: primò in illis verbis: *Cujusdam Principis*; atque ex iis occasionem sumit distinguendi quatuor in hoc Orbe Principes:

Dom. 16. post Pent. Serm. 1. Primò, *Princeps est Christus, Princeps Misericordiæ in mundo, Princeps Iustitiæ in judicio, Princeps Gloriæ in cælo.*

Secundò, *Princeps* alter, est *Angelus*; hujus Principis *habemus ministerium in exilio, testimonium in Iudicio, consortium in Regno.*

Tertiò, *Princeps* alius, est *Homo*, benè habet si bonus: at pessimè si malus, quia *Principis error multos involvit & tot obest quot præest*; ut rectè D. Bernardus.

Ioan. c.16. Quartò, *Princeps* quartus, est *Dæmon*; *Princeps*, inquam, *hujus mundi*, Princeps tenebrarum, *qui nos impugnat, subjugat, jugulat.*

Impugnat in tentatione, subjugat in transgressione, jugulat in damnatione.

Hæc ubi fusiùs explicuit S. Præsul, tum descendit ad illa verba: Serm. 2. *Amice ascende superiùs*; & ostendit quomodo, & quò *ascendere debeat homo*; videlicet

Primò, *Ad veritatem per Contemplationem*, ita quondam ascendit Joannes, cui Deus, Apoc. c. 4. *Ascende huc*; *paruit*, ascendit, & de se ait, *& statim fui in spiritu*: ita nimirum ascendendum; *non in carne, sed in spiritu*; *non cum asino, sed cum puero*; ut olim Abraham.

Secundò, *Ad virtutem per conversationem*; sic olim ascendit sponsa: Cant. c. 3. *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii.*

In myrrha Contritio, in thure Oratio, in pulvere pigmentarii diversarum virtutum compositio, in virgula fumi suavissima devotio significatur. Ecce per quot virtutum gradus ascendit sponsa: *Ascendat & fidelis anima*; *non gressibus, sed virtutibus*; *non corpore, sed corde*: in quo Psal. 83. scilicet, *ascensiones disponat*; hoc est interprete D. Bernardo, *de virtute in virtutem eundo.*

Tertiò, *Ad dignitatem per Vocationem*: Est dignitas veluti scala Iacob, in qua vidit ascendentes Angelos, Gen. c. 28. non homines; multò minus dæmones: nimirum *Angeli esse debent per bonitatem, non dæmones per malignitatem, quicumque in scala potestatis volunt ascendere.*

Quartò, *Ad immortalitatem per Resurrectionem.* Ad illam datur *ascensus in curru igneo Charitatis*, ut quondam 4. Reg. c. 28. Eliæ. Ubi de his fusiùs disseruit S. Doctor, tum ad extremum adjicit illud CHRISTI oraculum: *Qui se* Serm. 3. *humiliat exaltabitur.*

In quo ait tria spectari debere: *Causam, modum, & fructum humilitatis.*

Causa triplex: 1. *Conditionis nostræ vilitas*: ab hac Gen. c. 3. *pulvis es, ô homo*; ab hac tibi *esse momentaneum, mundus* Greg. in Ezech. *exilium, vita periculum.* 2. *Salvantis humilitas*; *humiliavit semetipsum.* 3. *Salvationis necessitas*; 1. Pet. c. 5. *humiliamini sub potenti manu Dei*: habet nimirum Dominus *manum misericordiæ, & manum damnantem*; dum es dubius in quam incidas, humiliare, & quidem

Triplici modo, *Corde* scilicet, *Ore*, & *Opere*; ab his triplex tibi fructus, quia homo *per humilitatem à malo liberatur, in bono adjuvatur, in Cælo exaltatur*: Psal. 112. *Humilia enim respicit Deus in Cælo, & in terra; in Cælo per gloriam, in terra per gratiam.*

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si licet Sabbatho curare?* Lucæ c. 14. v. 3.

QVID SABBATHO LICEAT?
Quid non liceat?



NTER mensas, & fercula hanc quæstionem injecit JESUS: *Si licet Sabbatho curare?* Tacuere Pharisæi; tacuere etiam Jurisperiti, muti ut pisces. At JESUS non verbo, sed facto dubium solvit: *Apprehensum* quippe *hydropicum sanavit, ac dimisit*; & ne in eo fecisse contra debitam Sabbathi observantiam videretur, tacitis eorum cavillationibus ivit obviam; & hanc illis quæstionem objecit: *Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet; & non continuò extrahet illum die Sabbathi.*

Certè si vos miseret vilioris alicujus jumenti; si etiam Sabbatho non sine ingenti nisu, ac labore asinum, aut bovem è puteo, in quem fortè incidit, educitis; cur mihi vitio vertitis si hominem pecore meliorem ab hydrope libero etiam attactu solo: *Illud cupiditatis vestra, hoc mea opus est charitatis*; quam tamen nec agnoscunt Pharisæi, nec probant, ab invidia sua cæci, & præposteri Judices, ac censores.

Qui in alio damnant, quod probandum esset quàm maximè; in se verò probant, quod damnandum: ut enim Beda: *Violabant illi Sabbatum in opere cupiditatis, qui Christum violare arguebant in opere charitatis.* (Beda.)

Sed hinc movenda quæstio, quid Sabbato liceat? si tamen priùs dixero, quid Sabbatum: tum quæ illius causæ, & quæ apud Judæos religio. (Quid Sabbathum?)

Ethnici vocem *Sabbathum* deduxere à *Sabbo*, id est, Baccho; quòd Judæos adverterent variis inter sacrificandum compotationibus addictos, adeóque in hoc cultores Bacchi, qui *Sabbus* dicitur, & à quo Sabbathum derivari crediderunt. Error is fuit, cui occasionem dedit malesana Judæorum temulentia. (Mendoza in Lib. 1. Reg. c. 1. num. 15.)

Ex vero autem Sabbathum originem habuit ab Hebræo, *Sabbath*; id est cessavit, requievit; indéque Sabbathum idem est ac quies, atque operis intermissio.

Cùm hujus Universi molitionem diebus omninò sex absolvisset Deus, die septimo *requievit ab omni opere, quod patrarat*; non quod egeret ipse quiete; ut enim rectè Philo: *Deus solus verè festum agit; solus sine labore, & fatigatione operatur; solus verò quiescit.* (Lib. de Cherub.)

Sed ut homini, quem condiderat, exemplo esset, ac documento, non semper labori vacandum, nec perenni molimine in rebus hujus ævi laborandum; sed quiescendum subinde, & dandum quot septimanis diem saltem unum otio spiritali: in quo sibi, cœlo, ac Deo uni animus intenderet. (Ejus institutio.)

Utque sic intenderet, *Benedixit Deus diei septimo*; hoc est, festum ac sanctum esse decrevit in omnes ætates longè consequentes.

Itaque primùm Adamo datum in mandatis, ut dies septimus illi, & posteris sacer esset: quod præceptum à Moyse deinde instauratum. Facilè enim cum ipsa sæculorum inclinatione fit aliqua morum, ac pietatis inclinatio: quæ ut erigeretur mandato novo fuit opus.

Hoc Dei nutu, jussúque Israëli indixit Moses istis verbis: *Videte ut Sabbathum meum custodiatis; quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris.* (Exod. c. 31. v. 13.)

Et hæc de notione, præceptóque Sabbathi: addamus pauca de causis, ob quas illud institui voluit Deus.

Prima, eaque inter alias princeps hæc fuit, ut eo die mortale genus in memoriam revocaret beneficium institutæ à Deo naturæ, conditique Universi. (I. Causa.)

Secunda, ut Hebræi in Sabbatho meminissent laboriosæ servitutis Ægyptiacæ, à qua vi altiore, ac Divina liberati; educti enim ex Ægypto pridiè Sabbathi. (II.)

Tertia, ut in Sabbatho agnoscerent signum aliquod Divinæ electionis, qua indulgens Numen Israëlem, præ cæteris nationibus Orbe toto sparsis. (III.)

Quarta, ut corpori sua quoque esset quies, & aliqua laboris intermissio daretur, tum servis, tum etiam jumentis. (IV.)

Postrema denique, eáque mystica; quia septenarius numerus mysticus est, & sacer, testéque Divo Augustino in Scripturis plenitudinem significat, & universitatem, Deóque congruit, ac rebus Divinis. (V.)

Hinc Cicero, homo licèt profanus, aiebat Septenarium esse nodum, & plenitudinem rerum omnium; quia scilicet Deus est Unitas, à quo fluit senarius creaturarum, Angeli, elementa, mixta, inanima, stirpes, bruta, homo; deinde à septimo rursus ad primam Unitatem, id est Deum revertimur, in eoque desinimus; à quo, & ad quem omnia. (In somnio Scipionis.)

Inde conficit Philo senario significari mortalia; quia senarius est divisibilis: septenario, qui secari nequit, immortalia. Hinc opus suum complevit Deus diebus sex, septimo quievit.

Venio ad Religionem, ac reverentiam, quam Sabbatho testatam olim Judæi volvêre. (Religio.)

Primùm in eo, quod Sabbatho *Sabbathulum* de suo addidere; cùm enim nescirent, quo momento aut inciperet, aut desineret Sabbathum (quippe momenta temporis oculos nostros, imò & cogitationem fugiunt) hora una citius auspicabantur cultum Sabbathi, & hora una tardius finiebant; adeò in ejus observantia, cultuque erant religiosi; à quibus certè habet quod discat Christianus: imò quod in se arguat, ac damnet; ut qui dies Dominicos, ac Festos, ita parcè colat, ita prodigè violet.

Alterum in quo sacram Sabbathi æstimationem prodidere, fuit; quod ab illo dies omnes hebdomodæ censuerint esse nominandos: Ita enim eam descripsere. Prima Sabbathi, secunda Sabbathi, tertia Sabbathi, quarta Sabbathi, quinta Sabbathi, sexta Sabbathi, denique & Sabbathum; cujus reverentia, unà cum nomine, in omnes alios dies transire videbatur.

Tertium hujus venerationis argumentum fuit, quod à Sabbatho etiam dies alios festos Sabbatha appellarint: magno tamen inter hos, & illud discrimine. In his enim tantùm interdicebatur opus servile, at in illo etiam vetabatur parare cibos; & hinc petitur

Quartum ejusdem observantiæ argumentum, quod in Sabbatho nec coquere licebat cibos, nec (Quid in Sabbatho licitum?)

ignem eum in finem accendere; verba legis sunt ista: *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbathi.* Inde è Rabbinis nonnulli adeò religiosi fuere, ut ne quidem ad arcendum frigus ignem accendi posse crederent, neque è silice excuti, neque in lampade foveri, in quo nimis superstitiosi, ac rigidi legis Divinæ interpretes.

Exod. c. 35. v. 3.

Quintum argumentum erat, quod in Sabbatho iter suscipere nefas esset, nisi valdè breve, & modicum: de quo inter authores non omninò constat; sunt enim, qui *Sabbathi iter* existiment fuisse duorum millium passuum; alii duorum millium pedum, hoc est passuum quadringentorum tantùm; alii denique duorum millium cubitorum tantùm, hoc est passuum sexcentorum: sic Origenes.

Huic sententiæ favet, quod Iosue jusserit, ut populus in aciem progrediens ab arca distaret spatio duorum millium cubitorum, quantum scilicet erat *iter Sabbathi:* quod quovis die conficere poterat, & ad arcam, cùm opus erat, accedere.

Hinc nullo modo audiendi Dosithæi hæretici, de quibus S. Epiphanius in suo Panario: hi adeò superstitiosi Sabbathi observatores fuere, ut censerent nefas esse, in eo se loco movere, unde quo loco illos occupasset Sabbathum, eodem immoti hærebant; hoc errore captus Salomon Iudæus, cùm fortè in Anglia die Sabbatho in foveam lutosam incidisset, non est passus ex ea se extrahi, etsi in promptu esset qui ferret opem, & manum præberet.

Quæ superstitio illi malè cessit; die quippe sequenti, id est Dominica, cùm è luto educi vellet: audit diem esse Dominicum, qui non minùs Christianis esset sacer, quàm Judæis Sabbathum: proinde si hoc exegisset in sua illa cloaca, & illum quoque exigeret eadem patientia; de qua pulchrè lusit Poeta, & tam Judæi, quàm Catholici responsum duobus versiculis est complexus.

Judæi in luto tenaciter hærentis hoc fuit:

Sabbatha sancta colo, de stercore surgere nolo.

Christiani verò istud:

Sabbatha nostra quidem Salomon celebrabis ibidem.

Ita lusit Vates, & Judæi spes vanas elusit, superstitionémque damnavit: è qua tamen habebit, unde erubescat Christianus, qui fortè liberiùs iter rejicit in Dominicas, quod in feriis suscipere debuisset: sed ne longiùs.

Sextum argumentum, in quo se prodidit Sabbathi cultus, ac veneratio, fuit decreta violatoribus pœna, eáque capitalis: qui enim illud ausu temerario violasset, morte plectebatur, vel lata à Judice sententia; si violatio erat in aperto, vel si in occulto, justo Dei vindicis judicio. Juvat audire verba legis ad Israëlem prolatæ.

Exod. c. 31. v. 13. 14.

Videte ut Sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos, ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos, Sanctum est enim vobis. Qui fecerit in eo opus peribit anima illius de medio populi sui.

Et hæc de Sabbatho ejúsque apud Iudæos observantia, à qua priusquam discedam, eorum vitia paucis notabo, ne fortè etiam in eadem incurrat homo Christianus.

Erant Judæi Sabbathi observantes in paucis, sed ferè extrinsecus tantùm, non intrinsecus; corpore enim Deo vacabant, mente autem vitiis ac detractionibus.

De inter. Domo, c. 70.

Vacantes corpore, inquit D. Bernardus, *vacantes ubique corde, nescientes facere Sabbathum ex Sabbatho;* hoc est nescientes à vitiis feriari, sicuti ab opere: & hinc & sibi damno fuerunt, & aliis etiam opprobrio.

Thren. c. 1. v. 7.

Viderunt enim Jerosolymam *hostes, & deriserunt Sabbatha ejus,* canebat tristi nænia Jeremias: inde deridebant Sabbatha, *quia impiæ vacationis otia;* inquit D Bernardus.

Ne sic aliquando rideant dies nobis festivos, ac Dominicos, de eorum fine, observantiáque paucà subjiciemus.

Quod Judæis olim Sabbathum, hoc in præsentia Christianis est lux Dominica, quam festam, sacrámque voluêre jam inde à nascente Ecclesia illius primipili; *Apostoli, & Apostolici viri religiosa solemnitate diem Dominicam habendam esse sanxerunt,* ait D. Augustinus.

Serm. 25. de Temp.

Contra hanc institutionem, uti & contra alias omnes, pugnarunt ex hæreticis nonnulli.

Lucas Stenebergius in Germania ministellus, & se, & suos otiari volebat in Sabbatho; Dominico verò liberiùs operi servili intendere.

Idem censuêre Anabaptistæ, quos ex eo *Sabbatharios* appellare possumus.

Nicephor.

Ebionitæ, & Sabbathum, & unà etiam Dominicum colere voluerunt, itáque jugo utriusque Legis quodammodo succolare.

Catech. 4.

Sed stat, stabitque in ævum omne Catholicum dogma, ac præceptum prolatum olim à D. Cyrillo: *Rejice omnem Sabbathorum observationem,* & eam amplectere, quæ est diei Dominicæ, ac festorũ; de quorum institutione, fine, cultúque nonnulla subdemus.

Dominicæ institutio.

Dominicæ diei hic finis fuit, hæc institutionis ratio; grata scilicet memoria Resurrectionis Christi, ac quietis illius, quam ab immani crudelissimæ Passionis labore adeptus est.

Et finis I.

Et certè si Dei Opt. Max. nutu, ac præcepto jam inde à mundi cunis celebris fuit, ac festiva dies septima, quod in ea ab opere quievisset Author Universi; ab opere dico, quod pauculis duntaxat voculis stetit: *Dixit enim & facta sunt:* quidni sacram habeamus, ac solemnem diem illam, qua generis humani Reparator post tot, ac tantos exantlatos labores, dolores tantos, sudores tam copiosos, mortem denique tam acerbam conquievit ab opere redemptionis nostræ?

Sanè quantum interest inter dicere, dolere, sudare, pati, ac mori; tantum necesse est inter utramque diem interesse: die quippe creationis dixit Deus, & hoc omnium instar: at die Redemptionis doluit, sudavit, passus, ac mortuus est Deus homo, & Dominica tandem conquievit: & hinc nobis hebdomadaria illius solemnitas; qua ut ait Isidorus Pelusiota Divini illius beneficii *memoriam velut auribus resonantem habemus:* & hic est primus finis Dominicum sacro cultu celebrandi.

Finis II.

Alter est *quies animi,* & corporis levamen post laboriosi operis continuationem. Itaque Dominicus, festúsve dies, est veluti sacrum quoddam otium, in quo dum ab opere servili vacat manus, vacat animus sibi ac Deo; & inde finis alius obvenit.

Orat. 6.

Finis III.

Spiritalis quidam *ascensus aut Divinitatis consecutio;* votis nimirum præoccupata, incensisque desideriis, per quæ quodammodo educuntur ex ergastulo corporis, è mundi vallibus in libertatem, & Cœli regiam. In hanc, & illam animo, ac cogitatione ascendunt viri sancti die Dominico, festoúe; unde in illis oritur illa gloriosa θεωσις, Divinæ scilicet mentis communio.

Finis IV.

In Ps. 121.

Ps. 121. v. 4.

Quartus finis priori affinis, est *ad gratias agendas, ad colendum, adorandumq; Numen; ad orandum, offerendum, sacrificandum;* ita D. Chrysostomus, eo quondam fine ad Templum *ascendebant tribus, tribus Domini, ad confitendum* scilicet *nomini Domini;* inquit Regius Psaltes.

Greg. Nyssen. Ep. ad Letoium.

Finis V.

Quintus finis est *ad curationem animorum:* hi quippe per suum scelus, ac delictum gravi subinde occupantur morbo, quo curantur luce Dominicâ; luce medica, tum enim medicæ officinæ aperiuntur, & gratis sine argento, auroque tribuitur quod ad salutem instaurandam est necesse; ut miser & morbosus esse velle videatur, qui non inde vegetior, robustiórque discesserit.

Sextus

Orat. 38. Sextus finis, & scopus festivæ diei Dominicæ est *nostra perfectio*, & *instauratio*, ut advertit D. Gregorius Nazianzenus: nimirum in obeunda illa publica pietate hoc intueri debemus, ut perfecti simus in Christo; & ut aiebat Apostolus, *pleni*: ut sancti Numinis similitudinem, & Divinam in nobis vitam instauremus.

Finis VI.

In vita Constant. l. 4. c. 18. Instauramus autem, dum eo die orationi vacamus impensiùs. Ob illius ardores, æstusque pios, Constantinus apud Eusebium, *diem Dominicum* vocabat *diem Orationum*; & certas preces instituerat ipse, quibus eo die Palatini uterentur; sic ab illis dies Dominici, ac solemnes agebantur *Spiritualiter*, ut aiebat Eusebius; vel *Divinè*, ut censebat Gregorius Theologus, perceptione scilicet Sacrosanctæ Eucharistiæ, in qua ferè vis omnis, & gratia diei Dominicæ continebatur.

Can. 66. Ea de causa in Concilio Trullensi moniti fideles in lucis Dominicæ, festorúmque celebritate *Sanctis mysteriis jucundè, & lautè perfrui*, & cœlesti epulo recreari.

Dominicæ cultus. Et hæc pauca dicta sint de fine, sacrisque operibus, quæ in luce Dominica exerceri oportuit, & hoc quidem ex illius instituto.

Quæ omnia firmari atque confirmari velim, etiam exemplo Judæorum, & religione, cultúque Sabbathi: de quo etiam hæc pro coronide.

Num. c. 28. Primò diebus feriatis immolabant agnum unicum; Sabbatho verò duos: aucta in duplum pietate, quam etiam in Christianis augeri necesse est die Dominica, ut inter hanc & illas sit discrimen religionis, pietatis, virtutúmque omnium, quas Deo Immortali, ut victimas offerre oportet, etiam cum incremento, ac fœnore.

Secundò Judæi in Sabbatho ad Synagogas conveniebant frequentissimi, nec erat ullus excusationi locus, nisi ægritudo aut necessitas impedisset, aut ætas puerilis doctrinæ adhuc incapax, frequentiam illam concionis in Sabbatho: hinc collige, quòd in una urbe Jerosolymitana quadringentæ essent Synagogæ, ad quas singulis Sabbathis omnis populus confluebat; utinam ea quoque apud Christianos frequentia, & verbi aviditas ad sacras Conciones.

Granatensis Serm. in hoc Evang. Tertiò in Sabbatho Judæi adeò toti erant in operibus religionis, avitæque pietatis, ut dæmones, qui hebdomada tota per domos, pérque compita amplissimæ Civitatis diffusi erant, eo die urbe relicta secederent in vastam, aviásque solitudines, ne aut precum, aut operum piorum testes, ac spectatores esse cogerentur: horrebant nimirum opera lucis stygii illi tenebriones: atque utinam hoc quo vivimus ævo, luce Dominica abirent à Christianorum ædibus, à tectis, ab urbibus in solitudines, eò depulsi æstu quodam, impetúque novæ pietatis.

Sed proh dolor! verendum magis, ne etiam hac ipsa die è solitudine ac desertis suis, in urbes, in domos, in abdita penetralia revolent; eò vocati, ac revocati aut æstu libidinis, aut gulæ insolentia, aut velanoitarum impete; hæc enim vitia non sine stupore, doloréque bonorum, regnant in luce Dominica. Crederes eam omnem, aut certè bonam illius partem, otio, ambulatiunculis, gulæ, libidinique esse devotam. Et illud est hujus sæculi vitium, quod non fuit in Ecclesia nascente inter Christianos.

Hi enim Dominicis diebus, & sacro Epulo refici solebant, & tempore matutino orationi vacare; pomeridiano autem visitandis carceribus, nosocomiis, & pauperum indigentiæ sublevandæ, ita totus dies abibat in bonis operibus.

Quæ consuetudo etiam transivit in legem. In codice Theodosii Honoratus Imperator severè mandavit judicibus etiam sub pœna mulctæ triginta librarum argenti, ut die Dominico captivi è suis ergastulis educerentur in locum laxiorem, ubi à Christianis commodiùs possent conveniri, & pia eorum munificentia, quà stype acceptâ, quà etiam mensâ recreari.

Ita diem illum eleëmosynis veluti sacrum, ac devotum esse voluere non magnates tantùm, quibus abundè erat domi; sed & tenuioris fortunæ homines, quibus res angusta, at largus ac liberalis io egenos animus.

Exemplo erit *S. Deusdedit* opificio sutor: hic Dominicis diebus itare ad ædem D. Petri, & iis pauperes, qui fortè ad januas stabant, distribuere quidquid stipendii, ac lucelli sibi diebus feriatis comparasset. Hujus munificentiæ testis fuit, ac spectatrix Roma: testis etiam, spectator, ac remunerator Deus, ut patebit ex objecta cuidam militi visione. Hujus anima soluta corpore educta in locum mira amœnitate spectabilem, in quo inter alia, quæ vel ad delicias, vel ad splendorem, ac miraculum menti proposita, fuit ingens palatium, quod surgebat opere novo, divite, cœlesti; ex auro scilicet puro, ac nitenti, & hoc quidem ipsa die Dominica. Illud animo dum legit curiosiùs, quæsivit ex bono genio, in cujus usus pararetur ea moles, cujus manu, sumptúve: & audiit illam ædificari ab ipsomet *Deusdedit*, & hoc eleëmosynis, quas effundebat ipsa luce Dominica; vertebantur illæ in lateres aureos, è quibus constabat cœlestis illa fabrica. Similem tibi fieri, et surgere vis? Agè, bursam aperi, manum explica, gazas in pauperes effunde, & tibi æternam, ac beatam io cœlis, die Dominica, mansionem ædificàris. *D. Gregor. 4. Dialog. c. 36.*

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Amice ascende superiùs.* vers. 10.

QUOT MODIS HOSPES, ET AMICUS Sponsi cœlestis ascendat superiùs?


DIVUS BONAVENTURA more suo, id est, ingeniosè, candidè, piè, ait hominem quatuor modis, ac viis ascendere superiùs. Videlicet *Ad veritatem per contemplationem; ad virtutem per conversationem; ad dignitatem per vocationem; ad immortalitatem per resurrectionem.* *Dom. 18. post Trin. Serm. 2.*

Primo modo ascendit Abraham, suóque ascensu docuit, qui montem altissimæ contemplationis subire deberent posteri, scilicet relicto ad pedem montis asino, hoc est carnea mole, ejúsque affectionibus, & assumpto puero, id est spiritu, & amore ab inferioribus penitùs alieno. I. Ascensus ad Veritatem.

Ascendit & Moses, ad quem sic olim Deus: *Ascende in montem Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel. Abarim*, id est *pertransitio*. *Num. c. 27. v. 12.*

suo

suo nomine docet qui ascenderit Moyses, qui ascendere debeant & alii; hæc caduca, ac terrena levi pede pertranseundo, calcando, proterendo, non inhærendo tenaciùs; tum enim oculo mentis contemplari liberiùs poterunt terram viventium. quam daturus aliquando Dominus.

Ascendit & Joannes, Magistri amor, ac deliciæ: vidit enim ille ostium apertum, & audiit: *Ascende* Apoc. c. 4. *huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri citò*: & statim, inquit, *fui in spiritu*: utique contemplationis, qua despexit ætates omnes longè consequentes, & quæ in eis aliquando futura pulchra serie, imò & cœlestes, ac divinas mansiones, ad quas ascendit mente, non corpore.

Ascendit & Bernardus, qui hæc olim ad seipsum: *Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea venite ascendamus in montem Domini; ubi Dominus videt, & Dominus videtur.*

Ascendit & quidem altissimè Diva Mater, & contemplatione, ceu somno correpta, sæpiùs ita in- Serm. 14. dormiit, ut excitari non posset. *Dormit, non patitur mentis excessum de accessu dilecti*, inquit de ea Gillebertus.

Quid autem in illa contemplatione, seu spiritali somno, hauriret, docet ille ipse S. Abbas: *Bibula*, inquit, *hauriebat, quod refunderet uberiùs.*

Et nos ita ascendamus, ita dormiamus oportet; ut à contemplatione, qua ascendimus, ad actionem descendamus, effundamúsque in proximi sinus, & animos, quæ Deo bono hausimus.

Hujus, & illius typum aliquem habes in objecta Ezechieli visione: Vidit ille quatuor animalia figuræ sanè prodigiosæ, in qua hoc ad institutum nostrum, Cap. 1. v. 8. quod *manus hominis essent sub pennis eorum*: Pennæ, quæ volatui serviunt, contemplationem designant; manus autem, quæ operi faciendo explicantur, actionem denotant: ab illa, ad hanc veniat quisquis bono genio duce ascendit.

Ita venire doctus Antonius, cui hæc olim Angelus: *Antoni si cupis placere Deo, ora, dein manibus labora, & semper aliquid facito.*

Ex hac persuasione, quæ majores nostros occupavit, factum existimo, ut nefas haberetur inter orationem, aut sedere, aut jacere; quod illud esset irreverentiæ; hoc autem otii, ac desidiæ: & hanc, & illam quà verbo, quà exemplo damnavit Vates Psal. 5. v. 5. Regius, qui sic ad Deum suum: *Manè astabo tibi, & videbo. Astabo, quid est? nisi non jacebo*; turpi scilicet, ac desidioso otio, inquit D. Augustinus

Verùm hæc verbo monuisse sit satis; redeamus unde paululùm digressi sumus, audiamúsque illud Sponsi: *Amice ascende superiùs ad veritatem.*

Benè monet ascendendum superiùs, ut istic inveniatur veritas, quia exulat illa ab Orbe hoc inferiori: ut enim rectè S. Thomas à Villa nova:

Conc. 1. de Adventu. *Non est veritas in mundo, non est qui loquatur verum, quidquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est; docuerunt enim linguas suas loqui mendacium: in hac schola exercitati sunt, in hac edocti; ut docerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parva, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantos.*

Hactenus pius Ecclesiastes, è cujus sensu, verbisque liquet, quod non sit veritas in mundo. Quî enim esset?

Quæcumque sunt in hoc Orbe aspectabili parva sunt, & tamen ea exaltat; exigua sunt, & tamen attollit.

Opum copia, & vis omnis argenti, aurive composita cum cœlestibus divitiis parva est; & tamen magnam sibi suisque fingit mendax mundus.

Honorum tituli, fama, gloria, dignitas, ac majestas omnis mortalium, fumus est, vapor, umbra, somnium, vanitas; & tamen ea pro solidis venditat mendax mundus.

Virtutis facies amœna, pulchra, decora, plenáque castis oculorum, animique illecebris: & tamen inamœnam, turpem, & horridam tibi fingit mendax mundus.

Difficultas omnis, & obex, qui fortè occurrit in virtutis via, tumulus est, culex est; & montem, & elephantum tibi facit mendax mundus. Adeò verum illud: *Non est veritas in mundo*; ut proinde extra illum sit quærenda, per altissimam scilicet contemplationem: in qua res omnes nudæ ut sunt, apparent, & nuda quoque veritas; quam dum assequeris primum consequeris ab ascensu bonum, ac deinde etiam alterum, *virtutem* scilicet per *conversationem*. De qua in præsens dicemus pauca.

Quis illius finis, quæ virtutes illi duces, aut comites, aut pedissequæ, & quæ majorum nostrorum in ea nobis relicta sint exempla. II. Ascensus ad virtutem.

Ad primum quod attinet; finis conversationis Christianæ est ille, quem paucis verbis explicat D. Gregorius Nazianzenus; eos quibuscum agas, *abstrahere à mundo, ad Deum adducere.* Orat. 7.

Ad hoc faciunt plurimum virtutes duæ ceu gemina lumina, quæ viam aperiunt. videlicet insignis quædam castimonia, & zelus Divini honoris: & hunc, & illam symbolico dicto innuit Sapiens, cùm instructum animæ Deo gratæ persequitur: *Byssus*, inquit, *& purpura indumentum ejus.* Prov. c. 31.

Per byssum candidissimi lini genus, intelligit corporis castimoniam, & sanctæ conversationis puritatem, ut explicat Salonius Viennensis: per purpuram autem zelum, & Regium charitatem.

Et hanc, & illam expressit alio symbolo sponsus: ubi sic de sponsa: *Venter ejus eburneus, distinctus sapphyris*; vel ut Septuaginta: *Venter ejus pyxis eburnea in lapide sapphyro.* *Venter* sponsæ, id est animus, est veluti *pyxis*, in qua scilicet recondi solent pretiosa quæque, hoc est virtutes, quæ solæ in pretio. Cant. c. 5. v. 14.

Est autem *eburnea*, id est tota candida, & sine corruptione immortalis. Additur illi *sapphyrus*, ut symbolo augusto, & cœlesti finis honestæ conversationis exprimatur, & virtutum decora, quæ illo notantur. Est enim sapphyrus cærulæi coloris, & punctis aureis, ut fulgentibus stellulis ornatus: ut & puram intentionem, quæ cœlum semper aspectet, edoceat; & auream charitatem, à qua iis omnibus, quibus illuxerit & lucem, & virtutem, ac sanctitudinem infundat.

Ita infudit olim conversatione sua Salvator Optimus, qui ut ait D. Gregorius Nazianzenus; ideò Orat. 3. subinde loca mutavit, *ut locis pluribus sanctitatem impertiret.*

Ita secundùm filium D. Mater, cujus *corporis species simulacrum erit mentis, figura probitatis*, ut de ea L. 2. de Virg. elatè D. Ambrosius:

Ita deinde Apostoli, qui ideò dicti *Sal terræ*: quòd ut ait S. Hilarius, *sua conversatione stultorum intelligentiam salire deberent.*

In nascente Ecclesia Christiani, qui ut rectè Cas- L. de Dialect. siodorus: *Conversatione disciplinabili similitudine futuræ patriæ vivebant.*

Ita Guilielmus Senonensis Præsul, qui ut ait Rothrodus Archiepiscopus Rothomagensis: *Mode-* Petr. Bles. Epist. 28. *sta in omnibus conversatione, plus Angeli, quam hominis speciem exhibebat.*

Ita S. Monica, quam honoratam ab omnibus quibuscum agebat asserit Augustinus: *Quod testibus san-* Lib. 9. Confess. c. 9. *cta conversationis fructibus omnes sentirent præsentiam Dei in corde ipsius.*

Ita denique, ut etiam à primis sæculis exempla repetamus, magnus ille gentium parens Abraham, amabili, & Deo plena conversatione, omnes in sui imitationem rapuit, & ad virtutem quasi manu duxit.

Hinc de illo breve quidem, sed egregium Zeno- Serm. 5. nis Veronensis elogium: *Cujus conversatio lex fuit.*

Lex,

Lex, inquam, in qua muto charactere expressum legeres, quid sequendum, quid fugiendum.

Et nostra quoque conversatio lex esse debet, si modò ii sumus, qui esse volumus, à Christo Christiani; illius, videlicet, bonus odor in omni loco.

Diodor. Sicul. l. 1. Olim apud Ægyptios Regia indole nati, magnam copiam *fragrantium odorum* in capitibus ferre consueverant, ad quamdam pompæ elegantiam, & movendam in aliis superstitionem.

Quod illi ex vitio; nos ex virtute: à Christo genus ducimus nobile, cœleste, & quodammodo Divinum; feramus in animis odores, unde suavitas ex ore, sermonibus, gestu, totiúsque corporis, ac membrorum conformatione afflata, aliis religionem ingeneret, & ad omnem honestatem inflammet.

Phot. Cod. 242. Balemeris Gothus, pater Theodorici Italiæ Regis, de suo corpore scintillas aliquando jaciebat, ut scribit Damascius.

Quod illi natura; hoc nobis gratia aut beneficii concedat, aut etiam miraculi. In omni cœtu, & congressu, toto ex ore, atque vultu scintillas honestatis emittamus, quibus & pius in omnibus ardor excitetur, & lux aurea, quæ ad superos, Deumque ducat recto tramite. Sic ad *virtutem* ibimus ipsi, aliósque trahemus per *conversationem*, uti benè monuit D. Bonaventura.

III. *Ascensus ad dignitatem.* Ibimus deinde ad dignitatem per vocationem: sic ivit sponsa amicis sponsi verbis, non semel evocata; sic enim ad illam blanda voce:

Cant. c. 4. v. 8 *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.*

Ad coronam vocatur, ad splendorem regium, ad prælationis fastigium; nec venit nisi tertiò evocata: quam moram animo dum spectat Gillebertus Abbas:

Serm. 29. in Cant. *Vide*, inquit, *si non morosè egreditur de Libano, quæ toties vocatur; mora tamen hæc non est contumacia, sed cautela: Quis enim à contemplationis candore, à quietis internæ & puritatis sereno libens discedit? Cui non erit molestum, vel ad momentum de loco deliciarum secedere? Forsitan inspirata in discipulis lucra blandiuntur? Optanda quidem lucra, sed metuendus est lapsus. suspecta mihi sunt lucra, quorum incertus est proventus; vicinum propriæ salutis periculum, certum internæ suavitatis damnum.*

Hæc S. Præsul in persona sponsæ, quæ dùm invitatur ad honoris fastigium, moras nectit, nec ascendit superiùs, nisi illius nutu, imò & jussu, qui cum imperio vocare potest. Quod si ipsa sibi relinqueretur; ascenderet numquam, sed infima semper teneret, utpotè animæ, salutique tutiora.

Ita tenuit, dum licuit, S. Gregorius, nec ad supremæ dignitatis culmen venit nisi jussus; nec in eo sibi unquam applausit, sed potiùs ingemuit. Juvat illum audire interna animi sensa depromentem. Sic olim ad Petrum Diaconum magnus Pontifex:

Mœror Petre, quem quotidie patior; & semper mihi per usum vetus, & semper per augmentum novus. Infelix quippe animus meus occupationis suæ pulsatus vulnere, meminit, qualis aliquando in Monasterio fuit, quomodò ei labentia subjecta erant; quantum rebus omnibus, quæ volvuntur eminebat, quod nulla nisi cœlestia cogitare consueverat. At nunc ex occasione curæ pastoralis, sæcularium hominum negotia patitur, & post tam pulchram quietis suæ speciem, terreni actus pulvere fœdatur: ecce enim nunc magni maris fluctibus quatior, atque in navi mentis tempestatis valida procellis illidor. *Lib. 1. Dialog.*

Hæc in Petri Sede summus Pontifex, qui clarè ostendit quantùm intersit inter eum, qui vocatus ad Agni nuptias, hoc est ad Fidem, ac Religionem, in loco sedet infimo; & illum qui etiam vocatus, ascendit superiùs: ostendit, inquam, discrimen hunc inter, & illum; simúlque damnat stultam ambitionem filiorum hujus sæculi, qui etiam non vocati, enituntur tamen ascendere superiùs, & in primo loco consistere, cùm meliùs iis esset in infimo hærere.

Quem fastum, ac tumorem etiam damnat Gillebertus Abbas, ex illo sponsæ cujus ante memini:

Forsitan, inquit, *Sponsæ mora festinationem nostram sugillat, & arguit, qui nimis prompti, & parum providi, vires nostras minus pensantes festinamus ingredi in labores prælationis, in sollicitudinum molestias, & materiam lapsus; nec expectantes vel semel vocari, ultra nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel prævenientes, vel arte procurantes.* *Suprà.*

Non sic nos edoctos voluit CHRISTUS, non sic Virgo Mater; & hæc, & ille dum licuit, hæsit in infimis. Ille vermem se dixit, & opprobrium hominum, & abjectionem plebis, cùm tamen esset splendor gloriæ & figura substantiæ Patris. Hæc autem ancillam esse se voluit & appellari, etsi jam Dei Mater audiret cœlesti Oraculo.

Quam animi demissionem dum amat, suspicitque Venerabilis Beda, hæc de Virgine pronuntiat:

Magnum quia Virgo, magnum quia Mater, majus quia utrumque, maximum quia Dei Mater; sed majus, quia cùm tanta, sic putet se nihil esse. *In 1. Cap. Luca.*

Idem de teipso puta, idem crede, mi Lector, in nihilo tuo te constitue, ibique siste dum inde ab hospite tuo, à Deo tuo evoceris, audiásque honoratum illud ac fortunatum:

Amice ascende superiùs: Ascende, inquam, *ad veritatem per contemplationem; ad virtutem per conversationem; ad dignitatem per vocationem; ad immortalitatem per resurrectionem.*

Postremum hunc ascendendi modum in præsentia non attingo, quia de illo opportuniùs ipso die Paschæ, quo & CHRISTI resurrectio in te etiam ipsa, & nostra in spe firma explicabitur.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Qui se humiliat exaltabitur.* vers. 11.

QUÆ SIT ILLA EXALTATRIX HUMILITAS?



NON eam volo, quæ petitur ex humili casa, abjectóque turguriolo; aut tenui rure, in quo quis nascitur.

Humilitas quæ? Non eam, quæ surgit è sordibus extremæ indigentiæ, quæ Irum facit, aut Iro pauperiorem.

Non eam, quæ è stolido ingenio, stupidâ naturâ, ac mente propè amente ducitur; sed illam, quæ è sinu virtutis, è cœlesti prosapia, è CHRISTI scholâ nascitur; illam, inquam, volo, & exaltatricem voco, ac probo humilitatem.

D. Augustinus eam *altissimam* censuit esse appellandam. *Lib. 4. de Civit. c. 30.*

landam. Quæ sit illa quæris? alia est, atque alia, pro alio, atque alio illius actu.

Una est, quæ vinis eminet, illa calcat & sub pedibus ponit.

Hom. de Asc. Dom.

De hac piè Eusebius Emissenus *Sublimabunt*, inquit, *nos ipsa scelera si fuerint infra nos.*

I. Humilitatis gradus.

De nostris etiam vitiis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Calcamus autem, si elatâ humilitate, sanctâque superbiâ ea despicimus, iisque evadimus superiores.

Sic evasit olim D. Maximus, & nomine, & re etiam ipsa maximus. De quo sic Eusebius:

Hom. de illo.

Honoris impatiens, humilis ad merita, superbus ad vitia; quæ scilicet alto, laudandoque fastu contemnebat velut infra se posita.

II. Humilitatis gradus.

Altera humilitas, eaque priore sublimior est illa, quæ omnes dignitatum titulos, omnes honorum gradus, omnem popelli plausum, auramque spernit, & in hoc magnitudinem suam ponit.

Hom 66. in Matth.

Si vis magnus esse (inquiebat D. Chrysostomus) *hac ipsa contemne, & eris profectò magnus. Illud enim, quod tu maximum putas, minimum omnium est.*

Ad hanc porrò despicientiam, & Christianæ demissionis gradum, nos stylo, ceu manu ducit D. Augustinus:

Lib 1. de Civit. c 1.

Omnia terrena cacumina, temporali mobilitate nutantia, non humano usurpata fastu; sed Divinâ gratiâ, donata celsitudo transcendat.

III. Humilitatis gradus.

Alia ratio humilitatis in eo posita, ut seipse quis abjiciat, de se demissè sentiat, ac loquatur.

Ita ab ipsomet Deo homine & sentire de se, & loqui docta Catharina Senensis ad quam sic Magister optimus:

Ego sum, qui sum: & tu es, qua non es, beata eris cùm hac scies: Ab hac quippe scientia teipsam eriges, & cùm nihil te esse senties, extolles etiam supra id omne, quod est, & non est Deus. Ecce quàm exaltatrix humilitas, cujus & alius quoque est gradus ad sublime.

IV. Humilitatis gradus.

Is nimirum, quo unus aliquis ab aliis amat despici; quod dum parat ac molitur, ab omnibus suspicitur, & qui contemptui esse vult, est admirationi: hac evenit in sublime è Sancti Dominici familia vir in paucis religiosus, qui cùm à Cœlo petiisset impensiùs, quæ Dei voluntas, quod esset beneplacitum, & quæ ad superos facilior via; hanc vocem audiit: Surge, tolle, lege quod primum occurrit: surrexit, tulit, legit, & in fronte libri hæc vidit expressa litteris aureis: *Deum ama, teipse contemne, & ab aliis contemni desidera.*

In vita S. Margareta Reg. Hung.

V. Humilitatis gradus.

Sed & alia est ad humilitatem, unaque etiam ad exaltationem via; impensiùs scilicet amplecti, ambiréque ea, quæ mundus despicit, ad illáque delabi ut ascendas.

Ita B. Aloysius Gonzaga, illustrissimo quamvis Marchionum, Ducúmque genere natus, tamen & servire pauperum mensis, & lectos sternere, & domum everrere, & rejectâ in dorsum manticâ stypem ostiatim petere, vilique lacernâ tegi, qui purpura, ostróque nitere potuit; cúmque ea fortè damnasset unus aliquis ex mundi hujus genio, dixisséque hæc minimè decere & natales ejus, & formam; subjunxit Aloysius: At ea mihi est ad honores via, is cursus ad cœlestem aulam, Deíque, ceu summi Imperatoris, gratiam.

VI. Humilitatis gradus.

Huic affinis alia humilitatis ratio, qua in omni consessu locum tibi designes ultimum, ex illo Christi seu oraculo, seu præcepto: *Recumbe in novissimo loco;* ut inde scilicet ad primum evoceris.

Ita recubuit olim S. Hilarius Episcopus Pictaviensis: vocatus erat ad Concilium à Liberio Pontifice Maximo, cúmque stetisset inter postremos, nec ad prima subsellia licèt evocatus ascendisset;

Ecce tibi etiam miraculo probata, illustratáque tanti Præsulis demissio: derepentè enim intumescere, attollíque terra, & molli tubere scabellum facere, cui insideret Hilarius. Et verò etiam insedit, non sine astantium stupore, & commendatione tantæ demissionis; à qua verum illud: *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Exaltabitur, inquam, si etiam ea unde extolli potuit in minimis reponat ipse; & cùm à virtute, à gratia, à miraculis, ac prodigiis sis in omnium oculis magnus, in tuo tamen sensu parvus sis, & parva ea reputes.

Serm. 28. in Cant.

Hac, inquit D. Bernardus, *magna virtus est, & rara: cùm magna operaris, magnum te nescire, cùm omnibus nota sit sanctitas tua, te solum lateas; cùm omnibus mirabilis appareas, tibi soli vilescas.*

Martyrol. ad 28 Febr.

Sic olim sibi viluit S. Romanus Abbas, qui etsi attactu solo morbos è corporibus pelleret; & benè esset omnibus, quibus benè precaretur ipse: tamen ea pro nihilo ducebat, nec sua, sed Dei dona credebat, magnus omnibus, parvus sibi.

Tria Humilitatis genera.

De grad. Humil.

Ex his porrò, quæ paucis attigi, conficio tria esse humilitatis genera; quæ D. Bernardus tribus voculis expressit; videlicet, *linguæ, cordis, & operis.*

I. Cordis humilitas.

Cordis humilitas, ea est, qua quis cogitatione, æstimatione, affectúque se ponit in infimis.

Ea fuit S. Francisci de Paula, qui ex illo interiore sensu epistolis suis hanc syngrapham adjicere solitus: *Pauper frater Franciscus Minimorum minimus.*

Ea fuit magni Abbatis Pachomii, qui licèt insigni prudentia, ac zelo octingentos Monachos regeret, iisque esset uti gradu, sic & virtute superior; omnibus tamen inferiorem se ducebat, belléque in se exprimebat illud, quod in Prælato requisierat D. Augustinus: *Timore coram Deo substratus esse debet pedibus subditorum.*

Regul 9.

II. Linguæ.

Linguæ humilitas, in eo posita, inquit Isidorus Pelusiota; ut quis pauca, & modestè loquatur, nihilque unquam ad sui laudem, vel dicat ipse, vel dici quantum in se erit, patiatur.

Et hoc est, quod indicatum voluit Isidorus à Damieto: *Sermo, & vox, & congressus cum aliis, ad modestiam, & humilitatem potiùs, quam ad tumorem spectet.*

Ad hanc Christianæ demissionis legem, referri potest illud D. Dorothei ad discipulos monitum: *Teipsum injuriâ affice, non alios.*

Ita B. Borgiæ usitata illa in epistolis subscriptio: *Franciscus peccator.*

Ita B. Fœlix Capucinus vocitare se *peccatorem*, longè maximum, atque infamem.

Ita Joanna de Bruieto, *Satanam* sese appellare.

Epist. 40.

Ita D. Hieronymus, & credere, & dicere fugari alios suis sceleribus; sic enim in epistolis ad Theodosium: *Frater Heliodorus hic affuit; sed cùm mecum vellet eremum incolere, meis sceleribus fugatus, abscessit.*

Sic nimirùm de se sentire, & loqui vir sanctus, quasi illius unius peccata in oculos incurrissent, avertisséntque; cùm tamen è contrario, & pietas in suos, & religio in superos, & virtus omnis, in eo spectanda, omnibus eluceret.

III. Operis.

Operis humilitas, ea est, quæ se aperit, proditque extrinsecus per exempla, operáque, quæ demissionem ostentant, tum in iis, quæ ad personam, tum quæ ad victum, tum quæ ad suppellectilem attinent. Ea fuit in S. Maximo Episcopo Tolosano, cujus humilitatem sic commendat Sidonius Apollinaris.

L. 4. Ep. 20.

Primùm, quod è senatore adlectus in Episcopum; non sua voluntate, sed vi quadam, & pia ab impellente populo necessitate.

Deinde, *quod voce liber, facie liberalis, color ei pudor, sermo religiosus, tripodes sellæ, cilicum vela foribus appensa, lectus nihil pluma, mensa nil purpura:* quæ omnia & studium paupertatis, & demissionis apprimè exprimebant; uti & in Pammachio, ad quem sic Divus Hieronymus:

Quòd

Epist. 20. *Quòd patricii generis primus inter primos Monachos esse cupisti, non sit tibi tumoris, sed humilitatis occasio, scienti filium Dei, factum filium hominis. Quantocumque te dejeceris Christo humilior non eris: esto incedas nudus pedibus, fusca tunica vestiaris, aequeris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, caecorum oculus sis, manus debilium, pes claudorum, ipse aquam portes, ligna concidas, focum extruas: Ubi vincula? ubi alapae? ubi sputa? ubi flagella? ubi patibulum? ubi mors?*

Nimirum hæc in Christo, in Deo-homine extremæ fuére demissionis: à qua quid honoris, ac gloriæ acceperit, attende.

Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltavit illum.

Ecce exaltatrix humilitas, quæ sicuti Christo via fuit in sublime, sic erit & Christianis.

Serm. 2. de Ascens. *Hæc est via sola, & non est alia: qui aliter vadit, cadit potius, quàm ascendit*, inquit D. Bernardus; quem in eo sensu longè ante prævivit

Isidorus de Damieto magni Chrysostomi discipulus, quo Magistro ac Doctore *Sola Humilitas est* L. 3. Q. 139. *quæ exaltat; sola quæ ducit ad vitam*; uti è contrario superbia est, quæ deprimit, & trahit ad mortem: ut enim, *Humiles dum descendunt, ascendunt: sic superbi dum ascendunt, descendunt.*

Sic in prima Orbis infantia dum super astra ascendit Lucifer, ad inferos descendit.

Sic & generis humani parens dum ascendit, & audit superbum, atque insolens illud: *Eritis sicut Dii;* Gen. c. 3. vers. 5. è Paradiso descendit in terram exulem: adeò verum istud: *Superbi dum ascendunt, descendunt.* Uti contrà *Humiles dum descendunt, ascendunt.*

Exemplo erit nominata quondam peccatrix Thais: hæc aliquando vanula, comptula, procax, superba; & vanitatem, & tumorem, & venerem à S. Abbate Pratum spirituale. Paphnutio exuere primùm edocta; deinde à mundi strepitu in solitudinem educta; denique cellulæ arctè inclusa. De consilio autem S. Abbatis sui, in precibus Dei nomen exprimere nunquam est ausa. Nimirùm illi semper in oculis erat vita præterita, infamis luxus, damnanda libido, vanitas, ac superbia: cui dum modum, finemque ponit, augustum, cœleste, divinumque Dei sui nomen profana, ut rebatur voce, non usurpat; sed unicum illud: *Qui plasmasti me, miserere mei.* Et hæc illi fuit oratio ad dies ac noctes, ad menses & annos.

En demissam, en abjectam ab humilitate animam; specta ut à superis, Deoque ipso deinde exaltatam. Verè enim exaltatrix humilitas.

In eo vitæ genere, austera pœnitentia, ac demissione jam abierant anni tres, cum S. Antonius rogatu Paphnutii Abbatis, Monachis omnibus preces indicit, & quidem nocte tota; quæ vigili in oratione exacta, eo consilio, ut indulgens Deus aperire dignaretur, an Thaidi peccatrici remissa Cœlo propitio scelera.

Inter hos orantium æstus, sacrosque ardores, ac lumina, Paulo simplici, viro imprimis religioso, hanc speciem objecit Deus. Explicatis Cœli valvis, in ipsa Empyrei Regia tentorium vidit expansis quasi cœlestibus velis, & sub his mollem, divitem, pretiosumque lectulum, cui velut fidæ custodes adhibitæ Virgines quatuor. Ratus autem & tentorium illud, & lectulum nulli alteri quàm Antonio suo paratum, hanc vocem audiit: *Hic lectus non patri tuo Antonio instratus; sed Thaidi peccatrici.*

Et ita fuisse eventus docuit; vix enim effluxerant dies quindecim, cùm è vivis excessit Thais, & ex humili cella in Cœlum, è nuda humo & cinere in beatæ Æternitatis, Deique sinum evolavit. Ecce ut verum illud: *Humiles dum descendunt, ascendunt* etiam super sidera, & hoc demissionis beneficio; quod apertè demonstravit vel ipsa ratio à naturâ sapientibus insita.

Testis mihi erit è Philosophis antiquioribus Pythagoras: hic more suo symbolis usus ingeniosis; Cœlius Rhodig. l. 1. c. 4. in quibus veritatem in luce posuit, & hominum oculis. Finxit enim non modò in Luna, sed etiam inter sidera esse quamdam vallium humilitatem. In quo si ejus mentem interpretari liceat, dicam voluisse demissionem illam esse, quæ supra terram mortales evehit, & sideribus infert.

Dicam Christianè in Luna, hoc est in Virgine Matre, esse vallium humilitatem; dicam in sideribus, hoc est, in Sanctis omnibus esse quoque vallium demissionem, insignem scilicet animi humilitatem; in qua sola vera magnitudo: ad hanc ut aspires tibi persuade, quod olim auditoribus suis persuasum voluit Orator aureus: Chrysost. Hom. 70. in c. 13. Ioan.

Primum, quod *Humilitas nunquam sit sine magnitudine animi; uti neque superbia sine pusillanimitate.*

Deinde alterum ex illo consequens, quod scilicet, *qui præsentibus rebus, & magnis inhiat; is vilis, & abjecti sit animi*, cui proinde usu venit quod pueris.

Hi enim *vilium rerum spectacula admirantur, & obstupescunt: pilis, trochis, & talis inhiant; magnas autem res ne cognitione quidem capere possunt.*

Quid facias? pueri sunt, & nihil sapiunt supra pueritiam, supra ætatem, quibus proinde venia danda: at tibi non dabitur, qui illius ætatulæ vitia posuisse debuisti, & induisse quæ viri sunt, quæ ex vero magna; hoc est futura, atque æterna, ad quæ te vocat Magister optimus dum ait: *Qui se humiliat exaltabitur.*



DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.



Lib. de civit. IXIT olim D. Augustinus: *Amor meus pondus meum, illo feror, quocumque feror.*

In cap. 21. Prov. v. 2. *Pondus*, inquam, est *Amor*, quem proinde DEUS appendit in statera: *Amor pondus animæ est, & si ponderat sursum, bonus est; si verò deorsum, malus*, ait Ugo Carensis.

In quo agnoscas aliquid singulare, & diversum ab iis, quæ in stateta ponuntur. Si enim in lance posita deorsum vergant, justi habentur ponderis; sin autem sursum, diminuti: At non sic in amore: hic enim ut justi apud DEUM, & Superos sit ponderis, sursum feratur oportet; sin autem deorsum inclinet, injusti. Ut porrò sursum erigatur, & semper ascendat amor, duplex ei scopus statuitur, ad quem collimet: DEUS scilicet, & proximus. Sic enim Salvator Optimus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut teipsum.* Breve pronuntiatum, in quo tamen compendium Divinæ Legis, & epitome sanctitatis; ad quam, quia aspirare te velim, mi Lector, de hoc & illo amore pauca subjiciam

EX D. THOMA.

Serm. 1. HAc Dominica nihil invenio in D. Thoma de argumento Evangelii, ejus tamen partem aliquam explicuit Dominica tertia post Epiphaniam, ex qua pauca delibabo.

Ad illa verba: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*; quatuor inquit à Domino præcipiuntur.

Primò, *Dilectio proximi*; ad quam movere debent tria: 1. *Necessitas*, æterna quippe lege præcipitur
1. Ioan. 3. etiam sub mortis poena: *Qui enim non diligit, manet in morte.* 2. *Utilitas*, nempe æterni Regni possessio. 3. *Facilitas amandi*, à quâ se excusare nemo potest.

Secundò, *Quid diligendum*, videlicet: 1. *Deus* per
Psal. 64. se, & super omnia. 2. *Teipse*, quod non facit peccator: *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* 3. *Proximus*, & hic ordo dilectionis, de quo Sponsa: *Ordinavit in me charitatem.* *Cant. 2.*

Tertiò, *Causa dilectionis*, quæ petitur: 1. *A mandato Divino. Mandatum novum do vobis, ut diligatis* *Ioan. 13.*
invicem. 2. *A natura*: omne enim animal diligit sibi simile; igitur & hominem homo. 3. *A Scriptura*, quæ nos ut fratres, & amare, & amari vult, quia communi Patre Adamo natos, & uno Patre renatos, id est, Christo.

Quartò, *Modus dilectionis*: homo quippe diligere debet proximum. 1. *Ut membrum* ejusdem corporis; *Sumus* enim *invicem membra.* 2. *Ut seipsum.* 3. *Ubi Christus dilexit nos*; sic enim ad suos olim, modò etiam ad nos: *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* *Ioan. 15.*

EX D. BONAVENTURA.

DIVUS BONAVENTURA, hoc loco è singulis verbis elicit vel insignia Divinæ bonitatis in nos argumenta, vel præclara morum documenta.

Dom. 17. post Pent. Serm. 4. *Diliges*, inquit Christus: ecce *actum Charitatis*, quæ à D. Bonaventura appellatur *Virtus Deifica*, & primum, ac maximum præceptum, tres potissimùm ob causas.

I. Quia virtutes inter habet *primitatem virtuositatis in essendo*, utpote radix & fundamentum cæterarum.

II. Quia habet *dignitatem majoritatis in merendo*; dat enim *virtutibus formam*, & rationem meriti; & si absit illa, informes sunt omnes.

III. Quia *respectu operum habet delectabilitatem acceptationis in remunerando*: est enim mensura meriti, adeóque & gloriæ, *secundùm Charitatem viæ mensurabitur gloria patriæ*: & hæc notantur in una vocula *Diliges.*

Subjicit Salvator: *Dominum Deum tuum*; ecce objectum Charitatis: Deus Unus, ac Trinus, à quo etiam tria beneficia, quibus ad amorem allicimur. Dum enim dicitur *Dominus*, objicitur Pater Æternus, cujus *potentia creamur.* Dum verò Deus, exhibetur Filius, cujus *Sapientia conservamur*: Denique ubi additur *tuus*, additur & Spiritus sanctus, cujus *Clementia glorificamur*, & Deum quasi nostrum possidemus; donat enim seipsum homini Deus *in glorificatione*: his ergo nominibus, ac titulis Deum diliges, ô homo! & quidem

Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Ecce modum, rationémque dilectionis, quam sic explicat S. Doctor: *Intelligentia per Cor, voluntas per Animam, & memoria per Mentem intelligitur*; sicque diligere Deum, *Ex toto corde, id est, intellectu sine errore: Et ex tota Anima, id est, voluntate sine contradictione: Et ex tota Mente, id est, memoria sine oblivione.*

vione. Vel quod eodem redit: *Ex toto Corde, id est, fideliter, ne intelligentia seducatur errorum falsitate; Ex tota anima, id est, sinceriter, nè voluntas alliciatur carnis voluptate; Ex tota mente, id est, indefinenter, nè memoria frangatur obsequiis, & operis discontinuatione.*

Hæc ubi sic explicuit S. Doctor, tum subjicit quatuor affectus, ex quibus *probatur, & perpenditur Dei dilectio.*

Serm. 1. Primò, *Ex solitudine cogitationis*, qualem prodidit Sponsa sponsi amantior, dum ait: *Surgam, & circuibo civitatem per vicos, & plateas: quæram quem diligit anima mea.* (Cant. 3.) Ecce ingens sollicitudo in his expressa: *Surgam, circuibo, quæram. Surgit dum animam à terrenis elevat; circuit dum opera, ac beneficia Dei considerat; quærit dum ferventer desiderat.*

Secundò, *Ex fortitudine affectionis; fortis enim ut mors dilectio. resistit ignibus, undis, ferro, Regibus*, ipsique morti. (Cant. 8.)

Tertiò, *Ex rectitudine intentionis; recti enim diligunt te. Rectus eris in declinatione criminis, rectior in operatione virtutum, rectissimus in intentione amoris*; quo Deo servies, nec spe præmii, nec metu supplicii; sed illius unius causâ. (Cant. 1.)

Quartò, *Ex promptitudine operationis: qui enim habet mandata mea, & servat ea; ille est, qui diligit me*, inquiebat Servator Optimus. (Ioan 14.)

Ad extremum subjicit D. Bonaventura sex signa Divini amoris. (Serm. 3.)

Probatur enim primò, *Detestatione peccatorum. Qui multum diligit, multum odit*: ita dilexit, ita odio habuit Magdalena. (Luc c. 7.)

2. *Ex repulsione inimicorum*, id est dæmonum, & tentationum.

3. *Ex operatione mandatorum.*

4. *Ex provisione subditorum: Prælatus, qui diligit Deum pascit verbo, pascit exemplo, pascit subsidio.*

5. *Ex renuntiatione terrenorum.*

6. *Ex toleratione adversorum.*

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quod est Mandatum magnum in Lege? Diliges Dominum Deum tuum.* Matth. c. 22. v. 36. 37.

CVR DEI DILECTIO DICATVR PRIMVM, & magnum Mandatum? Et quibus probetur signis?

Rationes.



Plures hanc in rem à Theologis proferri solent rationes: ex iis paucas producam, easque meo judicio potiores.

I. Ex natura hominis. Una petitur ex tacito naturæ sensu, & gratiæ dictamine: & hæc, & illa jubet Deum amari ut hujus, atque illius authorem. Phocyllides Poëta, paganus licet, docuit Deum primò omnium amari oportere.

D. Thomas censet hominem cùm primùm ad rationis usum venit, venire quoque in Dei sui amorem; & hunc esse primùm actum, in quem ratio ducit, ac natura fide excitata.

Lib. 14 de Civit. c. 59. Altera ratio est, quod amor Dei sit principium omnium virtutum, ut disertè D. Augustinus.

II. Ex natura Charitatis. Sit veluti *radix*, ac *fundamentum*: ut enim *radix* in arbore est pars prima, à qua aliæ succum vitalem hauriunt: ut *fundamentum* in ædificio pars est potissima, ac prima quæ jacitur, cuique aliæ omnes incumbunt, & à qua sustinentur; sic virtutes inter, charitas est prima, à qua cæteræ veluti vitam hauriunt, à qua habent, quod sufficiant cœlo promerendo, imò quod veræ virtutes sint.

Opusc. de Charit. c. 2. *Charitas non tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda est: eò quòd ab illa omnes aliæ accipiant, ut veræ virtutes sint. Hæc est vita fidei, spei robur, & omnium intima vis, & medulla virtutum.* Hæc est, *qua vitam ordinat, affectus inflammat, informat actus, excessus corrigit, mores componit valens ad omnia & omnibus prævalens, quæ ipsam quodammodo Omnipotentiam reddit Omnipotentem.* Ita de charitate sentiebat, ita loquebatur D. Bernardus, qui eàdem & ipse incensus, totus abit in illius Encomia, augustámque laudem.

Epis. [illegible] *Charitas*, inquit, *est Lex vitæ, disciplina morum, pax conviventium, gloria concordium, criminum abolitio, sacræ Scripturæ compendium, Præceptorum Dei consummatio, virtutum virtus, & bonorum impletio meritorum.*

Quod si ea est charitas, quid adeo mirum si de illa magnum sit, ac primum in Lege præceptum?

Ad has rationes, quæ derivantur ex ipsa charitatis natura, accedit prima, ac princeps quædam utilitatis ratio; cœlestes opes, ac divitiæ, quas vel affert ipsa, vel secum trahit, ut solet Regina pedissequas. (III. Ex utilitatibus.)

Has porrò utilitates, uno verbulo complexus est B. Laurentius Justinianus, ubi charitatem dixit esse Animi ærarium: *Est hæc virtus beata boni retinaculum, & animi ærarium.* (Tract. de Charit. c. 5.)

Beatam vocat, quia possessores suos quodammodo beat, dum bona gratiæ, ac virtutum opes tenaciter retinet: est quoddam *Animi ærarium*, quod exhaurire, si modo nolis ipse, nemo unus omnium potest, nec mortalium, nec immortalium, nec si tota vis tyrannorum, aut inferorum incumbat. (Quæ probantur quadruplici similitudine.)

Quod ipsum bonum, aliâ, atque aliâ similitudine explicat ille ipse S. Præsul.

Prima. Prima petitur ab arbore: *Charitas*, inquit, *est arbor, ex qua non excidit nec flos desiderii, nec folium boni verbi, nec fructus boni operis.*

Quantumvis affleat asperi persecutionum venti; quantumvis spirent ac sæviant frigidi hæreseos Aquilones; quantumvis insano murmure crebus obstrepat, nec folium hujus arboris, id est charitatis, decutiet unquam, nec flosculum marcescere faciet, nec fructum excidere; scilicet hic uni Deo servatur, legitúrque non alia manu, quàm cœlesti.

Secunda. Secunda similitudo, qua B. Laurentius Justinianus charitatis commoda sub oculos ponit, ducitur à gubernaculo, quo dum regitur navis, tutò decurrit, undas maris, & ventorum impetus eludit.

Charitas, inquit, *est justi gubernaculum, per quod in hoc pelago non deviat; sed ad perfectionis portum adducitur.* (Cap. 5 de Charit.)

Tertia. Tertia similitudo, est à pluvia: quæ molli lapsu terræ infunditur, eámque fœcundam reddit, futuram alioqui penitus sterilem; sic enim ait:

Charitas est quædam vernalis pluvia virtutum, sub qua & bona voluntas germinat, & operatio sancta fructificans ad maturitatem perducitur. (Supra.)

Rectè sanè *pluvia virtutum* est charitas; ut enim germen omne sterilescit nisi imbre irrigetur; sic omne opus bonum, sic virtus omnis exsucca, sterilis, emortua;

emortua; nisi charitatis aquæ desuper impluant. Quod si impluerint, tùm verò tot nascuntur virtutum germina, tot frondes, tot fructus, quot guttæ cœlestis illius pluviæ, idest charitatis.

Quarta. Quarta similitudo sumitur à matre, cum qua & charitas componitur:

Cap. 2. *Charitas*, inquit, *virtutum mater est. O bona Mater Charitas, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, diversa exhibens; sicut filios diligit universos. Cùm te arguit, mitis est; cùm blanditur, simplex est; piè solet sævire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari.*

Hæc S. Patriarcha, qui oppottunâ similitudine expressit, quæ in una charitate, ceu matre, sint viscera misericordiæ; quæ illius blanditiæ, quàm suaves, quàm amabiles; quàm etiam timenda vis, ac formidabilis.

Et hinc descendo ad aliam rationem, à qua factum, ut primum ac summum in Lege mandatum sit de charitate; quia nimirum nihil illâ fortius, oc mors quidem, quæ omnia domat, ac sternit.

IV. Ab insita vi. Athenæo teste, in Sapientum epulo mota quondam ea quæstio: quod esset fortissimum. Abiere illi in diversas opiniones; hic ferrum dixit, quod cætera secat, frangitque; ille fabrum qui ferrum tundit, versatque malleum inter ac incudem. Alius febrim, quæ fabrum lecto insternit edomátque: verius dixisset amorem, quo nihil in naturæ, gratiæque ordine fortius.

Testes volo gloriosos Martyres, inclyta Laureatorum agmina, seu ea voles è virili, martióque sexu, seu è fœmineo, mollíque; & hæc enim, & illa tyrannos vicere, vicere mortem, vicere inferos, non aliis armis, quàm amoris.

Dilige sic vinces, omnia vincit Amor, canebat olim Poëta: ferrum vincit, & enses; rogos vincit, atque incendia; rotas vincit, & catastas; vincit omnia etiam ab aliis vinci nescia: indéque apud Græcos magnifica voce dicitur *πανδαμάτωρ*, *omnia domans*.

V. Ab Origine. Accedit & alia ratio, quæ primas dat amori, quod cum primò produxerit author omnium Deus:

Cunctorum ille Deus primum produxit amorem, inquibat Parmenides; deinde post illum cætera: *Exin amor cunctis decus immortalibus affert*, canebat Hesiodus, nec inconcinnè.

Rebantur nimirum sapientes illi Deum Opt. Max. primò in se quodammodò amorem creaturarum produxisse, eam ab illo reliqua; ut deinde etiam in creaturis primus illius fœtus esset in suum authorem amor, propensaque voluntas.

Ad hanc porrò nos provocat natura, ratio, gratia:

Cap. 30. *Diligite Dominum omnes Sancti ejus*, aiebat olim Isaias.

August. ibidem. Rectè omnes Sancti; *hoc est, qui non diligitis mundum: cur enim dicam ut diligat Deum, qui diligit amphitheatrum, qui diligis mimum, qui diligis pantomimum*; qui bacchum diligis, ac venerem; qui sæculi fastum, & pompam: frustrà sanè illis dicam, *Diligite Dominum*; cùm alio, eóque profano, ac scelesto teneantur amore: hunc exuant est necesse, si Sanctum, purum induere cogitent; ideoque ut benè monet D. Augustinus:

Disce non diligere, ut discas diligere; avertere, ut converteris; funde, ut implearis: sed ne longiùs.

Venio ad alteram quæstionis propositæ partem, quibus signis hic prodatur amor.

I. Signum Divini amoris. Primùm si purus sit, & putus; si Deum spectet, aliud omninò nihil. Is fuit in D. Bernardo cujus hoc solemne pronuntiatum: *Amo, quia Amo*; non

L. 1. in Luc. est is amor in illis, qui, ut ait D. Ambrosius, *Plus amant beneficium quàm benefactorem.*

Et hic in plerisque mortalium est, at non is in præcelsis mentibus, qualis cæteros inter nostro hoc ævo fuit *Guilelmus Brunus* è nobilissima Vicecomitum de Monte-acuto familia. Hic pro ea, qua erat animi demissione inter domesticarum rerum Adjutores nostræ Societatis cooptatus, dicenti sibi etiam ex mante S. Patris Ignatii, posse nos ad amorem Dei juvari vel pœnarum metu, vel spe præmiorum, respondit: *Mi bone Pater, viginti anni sunt, ex quo nulla re alia, quàm uno Dei solius amore moveri me sentio.* Hen. Morus hist. Angl. Soc. IESV. l. 9.

Et hoc in illo divini amoris argumentum; quod ut dixi primum est.

Secundum, est unio quædam amantis cum amato; sic ut inter hunc, & illum nihil intersit. II.

Gracia de Valentia in extremo vitæ limine rogata à viro in paucis religioso, quantùm à Deo distaret cor hominis? respondit; quantum hujus amor ab illo. Satis innuens Deo proximum esse quisquis amat; imò in Deo esse, in Deo vivere, ac spirare; quia ut D. Dionysius Areopagita: *Anima ibi est magis ubi amat, quàm ubi animat.* Nec mirum amantem amato sic jungi, cùm in amore sit vis quædam magnetica. Ex histor. Minorum. De Divin. Nom. c. 4.

Magnetem gemmam amare ferrum perhibent; & hoc vivere gemmam asserunt, quòd cum amato etiam coit, inquit Theophilactus.

Qui sensus est inanimis, is & humano cordi, quod etsi ferreum sit, ab amore Divino trahitur, & illi jungitur quàm arctissimè. Ita junctus olim Henricus Suso: hic pro eo quo in Deum & JESUM suum ferebatur affectu, diu noctúque de eo loqui, eum invocare, nomen ejus millies, ac millies repetere. Nimirum amores suos spirabat totus, totus ad Deum suum aspirabat. Neque illi defuit amans JESUS: visendum se illi dedit, & mira quidam Divini amoris inclinatione, nomen in melius mutavit. Hactenus inquiebat JESUS tibi nomen Henricus, illum depone & amantis sume: mihi, & superis dicêris, *Amans Suso*; hoc nomen accipe, & quidem me parente, ac patrino. Pater Æternus mihi JESU nomen indidit, & quia hoc amasti, age amantis nomen accipe, & quanta quanta erit Æternitate audies, *Amans Suso.* tantum illi profuit Deo per amorem jungi.

Venio ad tertium indicium divini amoris in homine: opus scilicet, in quod abit causa Dei quisquis amat: Illud si desideretur, desideratur, & amor. III.

Ut enim piè Isaacus Præsbyter: *Ignis in humidis lignis non accenditur, & divinus calor in corde diligentis otium non gignitur*; cui consonat magnus Pontifex Gregorius, cujus hoc effatum: *Amor ubi est magna operatur; si operari renuit, amor non est.* Lib. de Contempt. mdi.

Hunc porrò nexum amoris, & operis indicarum voluit author naturæ Deus in ipsa hominis efformatione. Ut enim notat Joannes Valner, sinister ramus grandis arteriæ è corde ad sinistrum brachium producitur, ut natura ipsa dictante intelligamus amorem qui in corde est, ad brachia, hoc est ad opus extendi debere. Quod D. Augustinus ea, qua solet ingenii solertia, styliique acumine probat in omni amore: Quodlib. 4.

Ipsa dilectio, inquit, *vacare non potest; quid enim de quoquam homine etiam malè operatur nisi amor? da mihi vacantem amorem, & nihil operantem; non esset amor nisi operaretur: etiam malus operatur, sed mala, flagitia, adulteria, homicidia, luxurias omnes; nonnè amor operatur?* Hæc ubi de omni amore, etiam malo, protulit D. Augustinus; tum oratione versa ad animam amantem salutis suæ: In Psal. 31.

Purga ergo amorem tuum, aquam fluentem in cloacam converte ad hortum; quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi.

Componit S. Præsul amorem cum aqua; imò cum torrente, qui magno impete, cursuque rapido defluit, & quidem si impurus est devolvitur in cloacam omnium vitiorum; sin autem purus & castus, in hortum, quem irriguis aquis fœcundet omni florum, hoc est, virtutum specie, atque amœnitate.

Tantùm

Tantùm interest quis sit, & cujus amor, Dei, an mundi; ideóque benè concludit, benè conficit S. Pater: videndum nobis quid amemus, quia inde patebit quid etiam operemur.

Est operarius amor, nam vobis dicitur nihil ametis; absit, miseri eritis, si nihil ametis; amate, sed quid ametis, videte.

IV. Quartum indicium quo se prodit, qui latet intus Divinus amor, est animus audax omnia perpeti; & qui adversis premi potest, non opprimi; tentari, non vinci.

D. Gregorius Nazianzenus aiebat tria esse, quæ nulla vis aut flectere posset, aut frangere.

Duo hæc superari nequeunt, Deus & Angelus; tertium Philosophus; hoc est amans divinioris Sapientiæ, qui licèt mortale corpus circumferat: at in eo gestat immortalem animum, adversis cedere nescium, quia nimirum, *in materia, materiæ videtur expers: in corpore incircumscriptus, in terra cœlestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus se facilè vinci ferens, præterquam animi magnitudine.*

Is sæculo nostro fuit S. Carolus Borromæus, qui nec laboribus frangi potuit, nec metu, nec minis, nec ipsa mortis imagine à recto dimoveri; certus nimirum omnia perpeti Dei causa, ac religionis.

Argumento sit unum illud: Monitus amicè à Marchione Sfondrati, ut excommunicationem, quam fortè in Gubernatorem jecerat, tolleret, ob metum imminentis ex ea mali; adjecit illicò invicti animi Præsul Ideò purpuram gesto, ut vel inde movear per vulnera cædémque, Deo ac religioni reddere purpuream animam, vitámque ponere. *In ejus vita l. 8. c. 8.*

Omitto alia Divini amoris argumenta, de quibus paucà dixi Dominica duodecima, in cujus Evangelio idem quoque thema propositum.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.* V. 37.

CUR EX CORDE? ET QUIDEM TOTO?

Quid sit cor à natura? De humano corde multi multis disputant: & quidem hi ex illius natura, illi ex vitio; alii ex virtute, quæ illi insederit.

A natura, *Cor est principium vitæ; & fons motuum.*

Color illi *puniceus*, qui idem & Cœli color est: ut concolor jam Empyrēo videatur; quò nimirum, Divinæ mentis favor illud evocat.

Forma conus effigie, seu pyramidis; sed inversæ, qua inferiora respicit, ut videlicet terram, & caduca hæc omnia, nonnisi in puncto, & minima sui parte attingat: in summâ verò sui parte, se dilatet, & velut concha margaritifera sese aperiat, ad cœlestem rorem, & splendorem excipiendum.

Situs in medio ferè pectore, ut sit *tanquam Rex in mortalium corpore;* inquit Rabbi Abenezra.

L. de Corde. In eodem *duo sinus*, quos *natura hominis fontes* appellat Hippocrates, quibus totum corpus irrigatur: unus est spirituum, alter purissimi sanguinis: quamdiu hi fluunt, vivit homo; ubi exsiccati fuerint, moritur: ut proinde Sapiens monuerit omni custodia custodiendum cor, quia ex ipso vita procedit, vel ut in Hæbreo est: *Ex ipso exitus, & processiones vitarum.*

Et tale à natura est cor hominis, aliud autem à vitio, *Quid à vitio?* aliud etiam à virtute.

Ab illo dicitur Æthna, dicitur & mare; sic enim de illo unus aliquis insano passionum æstu, æstróque percitus.

Æthna. *Æthnam non vidi, tamen hæc mi in corpore flagrat;*

Nec salsum mare, at id mi fluit ex oculis.

Æthna ignes concipit, quos deinde evomit, eructátque etiam per ingentes globos: & cor hominis malesanum, ubi vel impuri amoris igne, vel alio passionis indomitæ æstu arserit, egerit quod intus latet malum.

Mare. Mare varium est, atque inconstans, & modò Euro vapulat, modò Aquilone, tollitque in altum ingentes aquarum montes; modò resorbet, & in abyssum trahit.

Quod mare, hoc & cor hominis; semper mutabile, & vix sibi constans, nisi sua ab inconstantia; modò enim superbiæ spiritu, ventóque assurgit; modò subsidente aura, à sua pusillanimitate dejicitur in profundum.

Diversorium. Dicitur etiam cor hominis *diversorium*; ad quod scilicet promiscuè quicumque divertant: *Videtur cor non esse absimile diversorio*, inquit Clemens Alexandrinus. Tale cor nec amat, nec subit JESUS, *qui diversoria semper ignorat*, inquit D. Bernardus. *L. 2 Strom.* *Ser. in illud; Beatus homo.*

Qui enim amaret, aut subiret illud amans JESUS? cùm jam illud occuparit Mundus, occupant Caro, occuparit & Dæmon; multi, & mali omninò hospites.

Tale erat cor Judæ, in quod intrarat satanas.

Tale & cor divitis Epulonis, in quod admissa erat avaritia, & insana habendi libido; à qua illæ voces: *Quid faciam? Interrogantis vox est*, ait Chrysologus, *& quem putas interrogabat iste? erat in illo alter; quia ad ejus penetralia jam diabolus possessor insederat, & qui intraverat in cor Iudæ, mentem ejus tenebat arcanam.* *Serm. 194.*

Et quia sic tenebat, ab illo longiùs recesserat Deus, qui non potest unquam amare cor, quod multos recipit hospites, eósque malos, à quibus id habet, quòd etiam sit *Cacodæmonis officina*, civitas, imò & arx munita, è qua erumpat in omnes animæ facultates, in omnes sensus ad inferendam eis perniciem. *Dæmonis officina.*

Inde enim spargit fumantem cruorem circa cor, ut iram accendat: inde vulneratjecur, ut impotenter amet: splenem ferit, ut lasciviam excitet; ardentem inde phalaridam jacit in oculos, ut curiosè & luxuriosè intueantur: aures aperit ad excipienda verba inhonesta, & impias fabulationes. Hinc etiam crassas nebulas memoriæ obtendit, ne aut minarum Dei, aut beneficiorum recordetur; denique irrepit & sese insinuat in voluntatem, ut in ea affectus præposteros inflammet, avaritiæ, libidinis, ambitionis.

Ecce, quæ ab uno corde malorum agmina, quæ strages, quæ portenta vitiorum; & hoc à malo hospite, quod illud subintrant.

Tanti refert quis cor hominis, seu illius arcem, occupet.

Vidimus quid à natura sit cor hominis, quid deinde à culpâ; spectemus modò quid à virtute. *Quid à Virtute?*

Cor rectum, Prophetæ Regio, *liber est*, cui inscribuntur eloquia Dei. *In corde meo abscondi eloquia tua*, canebat Vates; utique *tanquam in libro, & volumine descripta*, ut explicat Agellius. *Psal. 118.* *Liber.*

Hom. 32. in Ep. ad Rom. Tale fuit cor Pauli, *tabula Spiritus sancti, atque Charitatis volumen*; ut aureè de illo D. Chrysostomus.

Cor rectum nidus est, inquit D. Bonaventura, in quo Justus omnis abscondit eloquia Dei: dum *ea per dilectionem suscipit, per memoriam retinet, per humilitatem tegit.* *In Psal. 118.*

Cor, inquam, *nidus est, verbum ovum, bonum opus pullus, qui fovetur ac nutritur: non justificabitur, nisi nutriatur*; hæc ubi ore Seraphico dixit D. Bonaventura, tum oratione ad auditorem versa, sic urget, & instat. *Abscondo in corde verbum, scilicet in nido ovum. Nam peccas, si non recipis; peccas si receptum ejicis; peccas si receptum ante tempus exponis. Primò duritiâ, secundò negligentiâ, tertiò superbiâ.*

Hæc S. Doctor, cui diu ante prælusit D. Augustinus, qui bonam mentem primò composuit cum turture, quæ *invenit sibi nidum, ubi ponat pullos suos*; deinde monuit, ut & ipse cor, ceu nidum paret Deo loquenti, & amanti: *præstate*, inquit, *in vobis nidum sermoni.*

Ara. *Cor rectum*, est *Ara*, in quâ perenne Deo sacrificium offertur; sed amoris, sed incensæ Charitatis.

Ejusmodi fuit cor Davidis, qui hæc ingenuè, & *Psal. 25.* verè de seipso: *Circumdabo altare tuum Domine*; id est (ut explicat Remigius) *Aram cordis mei ornabo variis virtutibus*; has enim amat, & in altari suo, ceu hostias, requirit summus Sacerdos Christus.

Dei Templum. *Cor rectum Dei Templum*, cujus *aditus est pudicitia*; ut doctè notavit Tertullianus.

Cor rectum prætorium est Spiritus sancti, Numinis Palatium, Regia Dei augusta, in quo cum filiis *Prov. c. 8. v. 31.* hominum delectari, *& deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, inquiebat ore Sapientis.

Matth. c. 6. v. 6. Ea de causa in Evangelio Christus illud modò *cubiculum* vocat, in quod oraturi ingrediebantur; modò *Atrium* forti armato custoditum; aliquando *mansionem* *Luc. c. 11. v. 21.* *Divinitatis: ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ita de uno corde non unum, sed multa loquuntur sacræ paginæ, quæ hæc omnia illi ascribunt Epitheta expressa ferè his tribus voculis: *Ca-* *Joan. c. 14. v. 23.* *mera Omnipotentis Regis*; nobile lemma, cujus litteræ capitales COR reddunt, cor exprimunt.

Quòd si ex vero cor hominis *Liber* est, *tabula*, & *volumen Charitatis*. Certè illi inscribi debet Dei nomen, & quidem solius.

Si *nidus* est, in eo reponi, cubare, quiescere debet Deus unus.

Si *Ara*, in ea summo Numini, & soli quidem offerri debent sacrificia; non autem simul aut Baccho, aut Veneri, aut Plutoni, aut aliis malesanæ passionis Idolis.

Si denique *Dei Regia*, si *mansio Divinitatis*; certè hæc una, ibi commorari debet; excludi cæteri omnes.

Et hoc ipsum est, quod urget impositum omnibus præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; ex toto, inquam, sic ut nulla illius pars alteri vacet: Nobile illud ac simul pium lemma Serenissimæ Bonnæ Sabaudiæ Ducissæ: hæc marito orbata in scuto Phœnicem pinxit, subjecta hac Epigraphe: *Sola facta solum Deum sequar.*

Et hoc est lemma, quod tabulæ cordis nostri inscribi debet, *Sola facta solum Deum sequar.*

Rationes ob quas Deus unus amandus. Ut porrò sequatur, rationes producam, ob quas fieri omninò non potest: ut cum Deo alius quispiam veniat in consortium amoris nostri.

I. Ex cordis angustia. Prima petetur ex angustiis cordis humani, de quibus ita Petrus Blesensis: *Angustus est lectus, & pallium breve utrumque operire non potest; nec benè conveniunt, nec in una sede morantur majestas Dei, & amor mundi.* *Serm. 2. de Adv.*

II. Ex Dei Immensitate. Altera ratio ducitur à Dei Immensitate, quæ cum ea sit, alium à se non admittit; de hac ita Petrus Damianus:

Opusc. 11. c. 4. *Magnus hospes in diversorii sui quærit angusta descendere; atque ideircò solus vult, & sine consortibus habitare: Quem enim cœli terraque non valet vastitas capere; quo pacto in exiguo tui cordis angulo, viteris illi peregrinos ad cohabitandum socios adhibere.*

Peregrinos appellat, Carnem, Mundum, Diabolum; qui tamen nituntur subire diversorium humani cordis.

Caro quidem illecebris, seu gulæ, seu insanæ libidinis; de illis ita Sapiens:

Vinum, & ebrietas auferunt cor hominis; aufert & libido, venúsque; & cùm abstulerit, pessumdat, ac subvertit.

Ita subvertit olim corda senum impudicorum, ad quos sic castus Daniel: *Semen Chanaan species subvertit cor tuum.* Ne porrò subvertar, exclude peregrinum illum, & malum hospitem. *Cap. 13.*

Exclude & mundum, qui & ipse peregrinus est; & tamen utis sit, contendit subire arcana tui cordis, per stultum æris aurei, argentique amorem, per thesauros suos; quibus ita adhæret cor tuum, ut ibi sit, ubi illi: *Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit*; inquiebat Incarnata Patris Æterni Sapientia.

Exclude & dæmonem, qui vel maximè peregrinus; & tamen ut is sit, pravis suis suggestionibus conatur evertere domicilium humani cordis, in quod aliquando malè admissus.

Exclude, inquam, illum, & alios quoscumque peregrinos, & Dominum, qui solus tibi Deus, ac Salvator est, admitte: & videbis cur ubi diligendus sit ex toto corde. Primò quia Deus est, & quidem unus: hac olim ratione usus est Deus ipse, ut Israeli amorem suaderet, & quidem ex corde toto; ubi enim dixit: *Audi Israël: Dominus Deus noster, Deus Unus est*; subdidit illicò: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; quasi diceret, sicut unus est Deus, ita & unus sit in illum noster amor. Hinc & doctè, & piè Theodoretus: *III. Ex Dei Unitate.* *Deuter. c. 6. v. 4. 5.*

Docemur, inquit, *dilectionem non scindere, in dilectionem Dei, & dilectionem auri; sed totam dilectionis vim creatori Deo conservare.* *Ibid. Qu. 4.*

Et hoc ipsum, quod suo jure postulat *Divinus amor, qui ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captivat affectus*; ut piè D. Bernardus. *Serm. 83. in Cant.*

Et certè quidni traduceret, captivaretque uni Deo, cui se totum debet homo, vel hoc solo titulo, quòd Creator sit; cui accedit, quòd etiam Redemptor, & quidem etiam unicus.

Quærunt SS. Patres, cur Deus, qui hominem per se creavit; per se quoque redemit: non autem per Angelum, aut Angelo superiorem aliquam creaturam: quod erat illi factu facile? *IV. Ex Unitate Creatoris & Redemptoris.*

Respondet D. Anselmus: *Conveniebat redemptionem fieri per eum, qui natura Dominus erat; ne alium nobis Dominum agnosceremus.* *Orat. 3. contra Arianos.*

Anselmo consonat Hugo Victorinus, qui in eandem rationem ita descendit: *Ne amorem divideres idem tibi factus est Creator, & Redemptor.* *In lib. Sent.*

In primis melioris vitæ rudimentis amores suos divisisse visus est Nicodemus, qui noctes dabat audiendo Domino, dies autem excipiendis Pharisæorum sermonibus, quem proinde D. Gregorius Nazianzenus appellat, *Nocturnum tantùm Dei cultorem*; & alio loco: *Ille*, inquit, *dimidia tantùm ex parte Christum amans Nicodemus.* *Orat. 42.*

Quàm multi sunt hoc ævo Nicodemi, imò Nicodemo longè deteriores, ut qui adulta jam Fidei luce dimidia sui parte Deum amant: similes Samaritis, qui cùm Dominum colerent, diis quoque suis serviebant, vel hoc uno superis exosi, atque intolerabiles; at magis exosi, magis intolerabiles Christiani, qui sic io duas partes divisi; ut enim rectè D. Ambrosius: *Deus tolerabiliùs judicat infidelem integrum, quàm fidelem divisum.*

V. Ex conditione mandatorum. Ne sic aliquando dividaris, velim attendas quæ sint eorum, in quos amores tuos partiris, imperia, quàm

quàm inter se pugnantia; imò quàm inter se divisi, & pugnantes ipsi Domini.

Deus scilicet, & Diabolus: primus enim est *suavissimus*; secundus *crudelissimus*. & hinc alia huic, alia illi servitia.

D. Bonav. Serm. 1 in Dom. 14. post Pent. *Deo servitur flendo per pœnitentiam: diabolo ridendo per lasciviam.*

Deo servitur vigilando in custodia contra diabolum; diabolo servitur dormiendo in negligentia contra Dominum.

Deo servitur ascendendo de virtute in virtutem usque in Cœlum; diabolo descendendo de vitio in vitium, usque in infernum.

Ecce quàm pugnantia inter se servitia, quæ proinde pati non potest cor hominis. Et verò cur patiatur immania illa mali dæmonis imperia; ac non potiùs suavia Dei sui, qui hæc illi blandè in aurem. *Fili præbe mihi cor tuum*; cui enim potiùs? finxit ille cor hominis, & formavit altiore manu; cur igitur illius non sit totum?

VI. Ex Deo auctore. Certè vas quale quale demum est, figuli est: & opus omne suo debetur authori.

Igitur & cor hominis Deo, ceu supremo illius artifici; quod dum agnoscunt magnæ mentes, in id unum incumbunt ut totum cor Domino cedat.

Ita quondam incubuit David, cujus hæ voces, non linguæ, sed cordis: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.*

Ita incubuit Augustinus, de quo verum illud: *Cor meum à me transiit, & post IESVM simul abiit.*

In Medit. Ita incubuit D. Anselmus, cujus hoc votum: *Aufer à me Domine si velis substantiam, manus, pedes, oculos, solum relinque cor, quo te diligam; hoc enim solo tibi placebo.*

Benè ait vir Sanctus, fore ut solo corde Deo placeat; hoc quippè solum apud superos est in pretio, atque amoribus.

Philippus II. Hispaniarum Rex, Regi Narsingano fortè dono miserat cor aureum, ut eum sibi ac religioni conciliaret: illud ut vidit, ut prensavit Rex Barbarus, quasi à se alienus exclamavit illicò: O quibus incesso lætitiis! ó quanto triumpho gaudio!

Si hæc illi expressit cor anima vacuum, cor expers sensus, cor durum, cor è terra fusa malè compactum; quem putas, seu amoris, seu voluptatis sensum Deo exprimet cor hominis?

Cor, inquam, indivisum, & uni sibi devotum, quale fuit cor Abelis, à quo mirum quantum dissimile cor Caini; quod indubiè divisum, ideoque exosum Deo, uti & illius sacrificium: cùm è contrà Abelis esset acceptissimum.

Rationem attulit ipse Deus vocis Divinæ oraculo, quo sic ad Cainum: *Nonne si benè egeris, recipies?* Septuaginta legunt. *Nonnè si rectè offeras: non autem rectè dividas, peccasti;* quasi diceret: Quid miraris? quid doles? quid quereris tuum mihi displicuisse sacrificium, quod malè divisisti? At quomodo malè divisit? Gen. c. 4. v. 7.

Malè divisit, qui a seipsum malè divisit: *Quid miraris, ô Cain*, inquit Bernardus, *si non respicit ad te: quia ita divisus es in te? si manum devotionis, quid animum das livori? non concilias Deum tibi discors tecum, non placas, sed peccas.* Serm. 24. in Cant.

Malè divisit, quia se & sua divisit: *Caïn*, inquit Rupertus, *non rectè divisit: quia cùm Deo offerret sua, seipsum sibi retinuit; cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo.* In cap. 4. Gen.

Malè denique divisit: *Quia exteriora dabat, & se in nequitia confirmabat*, ait Isidorus. Ibidem.

Non sic innocens Abel, quia & se totum ille dedit, & sua simul omnia.

Abel, inquit Procopius, *non ut Cainus, quidquid immolaverat totum tribuit Deo: nec cum illo dividuum facit; unde donator magis, alter distributor appellari potest.* Ibidem.

Et hoc fuit olim discrimen Abelem inter, & Cainum; inter hujus, atque illius sacrificia. Abelis indivisa, Caini divisa; Abel uni Deo, Caïn & sibi, & Deo; Cain sua tantùm, Abel & se & sua.

Hunc sequere, hunc imitare, mi Lector, & cum Propheta Regio primùm; dein etiam cum S. Ignatio exclama: *Quid mihi est in Cœlo & à te, quid volui super terram?* vel ut Hebræi legunt, *Tecum non volui socium super terram.* Psal. 72.

Qui enim vellem, ô Deus; cùm probè conscius sim illius, quod me natura, quod ratio, quod fides edocuit; quod scilicet *Amor singularis consortem non recipit, socium admittit.*

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Diliges proximum tuum: sicut teipsum.* v. 39.

QVIS ILLE PROXIMVS? *Et quæ regula dilectionis illius?*

Quis Proximus? NE crede, ô homo, eum dumtaxat, tibi esse proximum, qui aut sanguine junctus, aut iisdem tecum adnatus oris, aut eodem tecto usus, aut denique aliquo amicitiæ & societatis vinculo implexus; ne, inquam, illum solum tibi proximum effinge: est enimverò ille proximus; sed non solus id tibi nomen vendicat, sed eum quondam naturæ jure arrogat quisquis est homo. Quod etiam agnovêre pagani, vel unico rationis ductu.

Seneca finxit hoc Universum quantum quantum est, esse veluo communem patriam; imò civitatem, cujus pars sit omnis homo, sit licèt Getha, sit Scytha, sit Barbarus.

L. 2. de Ira, c. 32. *Nefas est*, inquit, *nocere patriæ, ergo civi quoque; nam hic pars patriæ est: sanctæ partes sunt, si universum venerabile est. ergo & homo homini, nam hic in majore urbe tibi civis est.*

Hæc Seneca, qui debita amoris officia exhiberi vult omni homini, tanquam concivi; imò tanquam parti ac membro magni corporis.

Omne quod vides, unum est: membra sumus corporis magni, natura nos cognatos edidit cum ex iisdem gigneret. Epist. 95.

Quod si cognatos, igitur & proximos, vel eò tantùm, quòd ex iisdem geniti, adeoque communi amoris vinculo illigati: & hanc ipsam naturæ communionem, ex eáque natam amicitiam agnuvit, commendavitque D. Augustinus:

Si pecunia ratio, inquit, *socios facit; quantò magis ratio naturæ, non negotiandi sed nascendi lege communis.* Epist. 52.

Hanc porrò legem proximum facere docet more suo, id est, disertè, ac piè:

Conc. 2 in Psal. 118.

Proximi, inquit, *facilius videtur esse cognitio, omnis quippe homo est homini proximus, nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis.*

Ab hac quoque proximi nomen petendum esse duxit S. Leo, cujus hoc effatum:

Serm. 1. de Jejun.

Proximi nomine non tantùm intelligendi qui nobis amicitia, aut propinquitate junguntur; sed omnes prorsus homines, cum quibus nobis natura communis est, sive illi hostes sint, sive socii, sive liberi, sive servi.

Hoc fuit pronuntiatum magni Pontificis, cujus rationem reddit.

Unus enim nos conditor finxit, unus nos creator animavit, eodem cuncti cælo, & aere, iisdem utimur diebus.

Quidni ergo eâdem amicitiâ? eodem amore? Certè si cætera, quæ naturæ sunt, atque universi, communia sint, & hic quoque communis sit oportet. Eum quippe deposcit lex ipsa humanitatis, quam cuique semper in animo, semper in oculis esse voluit Seneca, cujus hoc præclarum fuit monitum:

Epist. 95.

Iste versus & in pectore, & in ore sit: homo sum, humani nihil à me alienum puto.

Quæ Amoris regula?

Et hinc delabor ad alteram quæstionis propositæ partem, quæ sit in nobis amoris regula; ea certè, quam pauculis verbis expressit Magister optimus, Deus-homo.

De vera Relig. c. 46.

Diliges proximum sicut teipsum; ea est regula dilectionis, inquit D. Augustinus; quî autem explicanda, videamus.

Quæ argumenta?

Seipsum diligere convincitur homo ex aliis, atque aliis argumentis.

I. Argumentum.

Primum est, quod secum ipse conveniat quàm optimè; imò membrum unum cum alio consentiat; oculus cum manu, manus cum pede; & ita de aliis, ex quibus ipse constat homo.

In homine, inquit Hippocrates, *confluxio una, conspiratio una, consentientia omnia.* Nimirum hoc est quod tibi das; ô homo! da & proximo. Et sicuti non patereris ut oculus à pede, manus à capite dissentiret; ita nec patere, ut à proximo, qui tibi à natura membrum est, diffideas.

Equidem enim, an non monstrosum illud esset, ac damnandum, si dum pes in dextram flecteret, in sinistram deflecteret oculus, & pedem destitueret, exponerétque ad lapsum cæco vestigio? Certè si in corpore culpandum illud esset, & hoc in te magis, qui à proximo dissentis, qui in diversa semper trahens; nec sentis quod ille, nec vis quod ille: hunc porrò consensum in primævis Ecclesiæ Christianis amavit, quæsivitque Paulus, cujus hoc votum: *Deus*

Ad Rom. c. 15. v. 5.

patientiæ, & solatii det vobis idipsum sapere.

II. Argumentum.

Alterum indicium, quo evincitur seipsum amare homo, est, quòd sibi afficiatur, benè sibi velit, & faciat benè; quod ex eadem membrorum inter se conspiratione ostendit Galenus; ait enim:

L. 1 de Facul. Natur. c. 13.

In corporibus nostris unum conspiratum confluxionque esse, ac omnia inter se mutuo affici; Sic oculus manui, manus pedi, pes trunco corporis afficitur benè: & hunc affectum à natura inditum prodit dum unum alteri condolet, ac succurrit.

L. de Pœnit. c. 10.

Non potest, inquit Tertullianus; *corpus de unius membri vexatione lætum agere; condoleat universum, & ad remedium collaboret, necesse est.*

Quod corpori, quod membris, quod nobis ipsis concedimus; hoc & proximo concedamus: ut enim eleganter D. Ambrosius:

L. 3. Offic. c. 3.

Hæc utique lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, ut alter alteri tanquam unius partes corporis invicem deferamus, nec detrahendum quicquam putemus, cum contra naturæ legem sit non juvare: sic enim nascimur ut consentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio.

Quod si unum desit officio suo, impediuntur & cætera; ut si eruat oculum manus, nonnè sibi operis sui usum negabit? si pedem vulneret, quantorum sibi actuum profectum inviderit?

Certè si manus oculo sic esset injuria, si pedi sic adversa, ut & illum erueret, & hunc læderet; ut toti corpori, imò & sibi ipsi injuria adversaque, proscriberetur.

Similiter ut is dicaris, & sis oportet, ô homo! nisi alteri homini, ut tibi velis benè, & facias etiam benè; quod si volueris & feceris malè, ut proximo, sic & tuo generi tuo inimicus proclamabens. Ut enim benè conficit ille ipse S. Præsul:

Quanto gravius est totum hominem quàm unum membrum detrahi? Iam si in uno membro totum corpus violatur, utique in uno homine communio totius humanitatis solvitur, violatur natura generis humani.

L. de Ira c. 31.

Rationem hanc reddit Seneca, quia *singula servari totius interest.* At homines sunt quoddam totum, quia ad cœtum geniti; igitur singulos servari totius interest universi: non servabuntur autem, nisi proximo uti & tibi feceris benè.

III. Argumentum.

Tertium argumentum, quo seipse diligere probatur homo, est quædam erga se passio, & compassio, qua fit ut unum membrum alteri compatiatur, & si patiatur unum, videatur pati & alterum.

1. Cor c. 12. v. 12.

Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, inquit Apostolus; quod ingeniosè ostendit D. Augustinus:

In Append. Serm. 11.

Quando, inquit, *est aliqua coarctatio, si alter alterum calcet, lingua dicit calcas me: non ipsa calcata est. Quid est ergo quod sonat calcas me? sic & ille respondeat; libera es, ô lingua, in ore tuo vocem habes; ego si calcavi, pedem calcavi; sed calcas me, charitas dicit; calcas me compassio unitatis, & vinculum societatis dicit.*

Quod corpori, & membris singulis; hoc & tibi, & proximo. si hic patiatur, compatiaris est necesse; si dolet ille, & doleas oportet. Hunc etiam sensum tibi ingenerat compassio unitatis, & vinculum societatis; si à te absit hic sensus compassionis, & amor absit, & stupor adsit oportet.

Hujusce compassionis, adeóque & dilectionis exemplum illustre habes in Salvatore quàm optimo etiam cœlis jam reddito: in ejus Discipulos, ac membra sæviebat Paulus, ferrum meditabatur, & ignes; jámque feroci vectus equo properabat Damascum:

Act. c. 2. v. 4.

Plenus minarum, ac cædis in Discipulos Domini. Cùm ecce de nube occurrit illi Dominus, & vertici imminens fert illicò hoc tonitru verborum: *Saule, Saule, quid me persequeris?*

Numquid ipsum persequebatur in cælo? inquit D. Augustinus; Minimè verò: sed quia ipse erat in Christianis, compatiens membris omnibus: hinc, quæ in eos parabatur persecutio, eandem & sibi parari fatebatur. Hinc illæ voces testes compassionis, justíque sensus seu iræ, seu doloris: *Quid me persequeris?*

IV. Argumentum.

Quartum argumentum, quo seipsum amare convincitur homo, est sedula cura, studiúmque corpusculi, ut alat illud, & lautè quidem, ut tegatur, non sacco, & cinere; sed bysso, & purpura, si aliquousque fieri possit.

Isai. c. 58. v. 7.

Quod sibi; hoc & proximo defer: *Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Benè *tuam*; quippe *omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, inquit Gentium Apostolus; ex quo habes, quod qui pauperem nudum veste induit, seipse induit, & quod proximo facit, facit & sibi: *Benefacit animæ suæ vir misericors*, inquit Sapiens.

Ad Rom. c. 12. v. 4.

Prov. c. 11.

At quomodo animæ, si proximo? an hic anima illius est? Est enimverò ex lege dilectionis, à qua sortitur omnis homo, ut quasi idem cum proximo fit, adeóque dum hunc amat, se quoque amat, & dum huic facit benè; facit & sibi. Hinc præclarum illud Paulini monitum:

Epist. 12. ad Pop.

Cave ipsum te solum ames, si te amas: quia iniquitatis est ista dilectio, & qui diligit iniquitatem odit animam suam. Plenitudo autem legis est dilectio proximi,

quod

quod omnis homo homini est germanitate naturæ: parem ergo tui curam, & pauperis gere.

V. Argumentum. Quintum argumentum, quo ostenditur, quod seipsum amore prosequatur homo, est diligens, & plena sollicitudinis animulæ cura, ne illi à culpa malè sit, ne ab imminente Dei vindicis justitia malè, ne ab ignibus æternis pessimè. Et hinc si fortè nobis illa impendeant, anxietas ingens, frequentes ac profundi gemitus, lacrymarum vis ac flumina: & hæc omnia debemus proximo, sicuti & nobis; ne scilicet hunc involvat, ac perdat ea calamitas.

Ex illo sensu, qui in nobis esse deberet, & sæpiùs vitio nostro non est, manarunt illæ D. Chrysologi querelæ, quas evolvit torrente ut solet aureo:

Serm. 20. *Revera, inquit, Fratres, si essemus unum, & humanum corpus, si eos qui pereunt nostra esse viscera crederemus, assi ctione jejunii, precum gemitu, effusione fletuum jugiter clamaremus: Domine salva nos perimus, & subderemus nobis in nostris fratribus subvenire, ne furente gladio sanguinis nostri mare viderémus in terris; nec tanta corporum, sed nec animarum jam naufragia sentiremus, atque humili voce precaremur: Domine salva nos, perimus.*

VI Argumentum. Sextum argumentum, ex quo liquet quòd in seipsum feratur homo blanda quadam amoris inclinatione, est; quod seipse, affectus, passiones, impetusque suos summa cum æquitate toleret. Animula hæc nostra quamdiu hoc mundo, ceu mari jactatur, hoc corpore, ceu navi, vehitur; tot habet æstus, quot affectus, tot ventos patitur ac tempestates, quot insurgunt passiones inter se pugnantes: ab his impetitur, quassatur, fatigatur, diu, noctuque: sustinet tamen summâ patientiâ, nec seipsum excutit, licèt

Iob. c.7. v.20. cum gemitu dicat illud sæpè: *Factus sum mihimet ipsi gravis.*

Quem ipse tibi, eum etiam aliis exhibe; eorum nævos dissimula, culpas, tolera, passiones sustine quamvis illæ te premant, memor illius, quod olim Seneca:

Epist. 95. *Societas nostra lapidum fornicationi est simillima; quæ casura, nisi invicem obstarent: hoc ipso sustinentur, quo scilicet sibi obstant, ac se invicem premunt.*

Porrò si quem obstare tibi, si te premere senseris ac sustinueris, eum te præstabis aliis, quem tibi. Si te exundans cholera turbet, si animum quatiat, si rationem, ceu solem tuum, maligna veluti nube tegat; toleras tamen, nimis æquus tui censor, ac judex: si melancholia gravis dejiciat, ac propè sternat; pateris illius onus, imò & onera passionum omnium, nec contra insurgis, nec declamas, nec de iis quereris; sed modesto silentio premis, & fortè excusas, ac minuis earum insolentiam.

Et hoc quia te amas: sic ama & proximum: suis ille te passionibus impetit, te premit, ac fatigat, age, æquo animo sustine, & obmutesce.

Ita sustiguit olim, obmutuitque S. Narcyssus Episcopus Jerosolymitanus: hunc aulu nefario, impotenti ira, invidiáque, factâ etiam conspiratione accusarant tres sicarii. Agebatur de honore, de fama, de bono nomine tanti Præsulis, nisi objectum infame crimen dilueret: non diluit tamen, sed abdicato Episcopatu, positâ infulâ; abjectóque pedo in desertum, ac solitudinem secessit, invictáque patientiâ maledicorum invidiam, ac dicteria pertulit, nec verbo refutavit cùm posset, nec damnavit unquam. Tantum in illo potuit etiam amor proximi, ut hujus injuriam, immanem licèt, tolerarit tamen viceritque.

Ita etiam toleravit, vicitque Joanna Galliæ Regina, cui cùm Ludovicus hujus nominis duodecimus dedisset libellum repudii, id æquissimo tulit animo, nec infanam illam Zelotypiam damnavit; sed adjecit illud patientis animi: Benedictus Deus, qui cùm me separat à Regio toro, à se non separat, sed jungit magis.

Vides ut in purpura sceptróque, mariti passiones tulerit Regina, probè conscia, quòd qui seipsum tolerat homo, & alios toleret est necesse.

Septimum indicium, ex quo dignoscitur in se per dilectionem propendere homo, est, quòd honorem suum curet, ac famam, nec facilè patiatur eam sibi eripi. VII. Argumentum.

Et jure sanè meritissimo, quia bonum apud alios nomen est vallum ad virtutem, calcar ad probitatem, frænum ad vitia & passiones coercendas. Inde viri etiam optimi curam singularem habuere de bona fama; & ut cætera perdidissent, hanc tamen sartam tectam servare satagebant.

Testem habeo Jobum, cujus hæc ad amicos voces: *Donec deficiam non recedam ab innocentia mea.* Cap.27.v.5.

In unum illud incumbebant amici patientis Jobi, ut se peccatorem, ac flagitiosum palam fateretur; indéque etiam scopum D. vindicis ultionis. Renuit illud Jobus, & quamdiu, inquit, vita stabit, quamdiu in hoc cadavere vivo spiritus erit, erit testis, ac vindex innocentiæ meæ, quam palam testabitur; ne quæ macula à malo nomine mihi inuratur. Ecce ut alia omnia, ut fortunas, ut liberos, ut corporis sanitatem amiserit Jobus: at famam non amisit, nec amittere voluit. Sanctius.

In cæteris odisse se videri potuit, in hoc uno tenaciter amasse. Nimirum cura de bono nomine, nota est & character amoris, quem etiam in Deo leges. Videt ille peccatorem, & quæ illius est patientia, quis amor, tacet, nec aliis pudenda scelera revelat.

Nunquid alicui ministrorum suorum, qui vindices sunt iræ ejus, revelavit ignominiam tuam? inquit Petrus Damianus: *Ecce videt, & tacet; videt, nec manifestat; videt, nec judicat; videt, nec vindicat.* Serm.56.

Ecce Dei longanimitas; ecce amor etiam erga scelestum, & suis sceleribus infamem.

Quæ Deo, quæ tibi cura bonæ famæ; eadem etiam in proximum: occurrit aliquod crimen pudendum, seu Patris, seu etiam fratris tui? Age, quà licet obtege, & sic in te derivabis benedictionem Sem, & Japhet, qui parentis nuditatem aversis oculis, aversoque pede texêre. Sic deinde imitaberis verè Regios, Augustos, Christianos Constantini Magni animos, qui si Sacerdotem quempiam delinquentem vidisset, suo pallio operuisset. Nimirum hoc indicio testatum voluit suum in proximum amorem. Testatum voluêre primi Christiani, apud quos adeò inviolabilis & sacra fuit aliorum fama, ut eam lædere nefas esset ne quidem delicti etiam publici manifestatione.

Quam in rem S. Theodorus Studita disertè notat, quid actum olim cum Anania, & Sapphira.

Ananias vendito agro illius pretium abjecit ad Apostolorum pedes; sed non integrum, ut par erat: hinc & furti, & mendacii reus pœnas dedit, & subita morte ad Petri vocem, ceu fulmen, extinctus: post tres, circiter horas venit Sapphira, nescia quid actum de marito, & ipsa rogata de agri pretio, ejusdem quoque criminis, ac sacrilegii consors, pœnæ quoque fuit ac mortis, nam & ipsa *confestim cecidit ad pedes ejus, & exspiravit.* Act.c.5.

Hic quærit S. Pater, quî factum, ut ne verbulo, ne famâ quidem de mariti occasu monita fuisset uxor? *Certè*, inquit, *in publico acta fabula, & frequenti vulgi corona,* Serm.117.

Et tamen, nè unus omnium Ananiæ scelus etiam conjugi aperit, ac propalat. Ea nimirùm in Christianis erat circumspectio, modestia, Dei reverentia; & ex hac cura studiúmque servandæ proximi famæ, ex lege scilicet, normáque Christianæ Charitatis, quæ præscribit, ut facias proximo quod tibi factum velles: adeóque famam serves, quam tibi servatam amabis.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.



UT hodie Paralyticus CHRISTO sisteretur fecerunt potissimùm duo.

Primum fuit urgens morbi vis, & toto corpore sparsa Paralysis, ingensque telum necessitas.

Alterum diffusa latè miraculorum fama, quæ ægros undique evocabat, quos inter affuit ille noster Paralyticus; cui cùm aditum ad CHRISTUM negaret circumfusa undequaque turba, ingeniosa necessitas invenit illud consilii. In summa domus educitur, & per nuda tecti ad CHRISTI pedes demittitur.

Audax illud, piumque facinus attonitos primò habuit omnium animos; dein à CHRISTO, ceu corporis, ceu animæ medico illud excivit: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua; surge tolle lectum tuum.* Matt. c. 9.

Ita nimirùm, ut aureè D. Chrysologus: *Christus venit suscipere infirmitates, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare Divina; accipere injurias, reddere dignitates; ferre tædia, referre sanitates;* contra quas insurgit Pharisaicus livor, & hæc importunè obtrudit. Serm. 50.

Hic blasphemat; quis potest remittere peccata nisi solus Deus?

Pharisæe, inquit Chrysologus, *qui sciendo nescis, confitendo negas, cùm testaris impugnas. Si Deus est, qui remittit peccata, cur tibi Christus Deus non est?* Certè esse duobus convincitur argumentis: Primum, quòd peccata dimittit, quod Divinæ est potestatis; Alterum, quòd tacitas Iudæorum cogitationes pervadit: & hæc, ô Pharisæe, *cape divinitatis insignia: audi eum pectoris tui penetrasse secretum: aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse: intellige eum cordis tui tacita nudare consilia*: Dixit enim, *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Hæc nimirum penetrabat CHRISTUS, & pervidebat quid in illis lateret; & hoc quidem *scientia triplici*: Primùm *Divina*, quæ ei cum Patre, & Spiritu sancto communis; imò & una: deinde *Beatâ*: denique etiam *Infusa*, à qua ubi in apertum eduxit quod abditum erat cogitationis & consilii Pharisaïci, tum versa ad Paralyticum oratione, *Surge*, inquit.

Ita Deitatis suæ potentiam operis attestatione monstravit, dum dissipati corporis membra componit, nervos stringit, ossa jungit, complet viscera, firmat artus, & gressus ad cursum suscitat in vivo cadavere jam sepultos; quos ubi verbo quodammodo excitavit, addit deinde & illud: *Tolle lectum tuum; hoc est porta portantem te, omnes muta vices; ut quod est infirmitatis testimonium, fit probatio sanitatis; ut lectus doloris tui, fit meæ curationis indicium; ut receptæ fortitudinis magnitudinem, ponderis asserat magnitudo.* Denique adjicit & hoc: *Vade in domum tuam; Ne Christiana fide curatus in viis Iudaicæ perfidiæ jam moreris.* Et hæc Evangelicæ historiæ series: de qua

---

EX D. THOMA.

Matth c. 9. HÆRET Angelicus Doctor in illis Evangelistæ verbis: *Ascendens* JESUS *venit in Civitatem suam*; & ait: *Allegoricè Civitas ista, est Civitas Cælestis.* Ad hanc venit, qui cum Christo ascendit in *naviculam*, id est, *Sanctam vitam*, & mare hujus mundi pertransit. Serm. 2.

Ad hanc Civitatem festinare quisque debet:

Primò, *Propter securitatem*: ea petitur: 1. *A loco*, id est, Cœlis, qui solidissimi. 2. *Ab incolis*, in quibus malus nullus, boni omnes. 3. *A duratione*, id est, Æternitate, in qua stabilitur.

Secundò, *Propter amœnitatem*; ea consurgit ex tribus

tribus, & quidem 1. *Ex structura*, muris, plateis ex omni lapide pretioso. 2. *Ex lumine*, quo illustratur: in ea quippe Dei claritas, & Agnus lucerna. 3. *Ex temperie*, quæ ibi summa, sine frigore, sine æstu.

Tertiò, *Propter copiositatem omnium bonorum*, sive gaudiorum, quæ nascentur ex tribus capitibus: 1. *Ex Divinæ speciositatis visione*. 2. *Ex bonitate Angelicæ societatis*. 3. *Ex continuatione æternæ solemnitatis*: dies enim, & anni, & ipsa quanta, quanta est æternitas festiva erit in illa Civitate, in qua perennis erit Dei visio, amor, gaudium, laus, cantus & solemnitas.

EX D. BONAVENTURA.

Dom 18. post Pent. serm. 1. TRANSIT ab historia ad sensum mysticum; & hinc illi

Paralyticus est *acediosus*, & piger; ut enim paralysis corporis aufert usum membrorum, ita ut illa reddat ad labores inutilia; sic & animi paralysis aut tollit, aut impedit usum potentiarum ad ea, quæ sunt salutis.

Lectus, est *commodum carnale*, *in quo semper sunt pigri*, *& quocumque se vertunt lectum carnalitatis non re-*

Prov. c. 26. *linquunt*: *sicut enim ostium vertitur in cardine, sic & piger in lectulo suo*.

Ut porrò hunc deserat, audiat illud spiritalis, ac cœlestis Medici, id est, Christi: *Surge*, *tolle lectum*

Matth. 9. *tuum*, *& vade in domum tuam*; in his enim tribus, *Surge*, *tolle*, *vade*, ostenditur perfecta curatio tum exterioris paralysis, quæ corpus malè afficit; tum interioris, quæ animam.

Exterior enim tria importat mala:

Serm. 4. Primò, *Reddit hominem inhabilem ad standum*; & hinc dicitur *Surge*, & vis datur ad standum.

Secundò; *Impotentem ad operandum*; ideò injungitur istud: *tolle lectum tuum*, & simul datur ad tollendum potentia.

Tertiò, *Impossibilem ad ambulandum*: & inde subditur *Vade*, & unà conceditur facultas ambulandi.

Quod paralysi corporis, hoc & animi: ut hæc tollatur; *Primò imperatur rectitudo statim per desertionem culpæ*; cùm dicitur, *Surge*.

Secundò, *Fortitudo actus per executionem Iustitiæ*; cùm subditur: *tolle lectum tuum*.

Tertiò, *Promptitudo motus per acquisitionem gloriæ*, cùm illicò subjungitur: *Vade in domum tuam*, hoc est paradisum, quæ propria est homini domus; ad hanc enim factus, ut explicat Glossa.

Necessum ergo primùm est, ut surgat Paralyticus hic noster, & hoc quidem tripliciter, quia etiam tripliciter cadit.

Primò enim cadit *per ignorantiam erroris*, & tenebras excæcatæ mentis: ita cecidit Saulus Ecclesiæ

Act. c. 9. quondam persecutor, qui proinde à Christo audit: *Surge*, *& ingredere Civitatem*, *& dicetur tibi quid te oporteat facere*: & ita cadunt plerique errore cæcæ mentis, & fallente zelo: *Cum scilicet vitium virtus creditur*, ideòque *difficiliùs emendatur*: & hi surgunt *per aspectum veritatis*.

Secundò cadit *per concupiscentiam carnis*, & molliores hujus illecebras: ita cecidit olim filius ille prodigus, qui tandem aliquando sibi, & rationi redditus, dixit: *Surgam*, *& ibo ad patrem*; *surgam per*

Luc. 15. *mali declinationem*, *& ibo ad patrem meum per boni inceptionem*: Quisquis ita cecidit, surgat *per amplexum castitatis*.

Tertiò cadit *vi diabolicæ tentationis*; Surgit autem *Angelica monitione*: audit enim illud, quod aliquando in vinculis Petrus; *Surge velociter*, *quia ceciderunt catenæ de manibus tuis*. Catenæ, inquam, & vincula diabolicæ fraudis, ac tentationis. Ubi ita surrexerit Paralyticus tum etiam lectum suum tollat, hoc est, quidquid est carnale, ac temporale Deo ac spiritui adversum, efferat ingenti nisu, validisque lacertis. Act. 12.

Tollat, inquam, primò *demulcentiam consanguinitatis* cœlesti amicitiæ repugnantem: *Qui enim amat patrem*, *aut matrem plusquam me*, *non est me dignus*, ut olim divinè Christus.

Tollat secundò *Avaritiam proprietatis*.

Tollat tertiò *Illecebram delectabilitatis*, ne scilicet aliquid restet, quod à superis, & Deo avocet, atque avertat.

Ubi hæc omnia & fortiter, & feliciter sustulerit, tum *vadat in domum suam*, domum æternæ Beatitatis. Luc. 6.

Vadat, inquam 1. *humiliter* per ingenuam peccatorum confessionem etiam ea illo Christi ad leprosum: *Vade*, *ostende te Sacerdoti*.

Vadat 2. *indesinenter* per insignem terrenorum omnium despicientiam, ad quam invitatur illo Christi oraculo, ac promisso: *Vade*, *& vende omnia quæ habes*, *& da pauperibus*, *& habebis thesaurum in Cœlo*. Matth. 19.

Vadat 3. *viriliter*, & omnes tentationum, ac dæmonum insultus sustineat, ac superet de Divina certus protectione.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Offerrebant ei Paralyticum jacentem in lecto.* Matth. c. 9.

QUIS ILLE PARALYTICUS? Et quis ei Lectus?



HERODOTO teste, apud Babylonios illud in more usque fuit; ut ægri in lectulis suis efferrentur in plateas, & compita amplissimæ Civitatis, ad quæ frequentior populus confluebat, non alio fine, quàm ut aliquod solatium, ac morbo remedium invenirent, audientque ab iis, qui fortè eodem malo laborassent, quid remedii attulissent, & quâ viâ ac ratione morbum è corporibus suis depulissent.

Quod Babylonii civibus olim suis, id etiam paralytico Judæi; exportant illum è domo, in qua malè jacuerat, & offerunt eum CHRISTO: *Sic enim ægri offeruntur medico ad sanandum*, *perversi Episcopo ad confirmandum*; *rei Judici ad judicandum*; *sponsa sponso ad cohabitandum*, inquit, D. Bonaventura. Serm. 20. post Trin.

Paralyticus ille noster æger erat, non corpore tantùm; sed & animo: & hujus, & illius Medicus erat CHRISTUS.

Parvulus erat, & firmandus in Fide; CHRISTO

 ceu

ceu animarum Episcopo, ac Pastori sistitur confirmandus.

Reus erat, & *offertur in judicio speciali, in confessione;* offerendus aliquando etiam *in generali.*

Sponsa erat illius anima, & CHRISTO sponso præsentatur. Ecce quæ in uno charitatis officia, quæ beneficia Deitatis in carne latitantis.

Quis Paralyticus? Sed quis ille inquies paralyticus? SS. Patribus alius est atque alius.

Suprà. D. Bonaventura interprete, *Piger est*, qui *jacet in lecto carnalis commodi, & quocumq; se vertit lectum carnalitatis non relinquit. Sicut enim ostium vertitur in cardine; sic piger in lecto suo*, inquit Sapiens: *Ostium quando vertitur, cardine non exit;* sic & piger non abit à lecto, à desidia, à torpore suo, etsi in illo sudinde moveri videatur. Tantum ab illa paralysi malum est; quod & agnovit olim D. Augustinus, cui paralyticus dicitur: *Quisquis tam infirmus est & languens, ut velit à bonis operibus desistere;* ille certè paralysi quadam interiore dissolutus est.

Prov. c. 26.

In Ps. 36.

Ex eo genere sunt omnes amatores mundi, qui à bonis operibus revocantur, & in anima paralytici sunt & ægri, etsi corpore sani ac valentes; ut enim huic, sic & illi sua paralysis est.

Paralysis corporis, est resolutio membrorum, vel omnium, vel [illegible]orum; prout in omnia, aut aliqua incu[illegible].

Gignitur ab humore frigido & crasso, motum, ac sensum eripiente.

Ani[illegible] *Paralysis animi, est resolutio spiritus, & facultatum illius;* qua fit ut inertes sint ad motum, qui in bonum feratur operáque salutis.

3 L. de [illegible]rr. *Dicimus animam paralyticam*, inquit D. Augustinus, *quæ se non movet ad id, ad quod facultates accepit.*

Hac laborat memoria. Memoriam accepit ab authore sui, ac naturæ totius, ut illius beneficia recolat, ut vitam malè actam sub oculos ponat, indéque pœnitere discat; id autem minimè facit, & hinc est paralytica.

Intellectus. Intellectum hausit à prima illa, ac suprema mente: ut in hanc se dirigat, ut hanc norit, ac suspiciat; ut bonum, quod in virtute positum est, agnoscat; ut malum, quod in vitio residet, videat; ut æterna meditetur, & longè posita despiciat intelligentiâ sagaci, ceu oculo: & hic ad illa cæcutit, aut clauditur, & inde est paralytica.

Voluntas. Voluntatem ei Deus indidit, ceu potentiarum reginam, ac moderatricem, non alio fine, quàm ut in authorem suum feratur toto amoris impetu, ut cœlestia velit, ac sequatur; caduca, ac terrena nolit, ac fugiat: neque hoc facit, idcóque est paralytica; nec spiritu tantùm, sed & corpore: Nam & hujus partes eodem quoque laborant malo.

Sensus.

Oculi. Laborant oculi, qui dati erant à natura veluti speculatores, ac duces; facti autem sunt tanquam prædones, ac venatores fallacis formæ, puridæque voluptatis.

Aures. Laborant aures, quæ concessæ erant, velut ansæ ad virtutem, & à vitio redditæ sunt tanquam viæ, ac canales, per quos in animam subintrent obscœna verba, & cantiones impudicæ.

Manus. Laborant manus, quæ esse debuerant veluti quædam beneficentiæ instrumenta, & administræ illius charitatis, quam egenis exhiberi oportuit: at torpidæ factæ sunt ad bonum, & infami avaritia contractæ; effusæ autem, atque explicatæ ad malum, insanásque profusiones.

Pedes. Laborant pedes, qui veloces sunt ad effundendum sanguinem, ad choreas, ac tripudia leves: cùm è contrario ad illa tardi, ac plumbei; ad opera verò pietatis celeres, atque alati.

Lingua. Laborat lingua, quæ esse debuerat Dei organum, cœli tuba, & facta est fistula mali dæmonis, & omnium propè vitiorum instrumentum.

Ecce, quæ corpus ipsum paralysis invasit; hac occupatus misellus homo jacet affixus lecto: sed quis inquies ille? Quis Paralytico lectus?

Origeni, *Corpus est lectulus animæ*, in quo quasi sepulta jacet, maximè si illi plusculum indulgeat. In Cant.

D. Augustino, *Lectus est voluptas corporalis*, in qua ut in lecto anima jacet affixa. In Psal 6.

D. Gregorio Nazianzeno, *Lectus est languor animi.* Orat. 40.

D. Bonaventuræ quadruplex est *lectus*:

Primus, est *Concupiscentia, & hic intexitur funibus*, hoc est, *vitiis cogitationum, consensuum, operationum.* Dom 18. post Pent. Serm. 3.

Secundus, est *Conscientia*, quæ si polluta sit, elui debet imbre lachrymarum: ita quondam eluit David, cujus hæ voces testes sanioris consilii: *Lavabo per singulas noctes lectum meum;* id est, conscientiam meam uberibus *lacrymis.* Psal 6.

Tertius lectus est *Pœnitentia*, quam Vates Regius interprete Divo Bonaventura vocat, *Lectum doloris.* Beatus homo, qui instar magni illius Patriarchæ Jacob: *Colligit pedes super hunc lectum*, & diem suum obit. *Beatus*, inquam, *qui non in patibulo superbiæ, non in igne avaritiæ, non in luto luxuriæ; sed in lecto pœnitentiæ moritur*, ait D. Bonaventura. Ps. 40 v 4.

Quartus lectus, est *Sapientia*; in hoc placidè quievit sponsa, quiescunt & bonæ mentes, contemplationi rerum divinarum intentæ.

Et hi sunt quatuor lectuli in quibus aliter, atque aliter jacet anima; in his scilicet quàm optimè; in illis autem pessimè: quod bellè expressit Seraphicus Doctor, dum hos ita distinxit, ut unus esset *Ferreus*, alter *Eburneus*, tertius *Floridus*, quartus *Aureus.*

Lectulus *Ferreus* est *Concupiscentia* effrænis, atque indomitæ: hujus figura fuit lectus *Og* Regis Basan, de genere gyganteo; cujus *monstrabatur lectus ferreus in rabath*, hoc est, in grandi peccato. Deuter. c. 3. v. 11.

Lectus *Eburneus*, est *Conscientia*, in quo sæpiùs jacent homines *per torporem*, & *negligentiam*, imò per insanam voluptatem, immanémque lasciviam, in quos proinde jacitur illud Prophetæ fulmen: *Væ qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in lectis vestris.* Amos c. 6. v 4.

Lectus *Floridus*, est *Pœnitentia, habens flores virtutum*, inquit D. Bonaventura. Is olim fuit Sponsæ, quæ hæc de seipsa jactare & verè, & piè: *Lectulus noster floridus.*

Lectus *Aureus*, est *Sapientia*, cujus typus fuêre lectuli, quos olim Rex Assuerus insigni stravit magnificentiâ: *Lectuli aurei, atque argentei super pavimentum. Pavimentum* (ut explicat D. Bonaventura) *est cor pavidum: lectus Sapientiæ, est aureus quoad novum Testamentum; argenteus quoad vetus, vel aureus quoad contemplationem Divinitatis: argenteus, quoad contemplationem humanitatis.* Esther c. 1. v. 6.

Ecce interprete Doctore Seraphico, alii atque alii lecti, in quibus jacuit noster ille Paralyticus; jacent & ii omnes, quos eadem animi paralysis occuparit.

1. Lectus est corpus. Primus quidem est, *Corpus* ipsum, in quo malè jacet animula: qui enim benè jaceat? *Corpus hoc, animi pondus, & pœna est: premente illo urgetur, in vinculis est*, ut rectè Seneca: *Ipsum corpus laqueus quidam est*, inquit D. Bernardus: *Minimè ergo decet esse securum, qui secum portat laqueum.* Epist. 66. Serm. in Ps. Qui habitat.

Corpus castrum est, & quidem rationi, ceu Dominæ, plerumque rebelle; hinc illud: *Bonum castrum custodit, qui corpus suum servat;* ut porrò serves, ut rationi, ut Deo subjicias, opus est longa fame, atque inedia. *Vt Castellanus fame subactus castrum tradit ad libitum impugnantis: sic luxuria per famem domita corpus ad libitum rationis tradit*, ut notat Albertus Magnus. Ser. in Dom. 1. Quadrag.

Corpus, & caro *uxor* est animæ, in cujus sinu periculosè indormiscit: *Vxor hominis pessima caro nostra*, inquit Petrus Blesensis. Epist. 21.

Ampliùs dico, *Caro familiaris est, & domesticus inimicus; ignis in gremio, serpens in sinu*, ait idem Author:

Et

Et D. Augustinus miseram, & crudelem bestiam appellat, cujus dentem, morsumque cùm sensisset aliquando, exclamavit: *O caro, bestia crudelis, quid gravas animam? qua te nutrit, ad malum faciendum te nutrit.* (*In Psal. 64.*)

Quod illud malum quæris? est quidam torpor, est lethargus, est gravedo mentis, est stupor tartareus, quem in carne illa, ceu lecto mortis concipit immortalis animus.

Lectum appello *mortis* corpus ipsum; sic enim illud appellandum censuit Apostolus, qui pertæsus illius, exclamavit aliquando: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Ad Rom. c. 7. v. 24.*) Unde non una ca amitas, morsusque simplex; sed multæ horribilésque ebulliunt. Cùm ejusmodi sit corpus, quid adeo mirum si anima, quæ in illo, ceu lecto, jacet, afficiatur malè; si paralysi laboret, & quadam omnium facultatum suarum defectione, quam scilicet facilè patietur à carne, nisi hanc altior, ac potentior Dei manus sustinuerit.

Tertullianus carnem vocitare solebat, *Ingenii Dei curam*, & meritò. (*Lib. de Resur. car. c. 9.*)

Cætera, quæ sunt in hoc mundo aspectabili molitus est D. us, aut nutu voluntatis suæ, aut unâ vocula, *fiat*; at in carne formanda artem, industriam, curam que impendit. Quia nimirum ad vitia præceps, & sui impotens erat, egebatque impensa Dei sollicitudine, & ingeniosâ curâ; ne animam illicitis motibus quateret, nè agitaret indomitis passionibus; nè molli libidine frangeret, nè vi suâ insolentiore sterneret.

Ab hac certè dum sibi metuit D. Gregorius Nazianzenus, sic ad Deum suum clamare solitus in æstu quodam orationis, ac morbi: *Ego novus Paralyticus lectulo teneor, anima mea in corpore, ut in lectulo jacet; clama, consolidare.*

Clama, o Deus, clama ad aurem infelicis animæ, consolidare, vires resume, & pristinum robur, dic illi: *Surge, tolle grabatum, & ambula.*

Hæc tibi, ô anima paralytica, hæc tibi Deus: Surge è lecto, è torpore, è desidia, è veterno, cui indormisti; *tolle*, *tolle grabatum*, id est, corpus tuum: *& non amplius tollatur ab illo*; ut rectè monet post Christum S. Maximus. (*Hom. 1. de Temp. hyem.*) Tolle corpus, & sursum erige, nec eo te premi, ac deprimi patiaris; sit illud sub te, & non supra te; sit illud tibi pro servo, non pro Domino; imperia tua excipiat illud, non contrà tu illius: Sic tibi, ô anima, surgere dabitur è lecto, uti olim paralytico.

II. Lectus est voluptatis. Sed & alter lectus est, in quo hic malè jacuit, & jacent omnes spirituales paralytici; lectus ille est *Voluptas carnalis*, in qua ceu molli ansere, jacet animus.

Audimus Schytas in appensis ad arbores retibus dormire solitos: & hoc quidem, ut à serpentibus, aut maligno feræ dente securi sint. Et tu quoque paralytice dormis in retibus, hoc est, voluptatibus, quæ tibi retia sunt; at retia, quibus impliceris, non quibus te à malis explices, ac liberes. Attende quid de iis D. Hieronymus: *Circumdati*, inquit, *retibus voluptatum esse nos liberos arbitramur*; minimè sanè liberi sumus, sed in iis captivam trahimus animam: (*L. 2. advers. Jovin. c. 7.*)

Nemo virus ex voluptatis thalamo surrexit, inquiebat Tarentinus Archita, quo judice voluptas thalamus est; sed mortis: quis enim alius sit, cùm à voluptate, ceu meretriculâ, sternatur? quod te scire velim, amice Lector, imò & omnes, qui in hujus meretriculæ gremio dormire cupiunt, sed suo malo.

Omnes scire oportet, aiebat Philo, *quod voluptas tanquam lasciva meretricula amatorem appetit, quærens stupri conciliatores, per quos illum, ceu hamo capiat.* (*L. de Mundi Opif.*)

Ecce ut *voluptas* (etiam Authore Philone, homine Judæo, ac prophano) *meretricula est*; & tamen ut ea sit, in ejus sinu plerique omnes quiescere amant, fortè illecti illius blanditiis, & quadam dulcedine, & mollitie: quam fucatam agnosces damnabisque, ubi audieris, quod ex vero audire debes: voluptatis lectum spinis, ac tribulis esse asperum, atque horrendum.

Provido naturæ consilio factum, ut spinæ rosis jungantur, & eodem surgant è culmo; ut qui illas amat, ab illis sibi metuat. Voluptas rosa videtur, & fortè etiam est; sed sociæ illi, adnatæ que sunt spinæ. In illis cubare vis? At time harum aculeos; hos enim velis, nolis, senties; un senserunt & illi stulti voluptatum amatores, quos ita compellat D. Augustinus:

Levia videbantur jam dudum loqui: coronemus nos rosis antequam marcescant; quid delicatius? quid lenius? sperares de his lenitate cruces, gladios? noli mirari, leves sunt, & radices spinarum: si quis eas contrectet, non pungitur; sed quo pungeris, male nascitur. (*In Psal. 52.*) Et similiter ex voluptate, ejusque mollitie, nascuntur spinæ, quibus pungens, & crucians.

Ne porrò sic pungaris, ac crucieris, *Age voluptates extrahe, & invisissimas habe latronum more, quos philetas vocant; in hoc en ut nos amplectuntur, ut strangulent.* (*Epist. 51.*)

Hæc Seneca, homo licèt profanus, qui opportunè monet adversus eas *indurandum esse animum*, & à blandimentis voluptatis abstrahendum.

Ita penitùs abstraxit D. Gregorius Nyssenus, etiam in primo ætatis flore; sic enim de seipso & verè, & piè:

Tanquam feræ, alicui ad meos sensus adrepenti voluptati statim rejiciebam, & adversabar, dicens: Quid facis? quid natura virtutem effœminas? cur animi robur emollis? cur animæ vires enervas? cur affers interitum rationi? (*In cap. 2. Eccles.*)

Hæc secum loqui S. Præsul, hæc objicere voluptati; & idem tibi, eadem voluptati si fortè furtivè adrepat, dicito: & illam à te removebis quàm longissimè; ita cum S. Maximo: *Tolles grabatum tuum, nec amplius tolleris ab illo.*

III. Lectus est Concupiscentiæ. Sed & alius lectus est, cui malè affligitur animus paralyticus; is est *lectus concupiscentiæ*, & quidem ferreus: quis enim alius sit?

Ferrum ad arma, ad vulnera, ad cædes, ad bella natura finxit: & *concupiscentia ferrum est*, & instrumentum illius pugnæ, quam in se perennem experitur animus, non sine cruento peccati vulnere.

Illius porrò pugnæ motus, & æstus ex D. Cypriano disce; & quà licet, declina.

Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua, jugis, & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & undique vallata vix occurrit singulis, vix resistit; si avaritia prostrata est exurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat; inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit; cogeris maledicere, quod Lex divina prohibet; compelleris jurare, quod non licet. (*Serm. 4. de Mortal.*)

Ecce quàm acre bellum, quàm difficilis, ac timenda pugna, quàm varii cruenti que hostes; tot scilicet, quot insurgentes à concupiscentia passiones: & tamen illi, ô anime, ceu lecto insterneris, in illa jaces securus, ut credis; at minimè tutus, minimè securus de vita, ac salute. Ut securus sis, ut aliquando tutus, ac Dei: *Age, tolle grabatum, nec amplius tollaris ab illo.* tolles enim verò si concupiscentias omnino sustuleris.

IV. Lectus est malæ Conscientiæ. Sed audio alium etiam ab hoc esse lectulum, & quidem eburneum, in quo periculosè jacet dum lascivit animus; is est *Conscientia*; sed quis ille?

Apud Idiotam conscientia mala *sterquilinium* est, in quod abjectus animus non videt nisi lutum, non sentit nisi fœtorem, & vitiorum graveolentiam; non palpat nisi stercora, in quibus jacet, ac se volutat instar suis. (*Lib. 1. de Amor. Div.*)

Apud Augustinum, *conscientia mala, mala est uxor*, in cujus

in cujus proinde sinu malè conquiescit animus, ut maritus cum uxore litigiosa.

In Psal. 33. *Attende*, inquit S. Præsul, *quomodo nolunt intrare in domos suas, qui habent malas uxores: quomodo exeunt ad forum, & gaudent; cœpit hora esse, qua intraturi sunt in domum suam, & contristantur. Intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad eversiones, quia non est domus composita, ubi inter virum & uxorem pax nulla est: & melius illi est foris circumire.* Hæc ubi dixit Augustinus tum illud conficit:

Si ergo miseri sunt cùm redeunt ad parietes suos, timent ne aliquibus suorum perturbationibus evertantur: quantò sunt miseriores, qui ad conscientiam redire nolunt, nè ibi litibus peccatorum evertantur.

Benè, ait, *Litibus peccatorum*, quia ubi peccatum, ibi lis: imò tot lites, quot peccata; adeóque nulla quies, pax omninò nulla, nec foris pulsante animum perturbatione, nec intus obstrepente conscientia; cujus æstus, ac tumultus scitè explicat D. Augustinus, simúlque ostendit nullum hominum quietis superesse locum, ubi malus est conscientiæ lectulus; juvat illum audire:

In Psal. 45. *Inter omnes tribulationes animæ, nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanúmque sit intus hominis, quod conscientia vocatur; ubicumque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inveniet Deum; si autem ibi requies non est, propter abundantiam iniquitatis (quoniam & ibi Deus non est) quid facturus est homo? quò confugiet cùm cœperit pati tribulationes? fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum? & sequetur tribulatio. A cubiculo jam, quò fugiat non habet, nisi interiùs ad cubile suum. Porrò si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere; pellitur enim inde, & cùm inde pellitur, à seipso pellitur. Et ecce hostem invenit, quò confugerat. Seipsum quò fugiturus est? quocumque fugerit, se talem trahit post se; & quocumque talem traxerit se, cruciat se.*

Audis interprete D. Augustino conscientiam esse *interius cubile*, ad quod confugiat homo, & in quo placidè quiescat, si pacata sit, si criminis expers: at si rea sceleris alicujus, non quietis locus est, sed perturbationis.

Ideóque hic etiam opportunum S. Maximi monitum: *Tolle, tolle grabatum tuum; nec ampliùs tollaris ab illo.* Tolle, inquam, conscientiam, nè ab illa tollaris damno tuo, & quidem æterno.

Plura qui volet de malæ conscientiæ lectulo, consulat ea quæ dixi in opere meo Morali, Libro quarto, parte secunda, Flagello primo; & Opusculum, cui titulum feci *Flagella peccatoru.* parte tertia de Flagellis animi, ubi fusiùs egi de tumultu perturbatæ conscientiæ.

V. Lectus est Pœnitentiæ. Descendo ad alium animæ Lectulum, in quo securè dormiat: is est *Pœnitentia lectulus*, quem floridum facit D. Bonaventura, adeóque mollem, atque innoxium.

Vis nosse flores, qui ex illo lectulo, ceu fertili surgant agro; eos lege ex SS. Patrum monumentis, ceu totidem areolis.

Pœnitentiam componebat D. Chrysostomus cum agro, è quo alii, atque alii mira varietate, ac venustate nascantur flores.

Serm. de Pœnitent. *Cujus similitudini*, inquit, *pœnitentiam comparemus: hic est quomodo ager.*

Ex hoc, qui primus oritur flosculus, est viola, pudoris ac verecundiæ symbolum.

Carm. 63. Lib. 1. Offic. c. 18. Hanc porrò verecundiam *Florem amabilem* appellabat D. Gregorius Nazianzenus; Ambrosius, *Pulchritudinem, & suavem gratiam.*

Paranes. Didasc. 6. Ennodius alnore verbo usus *quæstuosi decoris dote redimitam*: nemo enim pauper, quem ditat pudor, opulentat verecundia, & virtutibus, ceu dote cœlesti, redimit, ac coronat.

Alter flosculus, qui pœnitentiæ lectulum ornat, est Narcissus; hoc est entheus quidam ac Divinus amor: is fuit in Magdalena ubi primùm in pœnitentiæ lectulo quievit; audivit enim etiam ipso primæ Veritatis oraculo: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Alius quoque flosculus è pœnitentia nascitur; est ille eximii nitoris, candorisque Lilium: Hieroglyphicum Virginitatis, quam affert etiam in anima priùs ad omnem libidinem prostituta: Ubi enim hanc per pœnitentiam sibi desponderit CHRISTUS, virginem facit: quod eleganter explicat Petrus Damianus, dum ostendit quantum intersit inter desponsationem carnalem, ac spiritalem.

In carnali sponsione, inquit, *complexus viri corruptio carnis, dispendium castitatis: è contra cui cœlestis sponsus adhæserit, protinus abluit maculas pulchritudinis, & ad florem revocat redolentissima castitatis. De prostibulo virginem, de corruptione reddit integritatem.* Epist. 4. de Dei Omnip. c. 3.

Ecce florem sanè prodigiosum; ecce candorem amabilem, cui suam quoque gratiam addet purpureus rosæ color; nam & hic quoque exurgit à pœnitentiæ lectulo.

Est rosa symbolum doloris, ac compunctionis: nascitur enim inter acriores spinarum aculeos, nec facilè carpitur sine læsione, sine vulnere: rosam legis, & digitos plerumque cruentas.

Ita dum compungeris, ô anima, simul & pungeris: & dum sceleris admissi pœnitet, dum pudet, doletque; vulnus in conscientia pateris, sed vulnus amabile, vulnus doloris.

Et hinc tibi alii, atque alii enascuntur flores; quos etiam vel solâ rationis luce illustratus agnovit, amavitque Philo, qui animas à peccatis steriles, & spinis, ac sentibus horridas; à pœnitentia fœcundas, ac floridas fieri credidit. Sic enim de illis philosophatus:

Continuò restituuntur in castitatem, virginitatémque pristinam, & conceptum Divinum semen formant, ac vivificant, ut inde nascantur res miranda pulchritudinis; Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Iustitia, pietas, cæteraque virtutes, ac felicitates: quas inter reponi potest & istud; quòd anima virtutibus illis, ceu flosculis ornata, gratior appareat in oculis, conspectúque divinioris Sapientiæ, in cujus sinum admissa etiam conquiescat: & hic est *Aureus lectulus*, quem D. Bonaventura animæ pœnitenti sterni voluit.

Hæc est conjux, quam bonæ conscientiæ Cœlo propitio datam vult D. Augustinus, in cujus gremio, ceu lectulo molliter cubet.

Ubi, inquit, *erit requies? saltem in cubili cordis, ut tolles te ad interiora conscientiæ tuæ: si tibi invenisti fortem conjugem, quæ tibi non faciat amaritudinem (Sapientiam Dei cum gratia) conjungere.* In Psal. 33.

Quiesce intus in cubili tuo, non inde te ejiciat fumus malæ conscientiæ.

Hæc D. Augustinus, quo judice requies homini quærenda non est foris; sed domi, sed in cubili cordis; si tamen ibi conjux fortis, Dei Sapientia, eaque etiam aurea.

Sponsæ suæ animarum Sponsus *reclinatorium fecit aureum*, hoc est interprete Richardo, conflatum ex auro spiritualis Sapientiæ: distinguit enim hic Author duplicem Sapientiam: una est *Lutosa*, id est, terrena, animalia, diabolica; alia *Aurea*, hoc est spiritualis, & Divina. Ab hac, & in hac pax alta, quies æterna, perpetua serenitas: ut enim ritè Seneca licèt profanus homo: *Talis est sapientis animus, qualis mundi status supra Lunam; semper illic serenum est*; nulli quippe in ea venti, nullæ affectiones turbulentæ, nulli æstus passionum; sed quies altissima, & perennis serenitas, quam affert jugis & attenta contemplatio Divinitatis; quâ ità rapitur, atque absorbetur animus, ut ad inferiora nunquam deflectat, nunquam se dejiciat de statu beatæ tranquillitatis. In c. 12. Cant. Epist. 59.

Et

Et hic est lectus aureus, in quo paralyticum jám animo sanum jacere vult Servator optimus abjectis aliis iu quibus jacuit quàm pessimè.

Et hic quoque lectus est, in quo te cubare velim, ac quiescere, quisquis animo fuisti paralyticus: *Heri jacebas in lecto fractus, & dissolutus*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *hodie elatus es e grabato, & grabatum extulisti. Cave ne admisso peccato rursus in grabato jaceas, hoc est in corpore voluptatibus fracto, & dissoluto;* Sed potiùs tolle lectum tuum, hoc est, *porta portantem, omnes muta vices; ut quod est infirmitatis testimonium, sit probatio sanitatis: ut lectus doloris tui, sit meæ curationis indicium; at receptæ fortitudinis magnitudinem ponderis afferat magnitudo*, inquit D. Chrysologus; quæ ego ad te, quisquis animo es paralyticus. Age, *tolle lectum tuum*; hoc est, *porta portantem te.*

S. Maximus Hom. 1. de Advent.

Serm. 50.

Te portabat *corpus*, & quo lubuerat etiam ad scelera exportabat; omnes muta vices, jam illud porta, & ad virtutem transfer.

Voluptas carnalis te portabat, jam illam porta, & omnes muta vices, amorésque tuos ad puriores, ad cœlestes, ad divinas voluptates erige.

Languor animi te portabat, & infra te deturbabat; jam illum porta, & omnes muta vices, animumque tolle ad ardua virtutum, ac sanctitatis.

Concupiscentia, te portabat, extráque rationis gyrum ordinémque exportabat per insolentes atque indomitos passionum motus: jam illam porta, & omnes muta vices; sit illa sub te, non tu sub illa.

Conscientia mala, reáque admissi sceleris te portabat; sed in aspera viarum hujus mundi; sed in spinas, ac vepres: tu *illam porta, & omnes muta vices*, téque redde bonæ menti, pacatæque conscientiæ; ita fiet ut quod erat *infirmitatis testimonium sit probatio sanitatis; ut lectus doloris tui sit Divinæ curationis indicium.*

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* verſ. 3.

CVR FILIVM VOCAT? ET CVR PECCATA priùs dimittit, quàm sanet?

ARALYTICUS ille noster erat abjectæ sortis homuncio, solutis membris, & fracta à morbo valetudine; erat & multorum scelerum reus, adeóque & superis & Deo ipsi invisum adversumque caput. Cur igitur filium appellat Christus?

Cur filium vocat?

Certè filius, mollius est naturæ nomen, nomen amoris atque indulgentiæ: neque hæc, neque ille in paralyticum cadere posse videbatur; & tamen reipsa cadit etiam voce oraculóque primæ Veritatis.

O mira humilitas (exclamat D. Hieronymus) *despectum ac debilem totum, membrorum compagibus dissolutum, filium vocat.*

O mira humilitas; filium appellat etiam hostem, etiam tum scelestum; filium appellat etiam ingratum, additque illud amantis: *Confide fili*, hoc est interprete Maldonato: Bono animo esto, plùs enim quàm petis impetrabis; petis corporis, impetrabis & animæ sanitatem; & hanc quidem priùs, illius deinde posteriùs: audit enim illicò, *Remittuntur tibi peccata tua; Audit*, inquam, *illud, Paralyticus, nec gratiam reddit; audit veniam, & tacet, nec ullam rependit gratiam, quia plus corporis quàm animæ tendebat ad curam*, inquit Joannes Episcopus in Catena.

Nimirùm hoc illi ad cætera vitium accessit; & tamen filius dicitur. Quæ causa?

Sunt illæ Divinæ Providentiæ ac charitatis leges; cùm peccatoribus molliùs hic agit; cum justis ut apparet duriusculè.

Matth. c. 16. v. 23.

Petrus justus erat, & carum Deo caput: & tamen excipit illud CHRISTI fulmen: *Vade post me Satana.*

Contrà verò, Judas perfidus erat, & superis Deóque exosus; & tamen audit illud & amantis, & miserentis: *Amice ad quid venisti?*

A morte revocare vult Petrus; ad mortem rapere Judas: & hic dicitur amicus, ille satanas.

I. Ratio, Quia mali hic objectum sunt Divinæ miserationis.

Quæ causa? Aliæ sunt, atque aliæ. ea iis una: Impii dum vivunt, ac spirant in hoc ævo mortali objectum sunt Divinæ miserationis: hæc illis aperitur, & patet, si fortè ea uti velint; at postmodum objectum erunt Divinæ Justitiæ, quæ in illos sæviet quanta quanta erit æternitate. Justos autem hic exercet, & Cœlo parat aliquis Divinæ Justitiæ rigor, qui etiam noxas leviores discutit, ac punit: & inde hi duriusculè tractantur, illi molliùs.

Altera ratio est, quòd qui prius injusti, mox deinde justi futuri sunt ea mira Dei indulgentia: à qua jam inde à primo melioris vitæ limine appellantur filii. Et ita dictus hic noster Paralyticus, ut scitè notavit D. Hieronymus: Audiit enim illud Dei miserentis: *Remittuntur tibi peccata tua.* Sed cur priùs peccata dimittit CHRISTUS, deinde sanat? Hic est nodus quæstionis, quem solvent SS. Patres, & ipsa ratio è principiis medicinæ petita.

II. Ratio. Quia postea boni futuri sunt.

Cur peccata priùs dimittit quàm sanet,

Gnostici censuerunt morbos esse dæmones domesticos, qui corpora invaderent, & afficerent malè: si ea opinio vera fuisset, priùs expellendi à CHRISTO fuissent illi, quàm reddenda sanitas; & priùs expellendum *peccatum*, quod est *dæmon voluntarius.* At morbi dæmones non sunt, sed affectio prava corporis, quam Galenus sic definit:

Morbus est dispositio contra naturam manifestè lædens functionem naturalem; quæ læsio quia alia est, atque alia; hinc alii, atque alii morbi: ex iis quidam organici, quia organum aliquod lædunt; nonnulli substantiales, quia totam corporis substantiam labefactant. Et hi, & illi propè sine numero: si enim Plinio teste, in unum oculum incurrere possint facilè treceni morbi; quot in alia organa? quot in totam corporis molem? Sed ne longiùs, ad rem propiùs.

Lib. 26. c. 1.

Medicum in terris agebat CHRISTUS: sicut illius est priùs tollere morborum causas, quàm morbos; ita & hujus. Sed audio objicies statim illud. an ergo peccata causæ, originésque morborum, etiam eorum, qui in carne hærent, nec evadunt ad animum. Hic est nodus difficultatis, qui ut faciliùs solvatur, juvat in medium adducere alias, atque alias morborum causas. Ea iis enim quædam à natura sunt, nonnullæ etiam supra naturam.

Ratio, quia Medicus est.

Causæ naturales ad duo genera revocari possunt. Aliæ extrinsecus appellunt, ut ab igne, aëre, elementis, cœlo ipso, ac sideribus: morbos enim in humanis corporibus generant aut calor nimius, æstúsve

Medici autem est priùs tollere causas malorũ.

Solis, aut frigus acre, & gelidi Aquilones, aut aër plus æquo humidus, aut siccus, aut etiam malignæ quædam astrorum cœlique influentiæ; quas medici *Siderationes* appellant: & hæ sunt causæ extrinsecæ morborum.

Aliæ autem dicuntur, & verò etiam sunt intrinsecæ; in ipsa scilicet hominis fabrica, in corpore mortali: ejusmodi sunt organa minus apta, magis laxa, aut nimis contracta; humorum intemperies, & pugna; nimia repletio, aut etiam exinanitio.

Cap. 37.

Illam attigit Ecclesiasticus dum ait: *In multu escu erit infirmitas*; erit, inquam, in iis velut in origine, ac fonte suo unde dimanant: hinc in illis, qui cutem melius curant, qui Bacchum amant, & pocula, qui mensis assident ad lucernam multamque noctem, varia enascuntur morborum genera.

Quod ipsum ævo suo notavit Plato, qui aiebat medicos frequentare sæpiùs divitum domos, rariusque terere limina pauperum: quia scilicet in his egestas, & hujus comes sobrietas parens annorum; in illis autem opulentia, & rerum omnium abundantia, & ex illa commessationes, compotationes, & saturitas noverca vitæ, & sanitatis inimica.

Et hæc dicta paucis de causa naturali ac physica morborum; addamus de alia, quæ aut extra aut supra naturæ ordinem est: ea in Deo, & à Deo est, qui illos immittit in justam admissi sceleris ultionem, indéque scelus ipsum dici potest ac debet *causa moralis* ægritudinis, etiam illius quæ corpus malè afficit, lectóque insternit, & sæpiùs ad tumulum ducit.

At peccatum causa est malorũ omnium.

Quod ut in aperto sit, id statuo peccatum causam esse omnis pœnæ, doloris, periculi, cladis, quam hic incurrit homo; & hoc omni ævo docuit communis seu naturæ, seu mortalium sensus, seu etiam Scripturæ oracula, in quibus Hebræi Sapientes unâ, eâdemque voculâ, & peccatum & peccati pœnam censuerunt exprimendam. Ut inde nosses idem propè esse.

Ubi secunda peccati labes in Orbem erupuit, ubi invidus & crudelis Cain fraterno sanguine manus suas infecit; affuit illi vindex Deus, & ait:

Gen. c. 4. v. 7.

Cur concidit facies tua? nonnè si benè egeris recipies, sin autem malè statim in foribus peccatum aderit. Hebraicè legitur *robets*, id est peccatum accubabit, seu potiùs peccati pœna; quæ instar canis, molossi, ac cerberi accubat ad fores peccati, & eas obsidet, infestat, allatrat, mordet.

Genesis trigesimo octavo; secundo genitus Judæ filius, à maligna indole, à suo scelere, & insolenti libidine dictus est *Onam*, id est *iniquitas*, & *dolor*; eadem enim vox, & iniquitatem, & dolorem significat.

Oseæ decimo-quarto; iti justas iras abit, ardetque Propheta, & Samariæ excidium minatur. *Pereat*, inquit, *Samaria quoniam ad amaritudinem provocavit Deum suum*; Hebraicè *thescam*, quæ vox & *perire*, & *peccare* significat, quod idem omnino sit & peccare, & perire.

Quod si peccatum, ex Scripturæ fide est pœna, dolor, periculum; certè qui hæc tollere amat, & illud tollat est necesse: Et idem esto judicium de morbo, & corpusculi ægritudine: hæc enim à peccato est, teste etiam ac judice Ecclesiastico, cujus hoc Oraculum: *Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum incidet in manus medici.*

Etiam morborum.

Cap. 38. v. 15.

Prima illa & innoxia Orbis ætas morbum nè de nomine quidem noverat; nesciebat quid febris, quid calculus, quid podagra, aut chiragra, quid aqua intercus esset; quia scilicet peccatum & ipsa nesciebat: at ubi malo suo scivit; tum & scivit, ac sensit ab eo febris æstus ac frigora, calculi equuleum, chiragræ & podagræ lentam alluviem, aliáque morborum tormenta, quæ à peccato, ceu prima scaturigine, in genus omne nostrum fluxerunt; non fluxissent si peccatum abfuisset: fuisset quippe innocentiæ comes individua etiam ipsa corpusculi

Hinc in statu Innocentiæ nulli fuissẽt morbi.

sanitas. Et certè Dei beneficio, ac privilegio sanctitatis in multis fuit.

Taceo CHRISTUM, qui ut omni peccati nævo liber, ita & morbo.

Uti nec in Christo.

Taceo Divam ejus Matrem, quæ ut omni culpa vacua, sic & morbi contagiis immunis: venio ad alios, quos non sine miraculo extra morbi tela cœlestis Providentia constituit, qui jam eos extra funesta peccati jacula rara vitæ morúmque innocentia posuerat.

Nec in Virgine Matre.

Ex eo genere fuit Abbas Isidorus, quisque Monachi, viri in paucis Religiosi, de quibus hæc prodidit Ruffinus in vitis Patrum, & Palladius.

Lib. 2. c. 17. L. 5. c. 71.

Erat magnus ille Præsul, erant & boni Præsulis æmulatores filii, ea vitæ, morúmque innocentia, cui aliquid supra vulgus, imò & naturam concedi debuit: fuit autem illud ejusmodi, ut ægrotarent nunquam, sed vitam traherent in seros annos ab omni morbo liberam; ac deinde ubi stata morti dies advenisset, cum obirent sine ægritudine, placido veluti sopiti somno. Fuit illud Innocentiæ, Sanctitati datum privilegium; ut etiam ex eo nosses morbos esse in corpore subditos peccatis velut in hospitio; abesse verò ubi & hæc abfuissent.

Nec in quibusdam Sanctis.

Et hoc ipsum est, quod aliis atque aliis locis insinuatum voluit CHRISTUS; cùm ægris corporibus medelam afferret; aut enim eam priùs afferebat animo, aut monebat nè ad pristina scelera redirent.

At peccatum fuit in Paralytico.

Ita nè longiùs abeam ab historia quæ in manibus est; cùm in oculos venit Paralyticus, sic ad illum: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: Ecce modus curationis, priùs dimittit peccata tollens causam morbi, post curat corpus*, ut exponit Glossa.

Matth. c. 9. v. 2.

Igitur priùs tolli debuit.

Aliàs autem ubi morbum expulit, tum addit illud: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat.*

Ioan. c. 5. v. 14.

Sospitantis Domini verba sunt, & docentis, inquit D. Cyprianus, *curantis pariter, & monentis*,

Ecce, ait, *sanus factus es, noli ampliùs peccare: dat vivendi morem, dat Innocentiæ legem postquam contulit sanitatem.*

Satis innuens modum, ac rationem servandæ valetudinis, hanc esse: tenere vivendi morem illibatum, servare datam sibi Innocentiæ legem velut fontem atque originem sanitatis. Et certè hanc agnoverunt Divi Patres à CHRISTO probè docti.

S. Epictetus Martyr, cùm paralyticum ab annis omnino quidecim eo morbo afflictum fractumque liberasset; ad illius Patrem, qui forte tunc aderat, conversa oratione, dixit: Si è tua familia exulare vis morbos omnes, si fartam tectamque tuorum valetudinem, vide, ut in illis innoxius sit, atque illibatus vitæ tenor; utque is sit, usurpent sæpiùs, imò quot hebdomadis Sacramenta Confessionis, atque Eucharistiæ; his etiam in tuto ponitur animæ salus, & sanitas, ad quam etiam Dei beneficio plerumque accedit & corporis; uti contrà recedit & hæc, ubi homo à Deo, gratiaque per peccatum recessent: ut verum sit illud Ecclesiastici: *Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manus Medici*; quia priùs in peccatum incidit.

Quod probatur ex natura peccati.

In peccatum inquam, quod D. Chrysostomo *Domesticus hostis est, qui per ipsummet corpus nostrum cum nobis peccantibus bellum gerit per febres, morbos, & dolores.*

In Psal. 3.

Quia inimicum sanitatis.

In peccatum, quod eidem Chrysostomo *Fons est malorum omnium*; è quo scilicet perenni quadam scaturigine manant morbi omnes, ceu rivuli quidam, per venas, per arterias, per nervos humani corporis longè latéque diffusi.

Ibidem.

Quia fons morborum.

In peccatum, quod Jobo teste *Semen* est dolorum, atque ægritudinum omnium, quas etiam oculo usurpavit Vir sanctus: *Vidi*, inquiebat, *eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos*: infelix omninò semen; at messis infelicior.

Quia semen ægritudinũ.

Cap. 4. v. 8.

In

L. de Idololatria, c. 1. Quia devoratorium salutis.

In peccatum, quod Tertulliano *Devoratorium est salutis*; ita enim se res habet. Si levior sit culpa sanitatem exedit, atque arrodit; at si gravior, si lethalis, penitus devorat, atque absumit: *Exitiosa*, inquit, *sunt crimina, & devoratoria salutis.*

L. de Pudicitia. Quia cēsus.

In peccatum, quod eidem Tertulliano *Census* est, cui proinde debeas, ac pendas quod in censu solet, videlicet capitale, & præterea reditus annuos, remanente semper integro capitali.

Et hæc digna Tertulliano peccati descriptio, quam paucis evolvere mihi est animus; ut ea ea appareat, quæ ab illo censu.

Cum Mundo censum contrahis, qui insana ambitione victus lethaliter peccas.

Cum Carne censum contrahis, qui gulæ aut veneri cedis.

Cum Dæmone censum contrahis, qui illius suggestionibus obtemperas. Quid inde?

Pro *Capitali* te manet reatus pœnæ æternæ, & incendii sempiterni; pro reditu autem in annos singulos, imò in menses, in dies, in horas, in momenta ægritudines aliæ, atque aliæ, quas pendere debes veluti annua stipendia census, integro tamen, & non soluto capitali; nempe æterno cruciatu.

Quodque ideò à Christo priùs tollitur.

Quæ cùm ita sint, quid mirum si CRISTUS Paralytico nostro priùs peccata dimittit, deinde à morbo sanat.

Qui scilicet Princeps Pacis.

Est CHRISTUS Princeps, & *Princeps pacis*, qui proinde peccatum, ceu hostem domesticum expellit ab anima, & unà etiam cum eo quæ ducebat infesta morborum agmina.

Qui fons omnis boni.

Est CHRISTUS *Fons omnis boni*, qui ideò peccatum exarescere facit tanquam fontem malorum omnium.

Qui seminator bonus.

Est CHRISTUS magnus ille *Pater-familias*, qui exiit è sinu Patris in sinum Virginis, è Cœli regia in terras, ut peccatum quasi fœcundum ægritudinum omnium semen extirparet.

Qui author salutis.

Est CHRISTUS *Salutis humanæ Author*, qui omne quod à peccato exitium est, tollat; qui absumat, qui devoret quod fuit aliquando *devoratorium salutis*, ac sanitatis: & certè quidni absumat, ac devoret is, in cujus *victoria*, vel ipsa *mors absorpta*, quæ morborum finis est, ac meta. *1. Cor. c. 15.*

Qui Redemptor.

Est CHRISTUS generis nostri *Redemptor*, qui peccatum veluti censum aliquem, quo obstrictus est peccator, redimat; nec solùm annuo reditu, id est, morbis eximat; sed & ipsum quoque capitale, hoc est æterni supplicii debitum exolvat. Et cùm is sic quid adeò mirandum si paralyticum priùs ab omni crimine liberet; deinde ab ægritudine: ut sic primùm animæ sua stet salus; tum etiam corpori. Id certè fecisse debuit, qui è cœlo venit & hujus, & illius Medicus.

****

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.



RCANA Sapientiæ altioris, ac Divinæ Providentiæ tegere solet CHRISTUS quibusdam verborum involucris, ac Parabolis; quas inter & hæc de Rege, qui fecit Nuptias filio suo.

Rex ille Pater Æternus, cœli terræque moderator, sub quo tremunt qui portant Orbem. Filius, ac Sponsus, IESUS-CHRISTUS, Deus-homo. Nuptiæ aliæ, atque aliæ. *Sponsus Christus.*

Primæ communes sunt toti humano generi: eæ contractæ in Sacro-sancta Incarnatione, in qua stupente cœlo, plaudente terra, gementibus inferis, duæ naturæ (Divina, & Humana) mirabili nexu in unam Divini Verbi Personam convenêre. De his præsago spiritu Vates non sine amabili stupore dixit: *Tanquam sponsam processisse de thalamo suo*; hoc est, de sinu Divinitatis in sinum Virginis. I. Nuptiæ.

Secundæ Nuptiæ sunt CHRISTUM inter, & animam: eæ iniri solent ad aquas, & Baptismi fontes, è quibus hæc fidem haurit, & primam gratiam. De his apud Oseam Deus: *Desponsabo te mihi in fide*; Nimirùm ut rectè D. Augustinus: *Desponsationis initium est Fides.* II. Nuptiæ. cap. 2.

Postremæ Nuptiæ celebrantur in Cœli regia, sedéque Beatitatis: eæ sunt Deum inter, & beatam animam, quæ illo fruitur, fruetúrque in totam æternitatem. De his Numen ipsum ore, calamoque Prophetæ ait: *Sponsabo te mihi in sempiternum.* III. Nuptiæ.

Hæ Nuptiæ (ut piè D. Bonaventura) *commendabiles sunt propter sponsi magnitudinem, propter sponsæ pulchritudinem, propter filiorum multitudinem, propter convivarum plenitudinem.* Dom. 19. post Pent. Serm. 1.

Ad secundas tertiásque Nuptias invitati omnes; in eumdque finem missi regis servi, hoc est Apostoli, qui & Iudæos & Gentiles Orbe toto sparsos ad Cœnam, Epulumque vocarent. Et quidem primùm ad Fidem, & Gratiam, ad quam venire

plerique noluerunt; venerunt pauci: deinde ad gloriam., in quam admittetur nemo nisi probè tectus veste nuptiali. Sed quæ, inquies, illa?

Vestis quæ? Video homini, quamdiu hac vescitur aura, alias atque alias esse vestes: & quidem piis, atque impiis mirum quantùm discolores.

Sophon. c. 1. Impiis vestis est: sed *peregrina*, hoc est, quæ novitatem insolentem, quæ luxum ostentet, quæ aliena sit ab animo virili, quæque fœminam sapiat, & *extranea sit* Serm. 3. *à Sanctorum conversatione*, inquit D. Bonaventura.

Levit. c. 13. Impiis vestis est; sed *fœtida in mala opinione*: talis erat leprosa, quem Deus flammis tradi jubebat, & tradet aliquando incendiis sempiternis.

Impiis vestis est: sed *sanguinolenta in proximorum oppressione*: *& cruentatione*; Cap. 9. *vestimentum mixtum sanguine quod erit in combustionem, & cibus ignis*; ut minatur Isayas.

E contrario piis mentibus alia omninò est vestis. *Vestis optima, conversatio bonæ vitæ, quæ meliùs vestit hominem, quàm purpura vel aurum*, ut sciré D. Bonaventura.

Vestis optima, quæ *duplex*, & qua etiam ornati domestici omnes mulieris fortis; id est Ecclesiæ, ceu bonæ matris, filii. Hi quippè *vestiti sunt duplicibus, id est, amore Dei, & proximi: vel intus virtutibus, extra bonis moribus*.

Vestis optima, quæ *fragrans* est, quæ gratum, & suavem Superis aspirat odorem; Cant. c. 4. ea fuit olim Sponsæ, estque modò bonæ mentis: cujus *odor vestimentorum, sicut odor thuris*: *Odor* autem *ille est fama bonæ vitæ*; Hanc qui fundet, audiet illud Gen. c. 27. Isaaci ad Iacobum: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*.

Vestis optima est *discolor*: hoc est amabili virtutum, ceu colorum varietate, respersa.

Ea quondam fuit Synagogæ antequam instar adulteræ sese prostitueret profanis C. 16. v. 10. amoribus, cùm virgo esset, & Dei sui Sponsa; ad quam sic ille Ezechielis voce: *Vestivi te discoloribus, calceavi te hyacintho, & indui te subtilibus*.

Et ea quoque piæ mentis, ceu CHRISTI sponsæ vestis: discolor est illa; extrinsecus enim violæ colorem modestia sua præfert; intrinsecùs autem lilii candorem suâ pudicitiâ: rosæ ruborem, & sanguinem ardenti caritate: hyacinthi lucem, ac splendorem purâ ac cœlesti intentione: byssi subtilitatem suâ à terris discretione: denique amœnam virtutum omnium, ceu colorum varietatem, quæ vestem facit nuptialem, & aditum parat ad Epulum cœleste, & Agni cœnam; uti contrà *vestis peregrina, fœtida, cruenta*, viam aperit ad tenebras exteriores æternamque noctem.

Hi enim, qui eas vestes habent: *Ligantur in gehenna, quia hic præceptis Dominicis ligari noluerunt: Væ ergo manibus, væ pedibus, væ singulis membris à bono vacantibus, & solutis; sed væ magis in malo se occupantibus, & ligatis. Quæ non* Serm. 8. *sponsæ ligantur in vita, tunc in supplicio ligantur invitè*, inquiebat D. Gregorius; à quo discedo, ut pauca adjiciam

---

EX D. THOMA.

RELICTIS Nuptiis, Epulo liberali, & Regis invitantis gratia, descendit Angelicus Doctor ad ingrata superis capita, ad homicidas illos, quos justâ irâ commotus missis exercitibus suis perdidit, & Serm. 2. ait in illis Parabolicè CHRISTUM *loqui de perditione impiorum in die Judicii*; in quo elucebit

Primò, *Magna Dei patientia*; & hæc in tribus exercitibus, quos in reprobos immittet: 1. *Erit exercitus* Matth. c. 13. *Angelorum*: *exibunt* enim *Angeli*. 2. *Exercitus Sanctorum*; ut enim Isaias: *Deus ad Iudicium veniet cum se-* Cap. 3. *nioribus populi sui, & principibus ejus*. 3. *Exercitus om-* Sap. c. 5. *nium creaturarum. Armabit* enim *creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum eo Orbis terrarum contra insensatos*.

Secundò, *Severa ipsius Iustitia*, quæ scilicet malos perdet, & quidem: 1. *Velociter*: *cùm* enim *dixerint* 1. Thess. c. 5. *pax, & securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus*. 2. *Universaliter; perdes* enim ô Deus, *omnes qui fornicantur abs te*. Visum illud in diebus Noë, & Loth: Psal. 72. sub illo *venit diluvium, & perdidit omnes*; sub hoc *pluit ignem, & sulphur de Cœlo, & omnes perdidit*. 3. *Æternaliter*; proinde *eum timete qui potest corpus & animam perdere in gehennam*. Luc. c. 17. Matth. c. 10.

Tertiò, *Perversa reproborum malitia*, quæ in tribus sita est: 1. *In peccato cordis* propter quod Deus *malos* Matth. c. 21. *malè perdet*. 2. *In peccato oris*; ita *perdet mendaces*. 3. *In peccato operis*; ideò *perdidit homicidas illos*. Psal. 5.

Et hæc ex D. Thoma. D. Bonaventuræ verba inservi paraphrasi.

QUÆSTIO PRIMA
THEOLOGICA.
Ad illa verba: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. cap. 22. vers. 14.

QVID SIT DEI PRÆSCIENTIA, QVID PRÆDESTINATIO? Et quomodo neque hæc, neque illa humanæ officiat libertati?


UIA Justos inter plerique sunt, quos sollicitos habet, & anxios Divina Præscientia, ac Prædestinatio, ideò in præsentiâ de hac, & illâ ad commune solatium pauca mihi tractanda proposui; ac primò quidem quid nominis? deinde quid rei?

Præscientia quid sit? Præscientia est actus Divini Intellectus quo jam inde ab ipsâ æternitate futura omnia quocumque temporum annorumque lapsu, longè ante quam eveniant, pervadit ac penetrat.

Prædestinatio quid sit? Prædestinatio verò est actus Divinæ Voluntatis quo jam inde ab æternitate vel gratiam parat, vel gloriam suo deinde tempore huic, aut illi exhibendam: & hinc alia dicitur Prædestinatio ad gratiam, quæ via est ad Beatitatem; alia ad gloriam ipsam, quæ terminus est, æternaque felicitas.

Neque hæc, neque illa libertati cujusquam aut saluti obicem ponit, neque necessitatem aliquam, fatumque inducit; sed patitur humana omnia fluere, & labi eo planè modo, ac si ipsa fuisset nunquam: quod quia magni est momenti ad pacandos animos, aperiam familiari opportunâque similitudine.

Lib. 5 de Consol. Phil. Prosa 5. Boëtius Deum Opt. Max. concipit velut apertum, & patentem oculum in æternitate tanquam altissimâ quadam speculâ collocatum, ea eâque despicientem quid agatur in hoc Orbe aspectabili, quovis tempore, & quovis loco.

Quomodo non obsint libertati. Quæ fiunt inevitabili naturæ lege, ac necessitate, illa sic fieri videt; quæ autem liberâ hominum voluntate, atque arbitrio accidunt illa quoque sic evenire videt, ac contemplatur: & quod hinc consequens est neque his, neque illis legem aliquam, aut necessitatem imponit; sed potiùs ab illis accipit: non enim potest, non despicere, atque intueri ea, quæ sibi subjecta sunt.

Concipiunt alii (& eodem ferè redit) Deum instar ingentis speculi, cui objiciuntur omnia tempora, res omnes suis quæque spaciis, sua serie, & ordine: ab illo porrò speculo nulla iis injicitur necessitas, nulla lex, nullus color, nulla forma, & facies immittitur; sed unaquæque res seipsam illi exhibet, imò & exhibetur, ac redditur ut est in seipsâ.

Quod autem hæc nigra, alba sit ista; hæc venusta, concinna, liberalis; illa verò turpis, contempta, horrida: non habet à speculo; sed ab aliquâ naturæ aut gratiâ, aut vitiositate.

Quod in oculo qui naturæ speculum est, quod in speculo, quod artis oculus; hoc in altissima, Divinâque mente, quæ creaturis omnibus aperitur, & patescit instar oculi, & in quam ut in speculum incurrunt omnia. Exemplo res erit illustrior.

Ab æterno futurum fuit ut peccaret Antichristus, suâque pervicaci malitiâ in scelere vitam ageret, & mortem oppeteret. Hæc ipsa perditæ mentis culpa vitiúmque incidit in oculum ac speculum Divinæ mentis, cujus est omnia longè antequam accidant, referre ac pervidere: & ecce tibi Dei Præscientiam (de quâ in præsens quæstio, eâ porrò positâ justus est Deus, & scelerum judex ultórque. Itaque pro suâ æquitate, ac justitiâ ab ipsâmet æternitate Antichristo pœnas decrevit, eásque interminabiles, & ecce hujus est reprobatio.

Contrà verò ab æterno futurum fuit ut Petrus aliquando lapsus resurgeret, redderetur gratiæ fœliciter, in eáque fœlicius è vita excederet. Et illud ipsum Cœli misericordia beneficium ceu oculo, ceu speculo Divinæ mentis oblatum est. Et ecce Præscientia, à qua etiam quia æqui retinens Cœlum, quia bonorum Remunerator est Deus, ex Justitiæ suæ norma, legéque ab ipsa æternitate Petrum beatitati, gloriæque suæ longè ante destinavit: & ecce hujus prædestinatio, atque electio.

Quid in hac, illâve, mi Lector, adversum esse putes illi, quam amas, libertati? quid in totâ illâ Divinorum actuum serie, de quo jure queri possis? Omninò nihil, non magis ac de oculo, speculóve queri posset, qui se in eo deformem aspexisset, aut qui oculo humano judice talis esset.

Te ergo ipse culpa, te damna, ac detestare; si reprobus es, talem non fecit Dei Præscientia, ac Prædestinatio; sed eum & invenit, & reliquit.

QUÆSTIO SECUNDA
THEOLOGICA.
Ad eadem verba: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

QVÆ SIT CAVSA ILLIVS ELECTIONIS, sive Prædestinationis ad Gratiam?

Error Pelagii.

ELAGIUS, & Cœlestius hæretici, quibus exosa gratia, omnia hominis arbitrio tribuenda putavere, adeóque & gratiam, & gloriam ipsis naturæ viribus obtineri posse somniarunt. Deliria sunt ista, & insana delirantium commenta, contra quæ vel ipsa natura, ratióque pugnat, quæ gratiam altioris omninò ordinis esse confitetur.

Isti hæresi proximus est error Massiliensium, sive Semipelagianorum, qui etsi de gratiâ molliùs locuti, non tamen ex fide, ac veritate: senserunt enim in nobis esse semen aliquod gratiæ, à quo pullularet *Semipelagianorum.*

ipsa

ipsa Justitia, quæ fidei naturalis veluti partus esset, ac præmium.

Et illud à vero alienum est, quia ut vulgatum illud inter Theologos, ita & verissimum: *Prima gratia est principium meriti*, adeoque *non cadit sub meritum.*

Judæorum. Illi errori affinis fuit olim ea Judæorum opinio, quæ & fidem, & gratiam legali observantiæ, veluti debitum quoddam ascribebat, contra quam altè, quà voce, quà calamo tonat Apostolus, qui electionem ad fidem, primamque gratiam vult omnino deberi Divinæ bonitati, cœlestique indulgentiæ, ac miserationi.

Fidei veritas. Quod ut à simili planius fiat, profert exemplum gemellorum Rebeccæ; Esau scilicet & Jacob, de quibus hæc Sacris paginis infert:

Ad Rom. c. 9 v. 13. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei. Quia major serviet minori. sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Latebat gemella proles materno carcere clausa, & obscuris uteri angustiis veluti sopita, cùm ei Divina mens invigilat, & huic eximia parat beneficia, & isti negat.

Quod in illis vidit, stupuitque Antiquitas, hoc in aliis fatetur & amat posteritas non sine insigni gratiæ miraculo.

Latuerat genus hominum omne quantum est, longissimâ æternitate veluti conclusum in sinu Divitiæ potentiæ, cùm tandem aliquando visum est illud in auras emittere, & ex eo paucos seligere, vocareque ad fidem, primamque gratiam; cùm interim plerisque aliis ea cœli benignioris indulgentia, favorque minimè concedatur.

De eo quod glorientur isti, & hi querantur non habent: quia non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

Explicatur ratione. Ne porrò cuipiam durior videatur ea Dei Opt. Max. in hos inclinatio potiùs, quàm in illos, id statuo quod apud melioris notæ Theologos est extra controversiam; eam esse Dei miserationem, quæ nulli deesse patiatur ea, quæ ad salutem ac beatitatem aliquo modo conducunt, vel *proximè*, vel *remotè*, ut ita cum Theologis loquar.

Primùm enim cuique mortalium ingenerat augustum quoddam naturæ lumen, quo & suum authorem agnoscant, & venerentur.

Psal. 4. *Signatum est* (inquiebat olim Vates Regius) *super nos lumen vultus tui Domine.* Hebræi legunt, *Vexillatum est.*

Explicantur Regum vexilla, signaque Gentilitia, ut in iis legat miles omnis, cui metere, cui pugnare, vincere, vivere, morique, cùm opus sit, debeat.

Ita & cuivis homini evolvitur, atque expanditur ratio, lumenque intelligentiæ naturalis, ut in eo tanquam in vexillo legatur expressa quædam imago Divinitatis, sub qua mortalis hujus vitæ stipendia faciat, cui pareat, cui spiret, ac vivat, cujus gratiâ, cùm occasio feret, generosè occumbat.

Quod si hanc rationem veluti vitæ ducem sequatur, ea sensim ad Deum authorem Universi, omnisque boni fontem, aperto velut alveo, deducet, & magna dabit virtutum moralium incrementa, à quibus hoc saltem assequetur, ut non ponatur obex fidei, ac gratiæ cœli indulgentiâ concedendæ.

Ubi autem recta ratio hominem ita cum Deo suo composuerit, tum etiam cum proximo conciliabit eo principio, quod in intellectu velut in nudâ, capacique tabellâ scribet: erit autem illud ejusmodi.

Quod tibi vis fieri, hoc alteri feceris; & contrà, quod tibi fieri non vis, id alteri ne feceris: & istam humanæ rationis regulam Philo Judæus appellare solebat

Domesticum Pædagogum, quem si benè monentem audias, nec te deseret, nec despiciet Deus; sed *aderit facienti quod in se est*, ut unâ voce clamant Theologi, qui hujusce Divinæ miserationis testes quàm plurimos producere possent, tum è Sacris paginis, tum verò etiam ex ipsis Historiarum monumentis, è quibus unum dumtaxat habe, mi Lector, & boni consule; compendio studeo, atque brevitati.

Josephus Anchieta è Societate JESU vir in paucis Religiosus, & multis prodigiis illustris, commissam sibi Brasiliam obibat, cùm à sociis solus digressus, in sylvas penitus intravit, nullo certo consilio, nullâ ei subitâ rei novæ obortâ cogitatione, sed quasi alterius manu duceretur, in senem incidit Brasilum humi abjectum, atque arbori applicatum. Is Patrem ad se venientem his vocibus compellat. Perge huc adire, jamdiu enim hîc te præstolor. In ejus vita l. 2. pag. 172. Ex exemplo

Quærit ex eo Pater, quinam sit, quáque ex terrâ, vicóve eò venerit? Respondit senex patriam suam mari imminere; aliáque adjecit, ex quibus Pater intellexit ipsum neque ex Itaniensibus, neque ex Vincentianis, neque ex totâ orâ Brasiliæ, in quâ versantur Lusitani; sed ea remotioribus terris fortasse circa flumen argenteum, alisve Australibus partibus infra tropicum (nam Brasilico loquebatur idiomate) vel ministerio supra quàm humano eò translatum, vel divino aliquo monitore, ac duce suis gressibus venisse, ex quo labore, & ætate fractum ibi quievisse Divini promissi fidem expectantem.

Quæsivit rursus Pater, quid eò venisset, & quid sibi quæreret? Respondit; ut rectam viam perciperem: hoc loquendi modo Divinam legem, & iter ad salutem intelligunt Brasili.

Cùm multa de eo exquisisset, accuratéque vitæ genus per omnes ætatis partes perscrutatus omnia illius facta cogitatáque excussisset, cognovit illum nunquam plusquam unam conjugem habuisse, nunquam bellum, aut arma, nisi sui defendendi causâ suscepisse; denique omnibus subtiliter, & minutatim perpensis, statuit apud animum suum Pater, hominem illum nunquam lethali culpâ naturæ legem violasse. Ut verissimum illud esse credamus, quod de id genus hominibus integerrimâ vitæ innocentiâ in infidelitate viventibus sacræ nos docent Interpretes Scripturæ: Deum Opt. Max. (quæ ejus immensa miseratio) iis nunquam defore; sed vel humanâ viâ, modóque, vel etiam miraculo, & si homo desit, per Angelos cœlestes illos genios, paratósque ad omnia spiritus affuturum, eáque dogmata propositurum, quæ ad Fidem, salutémque sint satis. Sed ad senem illum, de quo mihi sermo est, redeo.

De eo comperit præterea Pater insigni naturæ gratiâ bonóque præditum fuisse, cognitione rerum pertinentium ad animum, æqui præsertim, & iniqui, tum etiam ipsius naturæ authoris.

Et cùm multa illi de veræ Religionis mysteriis exponeret, subjiciebat identidem se intra animum suum ita sensisse, sed expromere nescisse. Ergo satis instructum, labore & ærumnis itinerum, ætatéque confectum, quoniam corpusculi solutio instabat, aquâ pluviâ ex carduo collectâ (nulla enim alia in locis illis suppetebat) baptizavit; Adamúmque illi nomen dedit.

Hoc Dei beneficio affectus senex, oculis manibúsque in Cœlum sublatis, læto vultu, animóque sereniore, Divinæ Bonitati primùm, deinde etiam Patri gratias egit; & quasi expetiti voti compos, cùm superesset omninò nihil eorum, quorum illuc causa, cœlesti ductu venerat, omni solutus curâ, animam sacro lavacro expiatam in ipso primo suæ regenerationis vestigio placidè Deo reddidit. Hic bonus Pater hærere, mirari, amaréque mirabiles Divinæ Providentiæ vias: dein exanime corpus sabulo sepelire. Illud aliquando fortasse dies in lucem efferet,

efferet, ac solem, ad superstitum solatium, & commendationem infinitæ miserationis, quæ præsidium suum nulli deesse patitur, si modò naturæ & rectæ rationi non desit ipse.

Produci posset & hoc loco Cornelius Centurio, cujus meminerunt Apostolorum Acta, cui adultâ die affuit è Cœlo bonus Angelus, monuitque ut Petrum adiret, disceretque ex eo quæ Fidei ratio, quæ via salutaris. *Cap. 10.*

Servarat nimirum ipse insitam à Deo naturæ Legem: *Religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleëmosynas, & deprecans Deum semper;* qui supplicem aliquando tandem audiit, & pauperum voces clamorésque exaudiit, ad ipsius salutem, totiúsque numerosæ familiæ bonum. Tanti refert etiam in illâ nocte infidelitatis, lucem aliquam proferre beneficæ in pauperes charitatis. Ut proinde meritò hæc in posteros monita emiserit D. Gregorius Nazianzenus:

Esto calamitoso Deus, ut vicissim Deus in tuâ calamitate sit tibi Deus. *Orat. de cura Pauper.*

Magna porrò calamitas, egestásque deploranda, à Fide, gratiáque nudum esse: vis & hâc, & illâ probè vestiri? *Esto calamitoso Deus,* hoc est beneficus; & *vicissim Deus in tuâ calamitate,* paupertéque summâ *erit tibi Deus;* hoc est summè beneficus, summè liberalis, atque ad cœlestes opes, gratiásque ferè prodigus.

QUÆSTIO TERTIA
THEOLOGICA.
Ad eadem verba: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*
QUÆ SIT RATIO PRÆDESTINATIONIS ad Gloriam?



UT omittam in præsentiâ quæ Calvinus, aliíque ejus asseclæ de naturâ Prædestinationis invito cœlo jactarunt; pro instituto meo, solitáque brevitate nonnulla subjiciam, quæ Theologi fusiùs in scholis agitare solent.

Discedunt illi in duas sententias inter se pugnantes, quas paucis excutiam, non eâ ratione, quâ in Lycæo Doctores, sed quâ in pulpitis Divini verbi præcones.

PRIMA SENTENTIA explicatur, ac refellitur.

Una sententia probat Deum Opt. Max. jam inde ab æternitate, absolutâ & efficaci voluntate è toto genere humano paucos elegisse ad gloriam etiam ante prævisa merita. Ita censet universa Tomistarum schola; quod ut explicet statuit in æternâ Dei mente, ac voluntate ordinem aliquem conceptuum, ac decretorum. *In ea ordo decretorum.*

Primum. Primùm, inquiunt, Divina mens, ac intelligentia sibi ex ipsâ æternitate proposuit, atque objecit homines aliquando futuros, & ex eis unum aliquem numerum certum ac definitum elegit ad gloriam; cæteros autem omnes non elegit.

Secundum. Deinde iis, quos sic elegit, decrevit dare auxilium congruum, atque efficax; quo instructi benè agant, perseverent, tandémque excedant in gratiâ: aliis autem quos non elegit, præparavit quidem auxilium sufficiens, non tamen efficax atque congruum: hoc est auxilium hujusmodi, quocum quidem possint rectè agere, perseverare, salvari; non tamen illud, quo cum re ipsa id faciant.

Tertium. Tum his ita constitutis pro suâ infinitâ intelligendi vi, perspicit Deus electos suos in gratiâ morituros; non electos autem in peccato: Et hinc denique electis decernit gloriam, ac beatitatem; non electis autem æterna supplicia.

Atque hæc est Thomistarum opinio, quæ etsi anthores habeat, quos doctrinâ, ac sanctitate suspicio: nihilominus (quod cum bonâ eorum veniâ dictum velim) judico eam sententiam duriorem videri.

Refutatur ea opinio. Primùm enim aliena censeri potest ab infinitâ Dei ter Opt. ter Max. bonitate; quæ cùm sit omnium creaturarum finis, sese quantum natura gratiáque patitur, in omnes effundere atque prodigere consuevit; bonum enim est sui diffusivum: at non erit in illos quos non elegit ipsa: eos quippe à summa gloria, à summo bono, à seipso æternùm secrevit; & hoc quidem sine ullo eorum vitio. Quis amabo te, mi Lector, id credat in Dei Bonitatem, ac misericordiam cadere posse? Si enim cætera seu naturæ, seu gratiæ beneficia voluit esse communia, existimandum est etiam gloriam communem esse voluisse? Si hunc solem, & auram, si mundum aspectabilem, si fidem, & gratiam, si Filii sui vitam & sanguinem, si Sacramenta omnia beneficentiæ suæ fontes atque torrentes fluere omnibus, ac manare voluit Æternus Pater, dicendus erit uni gloriæ, uni beatitudini (quæ omnium terminus est, ac meta) viam præclusisse? Dicendus certè non erit, cùm sit ipsa pietas, ipsa miseratio. *I. Ex Dei bonitate.*

Audi Sapientem de illâ altiùs, ac speciosiùs vaticinantem: *Deus mortem non fecit, non delectatur in perditione vivorum;* at illa secretio, illa divisio ab electis mors est, & æterna quidem; eam proinde non fecit Deus. *Sap. c. 1.*

Deinde id genus Prædestinationis parum consonum videtur divinæ Justitiæ, atque æquitati: cujus est non solùm in tempore ex merito aut demerito gloriam aut dare, aut negare; sed etiam eandem sic decernere, vel ex ipsâ quàm remotissimâ æternitate. *II. Ex Dei justitia.*

Tum etiam ea reprobatio, quam à Theologi negativam appellant, viam aperit justis hominum querelis, gemitibus, ac lamentis: quid enim si unus aliquis id resciat, à Deo se minimè electum ab æternitate, & hoc quidem sine suâ culpâ, purâ, putâ Dei sui voluntate; quos non ille flectetur in gemitus, quæ non edet lamenta, quas non effundet lacrymas. *III. Ex natura sensu.*

Appello boni senis fidem, atque exemplum: Ei religiosus adolescens multis annis inservierat, ea modestiâ, promptitudine, devotione, quæ posset esse maxima: hinc pio seni amori erat, atque admirationi; cùm ecce invidit malus dæmon eos adolescentis animos, eos in virtute progressus; quos ut disturbaret everteretque, sese ementitâ boni Angeli specie visendum exhibet nimis credulo seni; & hæc ad illum paucis. *In vitis Patrum.*

Næ miser, inquit, es, & stultus ac delirus senex, qui hunc adolescentem in cella, in oculis, in animo, ac deliciis habeas, cùm eum jam inde ab æterno cœlum abjecerit, atque reprobarit Deus.

His dictis, quasi immisso fortiter telo, in tenues auras abiit, & senis oculo se subduxit: stupere ille primùm,

primùm, nec capere alta Dei sui judicia; deinde elabi in singultus, in lacrymas, & querelas satiscentis animulæ.

Interea rediit adolescens noster mali ludi minimè conscius: vix in optimi senis incurrerat oculos, cùm altùm hic suspirare, gemere, lacrymari: quærentique juveni, ecquid istud mi Pater? Quid mutati vultus, & ora, quid oculi loquuntur, & lacrymæ? Cui senex: *O fili!* cætera dixere lacrymæ, profundique gemitus: quibus ubi aliquid datum est: iterum, iterumque ingeminat illas voces: *O fili, fili*, si nosses quæ te maneant fata, quàm dura, quàm acerba, quàm funesta: cui ille sereno vultu, intrepidaque voce, Ecquæ sunt ista, mi Pater? Tum senex magis quàm aliàs unquam imo de pectore suspiria ducere, attonitoque similis hærere defixo in juvenem vultu, obortisque ex commiseratione lacrymis; quas ut elueret, sisteretque ingentis animi Adolescens: Fare, inquit quodcumque illud est, quod ploras malum; non imparatum pectus ad illud gero. Cui senex: eloquar, inquit, cùm ita voles fili: Affuit mihi è cœlo, ut reor Angelus, qui te jam inde ab æternitate scriptum ait in numero, alboque reproborum: tu[illegible]um illud inclamat, seu amantis, seu miserentis. [illegible] *fili.*

Et exemplo.

[illegible] adolescens pacatâ mente, placidaque voce, [illegible]que nixus; bono, inquit, animo Pater: si [illegible]ndo, imò, si æternitate totâ reprobi, & à su[illegible]emoti erimus: saltem quòd reliquum est bre[illegible] ævi Deo simus quàm proximi, nosque totos [illegible]lius amori, cultuique concedamus. Deus meus est, ego pusillus homuncio; figulus, ille, figmentum ego: terat illud, conteratque un volet, opus atteret manuum suarum: nihil habet de quo queri possit; multum autem de quo conditori suo benedicere.

Astupuit senex, ætateque altiores suspexit animos, subitâque oborta luce, ac discussis quibus involvebatur tenebris, agnovit mali genii fraudes, & ignem suppositum cineri doloso: tum in optimi Adolescentis amplexus ruit atq; oscula, & dignam Cœlo Deoque mentem jure deprædicavit. Sed quotusquisque ejus est animi: erat ille fictus meliore luto: at vulgus omne si resciret aliquando se reprobum, iret in præceps: maximè si persuaderet sibi eas fati leges scriptas, ac decretas in Divinâ mente ac voluntate sine aliquâ in se noxâ, mero authoris ac conditoris sui, beneplacito.

Ad hoc barathrum desperationis (in quod si non ducit ea opinio, at certè duci patitur, facitque ut sit magis proclive, ac pronum) accedit etiam illud, quod bonorum operum, salutisque curam si non extinguat; at certè multum imminuat. Vtetur enim unus aliquis eo dilemmate, quo usus olim Monachus apud Augustinum.

IV. Ex nata indeincuna.

Cùm ad [illegible]lum ille, vomitúmque redisset abjecto cucu[illegible]que etiam religiosâ mente, ut scrupulum, qui fortè conscientiam stimulabat, excuteret, ita sibi blandiri, atque illudere solitus. Vel sum de numero electorum, vel non: si sum; me manet decreta ab æterno gloria, manet & suo loco, ac tempore parata gratia congrua, & tetiam ipsa efficax, cujus vim eludere nemo unus potest; non est ergo quod anxia mente, quod vigili curâ de[illegible]udem, incumbamq; in opera bona; utpotè quæ & decretum illud gloriæ, & efficacem gratiam sua quasi sponte sequentur.

Lib. de bono Persev. c. 15.

Secus autem si non sum in electorum albo; jacta est alea, eversa sors etiam in æternitatem: nam neque decreta mihi gloria, ac beatitas, neque cùm opus erit in promptu à Cœlo paratum auxilium congruum, atque efficax: non abnuo relictum esse sufficiens, quocum possim; sed quid juvat posse, si non datur re etiam ipsa exequi, hoc est benè agere, atque salvari.

Hæc ille, cui ea ratiocinatio primùm mentem evertit, dein in omnia scelera egit præcipitem.

Et hæ quidem, aliæque rationes faciunt ut abeam ab ista sententiâ, & ad mitiorem deflectam.

SECVNDA SENTENTIA *proponitur, & probatur.*

Hæc opinio, quæ placuit plerisque Authoribus è minimâ Societate JESU, statuit: neminem omninò à Deo præeligi, ac prædestinari vel ad gloriam, ac beatitatem, vel ad pœnas æternas, nisi ex præscientiâ ac prævisione meritorum, aut demeritorum: quæ proinde quatenus objiciuntur Divinæ menti, atque intelligentiæ, verè causa sunt, totaque ratio prædestinationis, ac reprobationis cujusque. Et verò ea sententia mollior est, atque aptior pacandis hominum animis, & ipsi supremæ Bonitati magis consentanea; magisque consona naturæ, ac rationi.

Rationi quidem, quæ suadet omninò ut æterna gloria, & interminabilis fœlicitas nonnisi ex cujusque meritis concedatur: dicitur enim ea in Sacris paginis, merces, corona, bravium, quod non obvenit nisi legitimè certantibus, nec indecoro pulvere sordidis.

Convenit & illud Divinæ bonitati, ac miserationi, cujus est neminem à gloria, à summo bono, à seipso secernere sine aliquâ culpâ.

Denique ea sententia quia mitior, abjectis hominum animis spem affert ac solatium, & ad ardua quæque excitat atque erigit; vel eò tantùm quòd sibi persuadeant, salutem vitamque nullo unquam ævo finiendam in sua veluti manu ac potestate esse, dum cuique Cœlo propitio datur benè agere, benè de superis, Deoque mereri; adeoque si modò quo cœpit pede pergat, beatam assequi æternitatem.

Quod ipsum disertis verbis inculcatum voluit Princeps Apostolorum: *Satagite*, inquiebat olim, *ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* 2. Pet. c. 1. v. 10.

In id unum toti incumbite, in hoc desudate, ut eam, quæ ad fidem, primamque gratiam fuit vocatio, atque electio, certa fiat ac secura ad ipsam quoque beatitatem: facietis porrò, si bonis operibus seduli insistatis.

Et hæc pro statutâ mihi brevitate sunt satis.

QUÆSTIO QUARTA THEOLOGICA.

Ad eadem verba: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* V. 14.

QVIS SIT NVMERVS ELECTORVM, AC REPROBORVM?



Nō est quæstio de toto hominum genere.

I hominum genus universum, quod aliquando terra tulit, Sol videt, & aspicient anni longè consequentes; si inquam illud quantum est sumpseris, istud est in aperto: exiguum in eo esse Electorum numerum; ingétem verò, & mirum quantum immanem Reproborum molem, atque multitudinem: quis enim non videat, quot olim ab ipsa Orbis infantiâ, quot etiam modò, quot in futura retrò sæcula, Athei, Gentiles, Hæretici, Schismatici, verbo uno, Barbari, & à cœlo, Deoque alieni; contrà verò quàm exigua fidelium portio: vivit illa sibi, superisque contracta velut in Orbis angulum, cùm reliquum occupet, ac tegat turba infidelium propè innumerabilis: de hac mihi in præsentiâ non erit quæstio, sed de iis dumtaxat, quos Catholicos dicimus, & amamus; pluresnè ex iis salventur, quàm damnentur.

Sed de Catholicis.

Controversia est, quæ cuique aurem vellicet, & animum pungat non minus pia, quàm curiosa indagine: in qua ut in dubio calle fieri solet, SS. Patres in diversas vias ac sententias discedunt. Una est Silvestri in Rosâ aureâ quæ contendit è Catholicis longè plurimos salvari, æternùm perire paucissimos.

I. Opinio.

Hæc opinio præsidium petit ab hac ipsa qua de agimus parabolâ: in qua inventus dumtaxat unus qui ex eo quòd careret veste nuptiali primùm acriter exceptus, dein excedere jussus, & abjici in tenebras exteriores; cæteri ut admissi ad nuptias, epulumque liberale, ita illo liberalius excepti. Nuptiæ, cœli lux, ac beatitas; vestis nuptialis gratia, & charitas; eâ à morte, excessuque mentis probè induti omnes, eâ nudus dumtaxat unicus, qui proinde spem facit è Christianisquàm plurimis unicum, hoc est omnino paucos cœlo excludi, admitti cæteros omnes.

II. Opinio.

Contra hanc sententiam ex adverso pugnat altera, ponitque etiam ex Ecclesiâ, quæ CHRISTI palæstra est, plurimos æternis incendiis destinari; paucos gaudiis nunquam perituris. In eam opinionem inclinant SS. Patres. Augustinus, Chrysostomus, Gregorius, qui omnes à Scripturæ parabolis ducunt argumentum; & quidem,

Primum ducitur à Parabolâ de tritico, & paleâ: tam hæc, quam illud vitur in area Domini, hoc est Ecclesiâ, in qua palea reprobi, electi triticum: constat autem, inquit Augustinus, majorem esse multitudinem paleæ, quàm tritici; adeoque etiam reproborum, quàm electorum.

Aug. lib. 4. contra Cresc. con. c. 13.

Altera ratio, quæ fuit olim Cajetani, petitur à Parabolâ virginum: è quibus quinque fatuæ, prudentes quinque; hæ quia oleo probè instructæ admissæ ad nuptias; exclusæ illæ: è quibus illud confici credit Cajetanus: ex iis omnibus, qui in Ecclesiâ vivunt, ac spirant, tenduntque per hujus ævi noctem ad lucem beatitatis & Agni nuptias, mediam partem excludi, admittique tantùm alteram.

Hæc sententia meo quidem calculo durior accidit bonis auribus, numerumque reproborum auget supra fidem. Scio SS. Patres, maximè verò Chrysostomum altiùs è pulpito loqui, ac tonare: indeque Christianis mentibus Divinorum judiciorum timorem ingenerare, quod omnino pauci videantur electi;

Hom. 40. ad Popul. & 36. in Matth.

ego tamen mitiorem amo, amplectorque sententiam; & in re dubia id statuo quod est verisimilius,

Ex iis qui in Ecclesiâ Catholicâ decedunt, longè plurimos salvari, damnari verò paucissimos. est ea sententia Suarii, quæ & Divinæ bonitati, & rationi est consentanea.

Primùm enim qui in tenellulâ, & innoxiâ ætate ante rationis usum excedunt, terris moriuntur omnes, & nascuntur cœlis, Baptismi scilicet aquis, & gratiâ; fœlices profectò, beatæque animulæ.

Adulti verò plerique omnes cum morbi vis urget, extremaque necessitas, seipsi ad ineundum iter æternitatis apparant, quâ dolore de vitâ malè actâ, quâ Sacramentis, in quibus, quia fons gratiæ, & semen gloriæ, illa probè eluuntur, mundique sistuntur CHRISTO judici.

Denique quibus parata Cœli regia, explicataque Dei miserano, nisi iis qui tum in vitâ, tum in morte fide donati?

Verùm ut ut sit de illa sententiarum inte se pugna, deque hujus, aut illius veritate: stat tamen, stabitque in ævum omne illud CHRISTI Oraculum: *Multi vocati, pauci electi.*

Stat, stabitque illud Esdræ: *Hoc sæculum fecit altissimus propter multos, futurum autem propter paucos*; & hoc quidem, quia nimium quantum verum illud D. Augustini: *Multitudo imperitorum, & peccatorum frequentat Ecclesias; pauci vero religionis mysteriis perfecti sunt*; & inde pauci quoque electi. Quod dum æqua lance expendit D. Chrysostomus non sine alto gemitu, ac suspiriis sic olim ad populum suum Antiochenum: *Infaustum est quod dicturus sum, dicam tamen: non possum in tot millibus centum invenire, & adhuc dubito.* Lib. 4.

Si judice Chrysostomo tam paucos electos numeravit Antiochia, quid aliæ civitates, quæ illi cedunt & Præsulum vigilantia, & populi pietate?

Fuit Antiochia prima Petri Sedes, cui successor datus S. Lucas, ac deinde S. Ignatius Martyr; Ecclesiastes verò S. Paulus, & Barnabas bonæ vineæ cultores optimi.

Fuit Antiochia in paucis cara D. Matri, quæ (ut testantur Authores gravissimi) etiam dum adhuc in vivis esset, sese illi spectandam dedit, ut ejus civibus, primisque Christianis animos faceret altiores.

Fuit Antiochia, quæ omnium prima Judaicas cæremonias, jugumque antiquæ Legis excussit, ut suave CHRISTI indueret, in qua proinde Discipuli primùm dicti *Christiani*.

Denique Antiochia dicta *θεόπολις*, id est, Civitas Dei, nomine sanè honorato, plenoque majestatis; & tamen ut ea esset, pronuntiavit nihilominus illud D. Chrysostomus: è multis millibus vix in illa centum fortè donandos beatitate; adeò etiam in illa verùm CHRISTI pronunciatum: *Multi vocati, pauci electi.*

Cujus ratio in oculis est, quia multi, qui latâ sæculi hujus gradiuntur viâ; pauci verò, qui strictâ.

Dixit olim in simili Clemens Alexandrinus: *Impossibile est ut vulgus fit Philosophum*; hoc est meliore imbutum sapientiâ; at impossibile magis ut vulgus (hoc est abjectæ in terras animæ) fit verè Christianum, id est,

id eſt, in CHRISTI ſchola probè doctum, adeóque dignum cœleſti Laurea: & quia de vulgo plerique, hinc terræ cives, & exules cœli: ne ex his aliquando ſis, Amice Lector, prudens cave, tibi dum licet conſule, & viam inire para arctiorem.

Ut porro pàres alieno doctus malo, exemplo ex uno diſce quàm verum illud Chriſti oraculum: *Multi vocati, pauci electi.*

Unus aliquis Eremi cultor, ac ſanctitatis jam cœlo donatus ac beatitate, Epiſcopo Lingonienſi ſeſe ſpectandum dedit, & hæc illi in aurem, animúmque immiſit.

Henriquez, l. 1. Ciſter. Faſcic. D. 4. c. 46.

Hodie triginta hominum millia vita functi ſunt, ex quibus ego ſolus, & S. Abbas Bernardus, æterna cœlorum habitacula intravimus: cæteri æterna damnationi, & ſempiternis cruciatibus traditi.

Hæc ille; quæ diſertis verbis refert Chryſoſtomus Henriquez Ordinis Ciſtercienſis hiſtoriographus; cui ad rei narratæ fidem faciendam addi velim, eò loci, ac temporis longè pauciſſimos è fidelibus obiiſſe, at quam plurimos vel è cœca gentilitate, vel ex hæreticorum, malorúmque hominum colluvie, quam fortè tum è vita extulit adverſus mavors, bellique furor, inſanáque nocendi libido; quæ cum Erebo, æterniſque incendiis omnes propè addicat, veriſſimum eſt de illis: *Multi vocati, pauci electi.* At non item de fidelibus, quos Sacramentis probè munitos diem ſuum obire contigerit.

QUÆSTIO QUINTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* verſ. 12.

QVÆ SIT ILLA VESTIS NVPTIALIS?

Peccatoris pudenda nuditas.



N hac quæſtione primum id ſtatuo quod extra controverſiam eſt, Peccatorem aut omnino nudum eſſe, aut veſte quàm peſſimâ malè tectum.

Te revoco, mi Lector, ad mundi cunas, & primos Adami dies: ubi peccavit ille, ſe nudum aſpexit, & erubuit; cui Deus: *Quis indicavit tibi quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti.*

Gen. c. 3. v. 11.

Ecce ut homini nuditatem affert, & prodit inobedientia, unicumque ſcelus. Vide etiam ut veſte malè tegat.

Ubi Gratiâ & originali Juſtitiâ ſe nudum vidit Adam, ubi rebelles & indomitos ſenſit in corpore motus, fecit ſibi & conjugi *Perizomata*, & folia ficus in veſtem aptavit, & meritò. Eſt ficus arbor funerea, indeque Horatio dicitur, *Pulla ficus*; & apud Romanos Deſignatores, quorum intererat funerum ritus, lugubreſque ſignare modos, invitabantur ſigno ficus, arboris funereæ, è quâ primo parenti, ceu peccatori parata veſtis, quæ mortis ac funeris ſymbolum eſſet, atque argumentum.

Peccatoris veſtis quæ?

Neque verò multò melior fuit Adamo parata veſtis altera, & ſi altiore Dei manu coaptata: hæc illi fecit *tunicas pelliceas*, & induit illum exuviis mortuorum animantium, ut foris pelle belluinâ uteretur, qui intus belluinâ cupiditate animum deformarat: quod & feciſſe legitur ille ipſe, qui pulſus eſt ex epuli loco, eò quòd non haberet veſtem Nuptialem: nimirùm improvidus, & malè ſanus homo togam induerat, pelléinque aut ab immanitate, ferociáque leoninam, aut à dolis fraudéque vulpinam, aut à deliciis cum divite epulone laxam, diſſolutam, atque diffluentem; eóque jure meritiſſimo à Nuptiali cœnâ ejectus eſt in tenebras exteriores: in quas etiam deturbabuntur ii omnes, qui in ultimâ vitæ cœnâ mortiſque periodo inventi fuerint carere veſte Nuptiali: Quæ ſit illa quæris?

Verſ. 21.

D. Gregor. Nyſſenus in vitâ Moyſis.

Veſtis Nuptialis quæ?

I. Veſtis Agni.

Petro Cellenſi, Abbati in paucis docto & pio, eſt vellus oviculæ, eſt vellus agnelli; hoc eſt animus, qui ſingulari manſuetudine, inſigniqúe patientiâ CHRISTUM refert, atque exhibet: quiſquis is eſt, inquit magnus Præſul:

In cap. 22. Matth.

In pelle iſtâ veniens ad Nuptias non depellitur, ſed intrare, & ſuperius aſcendere compellitur. Retribue igitur convivæ Chriſti pellem pro pelle, oculum pro oculo, dentem pro dente, livorem pro livore, animam pro animâ. Quid enim pro te, aut tibi facere potuit Deus, quàm ut animam poneret? Vade ergo & tu fac ſimiliter.

Petro Cellenſi conſentit Auguſtinus, cui veſtis Nuptialis eſt ea quæ ſimilis eſt & concolor illi, quam ſponſus geſtare conſuevit. Regis famuli oſtentare ſolent veſtem unius alicujus coloris, qui Regius dicitur; è quo etiam noſcuntur pueri Regis. Vis inde noſſe, ô anima, quæ tibi Nuptialis veſtis? Erit illa, quæ Sponſo tuo, CHRISTO, inquam, concolor: fuit ille in die deſponſationis ſuæ plagis lividus, flagellis fœdè excoriatus, & ſanguine ſuo mirum quantum cruentatus. Et hanc etiam veſtem indue, ut CHRISTI conviva eſſe merearis æternos in annos; age, veteris hominis pellem detrahe, depone mundi hujus exuvias, & novum hominem indue, qui ſecundùm Deum creatus eſt; diſce pro CHRISTO & agere, & pati fortia; da illi pellem pro pelle, livorem pro livore, ſanguinem pro ſanguine, vitam pro vitâ, animam pro animâ: & veſtem Nuptialem induiſti.

L. 22. contra Fauſtũ, c. 19.

II. Veſtis Sponſi, id eſt, Chriſti.

III. Veſtis virtutum.

Sed & alia D. Bernardo veſtis eſt, ita enim ſuavi eloquentia: *Veſtes, noſtræ virtutes ſunt: bona veſtis Charitas, bona veſtis Obedientia eſt. Beatus qui cuſtodit veſtimenta hæc, ut non ambulet nudus.*

Serm. 3 in Quadrag.

Amat melleus Doctor veſtem ei ſimilem, quæ fuit olim Joſepho, qui Jacobo parenti erat in deliciis; *Tunicam talarem, & polymitam.*

Gen. 37.

Talaris tunica interprete Gregorio, & Bernardo, eſt *Perſeverantia*, quæ ad talos, id eſt, ad extrema vitæ protenditur.

Greg. lib. 1 Moral. c. alt. Bernard. ſuprà.

Solet malignus dæmon ſerpentis inſtar alicujus inſidiari calcaneo noſtro, hoc eſt acriùs urgere inter vitæ, mortiſque confinia, cùm anima propè eſt in ſummis labiis. Ne porrò expugnet, atque evincat, talos obtege ac muni tunica talari, hoc eſt inſigni in bono opere perſeverantiâ; orna deinde & polymitâ, hoc eſt omni virtutum genere, ac varietate, qualis fuit olim illius animæ, de qua ſub Reginæ typo Propheta regius: *Aſtitit* (ô ſumme rerum arbiter Deus) *Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circũdata varietate.* *Pſal. 44.*

O veſtem omninò pretioſam, murice, auro, gemmaque digniorem; veſtem non humanâ, ſed divinâ arte contextam. Veſtem, cujus ſartor eſt Spiritus S. materia virtus omnis, ejuſque decor; pretium

CHRIST

CHRISTI merita; tinctura & murex, pretiosus CHRISTI sanguis. Ita nimirum novo murice ostroque tingi, novâ purpurâ rubere & nitere te oportuit anima; quæ Dei, si velis es filia, sponsa, imò & Regina; hoc uno æternùm fœlix, si purpuram illam ita induas, ut exuas & macules numquam.

Agnus erat CHRISTUS, & Agnus sine maculâ, à meritis à virtute villosus totus, de quo Isaias: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & coram tondente se obmutescet.* C. 53 v. 7.

Detonsus est hic Agnus in passione, & in morte corporis vellus deposuit, unâque etiam nobiles virtutum, ac meritorum exuvias. Spiritus Sanctus abjectum vellus collegit, & textoris instar peritissimi ex eâ tibi vestem contexuit, & Divino munere, effusique sanguinis purpurâ probè imbuit, eâque te indui, & ornari voluit: quæ sit illa è SS. Patribus si quæris, est Charitas, cui nectuntur virtutes cæteræ propè omnes, eæ potissimùm quas morales dicimus, è quibus aliquæ intellectum, aliæ voluntatem ornant, atque condecorant.

Vestis nuptialis Charitatis.

Intellectum quidem Sapientia, quæ inter virtutes intellectuales principatum tenet, Deúmque spectat altissimè.

Hujus ornamenta.

Et proximè nectitur Prudentia, quæ humana omnia ex Divinæ rationis lege moderatur ac regit, docétque quid in unaquaque re agendum, quid sequendum, quid fugiendum.

Virtutes Morales.

In Voluntate autem est æquitatis amans, rectíque tenax Justitia.

Est Temperantia appetitus domina, passionum magistra.

Est in arduis Fortitudo, quæ quantumvis dura, ac difficilia vel molliat, vel frangat.

Est in Deum & superos Religio; est in adversis Patientia, in dubiis Constantia, est inter mundi blandimenta, carnísque illecebras Castimonia, aliæque virtutes, quæ Gratiæ, ac Charitati junctæ mirum quantum vestem illam Nuptialem exornant.

Vestem illam, exuit peccator.

Sed, ô malum! ô pudor! ô cæcitas! ô insolentia humanæ mentis, quæ ab uno lethali peccato & vestem Nuptialem exuit, & unà etiam abjicit omnem illum ornatum, lucémque, quæ à virtutibus illis accesserat.

Questus olim de Ario Salvator Optimus, quòd infandâ hæresi, perversisque opinionibus vestem suam, id est, Ecclesiæ discidisset: & de te eodem propè jure queri posset, ô infelix animula, quæ acceptam in Baptismo unà cum Fide, & Spe Charitatem, ceu vestem Nuptialem, non discindis modò; sed prostituis, sed perdis.

Risit olim universitas Historiarum Diomedem; qui cum nescio quo fecit χρυσεα χαλκείων, id est, aurea arma commutavit cum æreis. Irridendus ille magis, imò & deplorandus, qui auream Charitatem, Cœlestes virtutum opes, ac gazas cum ærea, id est, luteâ terræ massâ, cum brevi puncúque voluptate permutat.

Ingenti damno.

Vidit antiquitas, luxitque miserabile Saguntinorum civium incendium, cùm fulminante ad portas Hannibale, & jam jam cum ingentibus copiis per disrupta mœnia irrupturo, desperatis Romanis auxiliis ne in Barbari potestatem venirent, luculentum ignem in foro medio extruxerunt, & quidquid in urbe vel auri, vel argenti, vel gemmarum fuit, in flammas vorandum projecerunt, & se insuper universos in ejusdem incendii voracissimos ardores dederunt præcipites.

Ardebat opulenta Civitas, ædes magnificæ, superba tecta multorum sæculorum opus, & labor; ardebat universa supellex, & plurimorum millionum pretium; ardêbant & corpora, & unà cum patribus, matribúsque innoxia puerorum ac puellarum ætas, & quidquid anni ac sæcula coarcervarant, uno propè momento flamma consumebat.

Spectaculum sanè lamentabile, quod qui vel tantum legit, vix lacrymas teneat.

Spectaculo lamētabili.

Verùm à peccato lamentabilius profectò spectaculum; ab hoc enim velut excitato in animâ incendio perit omnis ille Charitatis & virtutum thesaurus, qui non tempori serviebat, sed æternitati: perit & Gratia, de cujus momento, pretio, dignitate, ita quondam non minùs magnificè, quàm verè pronuntiavit D. Thomas: *Bonum gratiæ unius, majus est quàm bonum naturæ totius Universi.* Et tamen ut ab uno scelere pereat illud, pauci omninò sunt qui æquâ lance jacturam illam æstiment, qui lugeant, ac deplorent. In qua certè luce clariùs apparet peccatoris cæcitas, atque amentia, quæ levissimâ etiam de causâ, Charitatem, & Gratiam fœdè prodigit.

Videri possunt quæ dixi in opere meo Moral. l. 2. §. 3. ubi de dignitate Gratiæ fusiùs & ex professo disserui, & quæ etiam huic loco convenire possunt.

QUÆSTIO SEXTA
MORALIS.
Ad ista verba: *At ille obmutuit.* Matth. c. 22. vers. 13.

QUAM NOXIUM SIT PECCATORI SILENTIUM?
Et contrà, quàm salubris ingenua Confessio?

VENERABILIS Galfridus in hujus Parabolæ serie tria potissimùm censuit expendi oportere.

In Allegoriis Galfridi Tilmanni in c. 22. Matth.

Primum est *Regis majestas incomprehensibilis*; Alterum *Dignatio amabilis*; Postremum *Indignatio valdè terribilis.*

Majestas, quæ penetrat omnia, universa discernit.

Dignatio, quæ ante Iudicium ad pœnitentiam provocat, dum misericorditer convenit quem reum invenit.

Indignatio, quâ eundem tacentem tenebris addicit, & suppliciis.

Tacentem, inquit, *nec enim priùs erupit Regis ira, quàm ille admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.* Tum enimverò ab eo velut invito judice excivit ista verborum fulmina.

Pudor noxius.

Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Tantum malum afferre potuit verecundia, contra quam, ut solet piè declamat D. Bernardus: Matth. 22.

O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris, ac honestatis. Epist. 185.

Verè expers rationis: quæ enim illius ratio, ô infelix animula! Non pudet inquinari, & ablui pudet: fumum ignominiæ fugis, & in ignem ruis: Certè qui peccatori coram homine injicitur pudor, is fumus est, eum ut declines in ignem proruis; dum enim insano pudore peccatum celas, nec in Confessarii aures deponis, te ipse perdis, & igni æterno prædam objicis. Velamen quæris quod sceleratæ conscientiæ malè obducas, ut olim primus parens.

In Adamo.

Abscondit ille se, & nuditatem suam malè texit à foliis ficus: insanæ profectò arboris; cui amentiæ ita quondam piè insultavit Bernardus:

In Allegor. Galfredi ad c. 3. Gen. *Frivolum nimis tegmen quæris, anima misera; prorsus inutile tegumentum sunt ista folia quæ consuis. Operiunt, sed non calefaciunt. Celant vulnera, sed non sanant: an verò diu tegere poterunt? Absit, fluent certè, & effluent folia, ad primum radium Solis siccabuntur.*

In peccatore. Solis, inquam, illius, qui tibi, tuisque sceleribus detegendis surget in extremo judicii die, quo patebunt, & explicabuntur omnia, quæ malè latere voluisti, atque involvi.

O quàm tibi *melius* fuisset Augustino judice *coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die Iudicii coram tot millibus hominum gravi repulsâ denotatum tabescere.* *L. 2. de Visit. Infirm. c. 5.* Melius certè fuisset; & hoc modo censeres ipse, nisi tibi mentis oculos eruisset verecundia humanæ lucis, id est, *rationis expers*, imò & *inimica salutis*, quæ est in manibus, vel unius tantùm linguæ.

Confessio salutaris. Ad Davidem appello adulterii primum, ac deinde etiam homicidii reum: quid ille ad Prophetæ voces, ac minas?

Peccavi, inquit, *Domino*. Quid deinde Nathan? *2. Reg. c. 12. v. 13.* *Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te: Non morieris. Velox Confessio*, inquit Eucherius, *velocior medicina: facto peccavit, verbo pœnituit; annuit Deus, & sanitas redit.* Nimirum etiam interprete Augustino.

Hom. 41. *Tantum valent tres syllabæ: tres syllabæ sunt, Peccavi; sed in his tribus syllabis flamma sacrificii coram Domino* *In Davide.* *ascendit in Cælum*, & ter Opt. ter Max. Patris oculos ad miserationem convertit: cujus exemplum etiam posteris dedêre futura longè sæcula in Adolescente quantumvis prodigo. Dixit ille pertæsus sui sceleris,

Serm. 3. *Pater peccavi in Cælum, & coram te.*

Ecce, inquit Chrysologus, *ut confessio Patrem pandit, ut genitorem loquitur pœnitudo*; verè genitorem, qui ad pauculas filii voces ad servos conversus ait:

Luc. c. 15. v. 22. *Citò proferte stolam primam, & induite illum. Sustinuit filii crimina, qui non sustinuit nuditatem. Hinc est quod à servis ante vestiri voluit filium, quàm videri.* Vide etiam illud amantis, ac properantis, *Citò.*

In Prodigo. *Non dixit unde venis? ubi fuisti? ubi sunt, quæ tulisti? quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti?* Sed *Citò proferte stolam primam, & induite illum. Videtis*, inquit Chrysologus, *quia delicta non videt vis amoris.* *Ibidem.* *Tardam misericordiam Pater nescit. Delicta qui discutit, prodit*; non discussit Pater quia à Filio audiit illud Pœnitentis: *Pater peccavi.*

Ne tuo damno aliquando eadem tua scelera discutiat Deus, dic age cum Prodigo: *Pater peccavi*; neque vocem sistat, aut interrumpat verecundia, & quæ ab illâ nascitur in ore amarities: quia *melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternus cruciatus in visceribus*; *Aug. lib. de decem cordis.* Eum ut declines, fallasque probè, & illud expende D. Bernardi, quod ea verecundia sit *totius ignara honoris, ac honestatis.*

Summus honor, *summumq; victoriæ genus*, est *Divinæ cedere majestati, & authoritati Matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor, & gloria*: eam tibi quæris, & accersis, dum humili, candidâque Confessione peccatum aperis; ab eâ longiùs abis, cùm illud ipsum improbè tegis, & celas.

Ne porrò erres, & *fallaris ò fili*, Climachum audi benè monentem, & *obedi Domino, & tua peccata Magistro*, seu Confessario *enuntia*; & ne pudori unquam cede. *Apud Anast. Nicænum, q. 7.* *Nam absque pudore, non poteris liberari à pudore: aperi ergo aperi medico tuum vulnus.* Peccatum appello vulnus, & lethale quidem, non corpori: sed animæ potissimæ hominis parti altè inflictum: & illud medico spirituali aperire formidabis? Non formidabis sanè, nisi & te ipse oderis, & sanitatem, id est, salutem penitus abjectam velis.

Ut olim voluit unus aliquis de quo P. Paulus Barry in opusculo, cui titulum fecit: *Solitudo.*

Refert ille Adolescentem, qui viro nobili diu fuerat à secretis, in ultima vitæ periodo cùm jam anima esset in extremis labiis, hæc languidula voce jactasse. O me miserum qui plus viginti quinque chartarum volumina insumpsi in conscribendis litteris heri mei nutu atque imperio: & pro exaranda confessionis bonæ formula ne folium unum impendi. Addam ego, & ne bonum verbulum dixi, ut peccata mea, molestámque sarcinam deponerem in aures confessarii, mutus semper ut piscis ad scelerum meorum, & anteactæ vitæ seriem texendam; ad cætera omnia petulanter loquax; sed malo meo, & æterno quidem. Et ita evenit: nam & hic loqui, & simul etiam vivere desiit infelix juvenis; posteróque docuit meliùs sapere, & pro conscientia, próque salute opportunè semper loqui, & nunquam obmutescere.

QUÆSTIO SEPTIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Mittite eum in tenebras exteriores.* V. 13.

CUR IN TENEBRAS? CUR NON IN FLAMMAS?

Cur in tenebras?



Rit hîc unus aliquis qui eam injiciet quæstionem, cur æquus judex à veste nuptiali vacuum deturbet in tenebras exteriores, earúmque tantùm meminerit: cur non potiùs inferni carceris? cur non edacis flammæ, in quam rapitur misellus homo? Ne crede ea verba casu excidisse, sed destinato consilio, certáque Dei Providentiâ, cujus rationes hîc inquiremus.

I. Ratio. Prima hæc occurrit, nocte puniri ac tenebris, quia peccatum mortale nox est, & inimicæ nimium tenebræ: vadem habeo D. Bernardum:

Serm. 75. in Cant. *Habet*, inquit, *mundus iste noctes suas, & non paucas. quid dico, quia noctes habet mundus, cùm penè totus ipse sit nox, & totus versetur in tenebris? nox est Iudaica perfidia, nox ignorantia Paganorum, nox hæretica pravitas, nox etiam Catholicorum carnalis, animalisq; conversatio.*

Authoritati favet ipsa ratio: noctem duo faciunt absentia luminis, & caloris, à qua obscura, & frigida nox esse solet; abscessu videlicet Solis, qui est parens luminis, fons caloris.

II. Ratio. Ab animâ lethalia noxa reâ longiùs quodammodo abest Deus, Sol Justitiæ: abest & Gratia lux aurea bonæ mentis; abest & Charitas, æstúsque ille Divini amoris: hinc & obscura & frigida hæret quasi in altâ nocte. Accedit & alia ratio: nocte punitur peccator, quia nocte abutitur.

Iob. 24. v. 15. Eccl. c. 23. v. 26. *Oculus enim adulteri observat caliginem, dicens: non me videbit Dominus. Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor?*

III. Ratio. Ecce petulantes, & insanæ voces, noctisque deliria, contra quæ dilucidè, & eleganter D. Ambrosius:

In Psal. 118. Serm. 1. *Ne dixeris circumfusus tenebris, quis me videt, & quem vereor septus parietibus, & inclusus? quia vultus Domini super facientes mala. Deinde si arbitrum non vides, teipsum non vides? tua conscientiæ testimonium non vereris? nescis illam caliginem noctis, non opertorum; sed incentivum esse peccati?*

Et quia incentivum est, quia sceleri, ac libidini viam facit liberiorem; ideò etiam & pœnam addit, atram noctem, densásque tenebras; ut per quæ peccat quis, per hæc & torqueatur.

Ea quoque ratio fuit cur olim Angeli vindices *Ruperius.* descenderint ad Sodomitas sub vesperum inclinato jam die, & occiduo Sole: quia erant illi filii noctis, ac tenebrarum, quibus proinde ea diei portio pœnis destinata conveniebat. Sed quæ, inquies, sunt eæ tenebræ? quàm densæ, quàm horribiles disce à simili.

Ægyptios, adversa cœlo capita, Deus ingentibus plagis affligere voluit, eas inter fuêre tenebræ, de quibus hæc produnt authores.

Adeò densas fuisse, ut palpabiles essent: in his ne- *In vita Moysis.* mo unus omnium alterum vidit, nemo alteri locutus, quia, teste Philone, tenebræ adeò crassæ erant, ut per illas loquentium voces commeare non possent.

Imò toto illo triduo, quo Ægyptum tenuit illa nox, nemo se loco movit, nemo manum, nemo pe- *Sap. c. 17.* dem extulit; quia ut ait Sapiens: *Vinculo tenebrarum compediti tenebantur.* Ad ea ferè noctis vincula accedebat horror ab intermicantibus flammis, à monstris & spectris, quæ illos tantùm non exanimabant.

Ex his disce gravius aliquid; apud inferos gravio- *Quæ tenebræ?* res futuras tenebras illas exteriores, in quas ejicitur infelix homo.

Primùm enim adeò densæ erunt, ut quæ eas evigilet lucis portio nulla sit futura: videlicet justo Dei Judicio ad damnatorum pœnas igni dabitur vis adu- *D. Basil.* rendi, eáque acerrima; vis autem illuminandi negabitur, ut olim in fornace Babylonica Igni relicta lux, & fulgor aureus, qui tres illos CHRISTI pugiles recrearet; subductus autem calor, & ardor, qui incenderet.

Ab hac opinione paululùm discedit D. Gregorius, *Moral. l. 9. c. 35.* qui censet apud inferos lucis aliquid futurum, non ad solatium, sed ad supplicium: ut scilicet damnati suos olim in scelere consortes videant, & quos videndo amaverunt, amandóque deliquerunt, eosdem in tormentis videndo oderint, odiendóque magis excrucientur.

Ad æternam illam inferni noctem accedet altum silentium: ea enim erit tenebrarum densitas, per quas nullæ damnatorum voces intercurrere poterunt: quod silentium nescio quid atrox, & horrendum animis intentabit, juxta illud Poetæ:

Horror ubique animos simul ipsa silentia terrent.

Et ita censent nonnulli: ego tamen existimo ingentem in inferis fragorem, & lamentabiles ejulatus ad supplicii gravitatem audiendos; ad levamen omninò nihil. *Impii in tenebris conticescent*; vel ut alii le- *1 Reg. c. 2. v. 9.* gunt, *immobiles erunt*, tenebris quasi vinculis obstricti: vel *conticescent*, hoc est, *convincentur*, & *confundentur*: pudor enim, dolórque fauces intercludet, spiritúmque omnem intercipiet.

Ecce ut ab æternis inferni tenebris, non tantùm oculi, sed & lingua gravissimum patitur supplicium: illi quia luce, Soléque hoc aspectabili malè usi; hæc quia loquax, garrula, & petulans, æterno silentio damnabitur.

****

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.



VANGELICÆ Historiæ series nobis exhibet Regulum unum aliquem, cujus filius in primo vernóque ætatis flore ab affecta valetudine, à febri maligna totus elanguescere, atque marcescere cœperat.

Ea morbi vis, atque inclementia parentem sollicitum habuit, & ad CHRISTUM, ceu communem corporum, animarúmque Medicum, excivit.

Audierat fortasse venisse à Iudæa in Galilæam, quo advolavit ipse, & supplex ad CHRISTI genua lapsus, rogare cœpit impensiùs, ut descenderet, & filium jam propè cum morte luctantem sanaret.

Distabat Capharnaum à Cana Galileæ (ubi tum erat CHRISTUS) leucis omninò quatuordecim; ut eò descendat urget pro filio parens mirè anxiùs; sed infirmâ profectò fide, debilique acie mentis, ut qui præsentem ægro vellet eum, crederétque absentem curare non posse, qui tamen verbo poterat, & solo nutu voluntatis: hinc illum primò arguit Salvator optimus, ut qui ad fidem prodigia quæritaret: deinde miseratione motus, sic ad illum paucis: *Vade filius tuus vivit*; & verò ab *Ioan. c. 4. v. 50.* illa voce vixit, & sanus quidem.

Hic non disputo an illa vocula, *Vivit*, fuerit causa physica confirmatæ in puero valetudinis; an moralis tantùm: sunt qui physicam ament, ac velint: sunt qui moralem tantùm fuisse censeant. Meo judicio parum interest, qualis qualis illa fuerit, ab illa certè vixit, propèque Reguli filius revixit, longos in annos integer

 ac vegetus;

ac vegetus: Nimirùm ut doctè notat Rupertus, *Hoc dictum imperium vitæ fuit: & solo jussu salutem reddidit qui voluntate omnia creavit.* In quo profectò duo agnosces amabisque miracula. Unum in Regulo, cujus animum ab infirma fide laborantem sanavit IESVS: Alterum in filio, à cujus corpore febrem depulit.

Duos, inquit Cyrillus, *iisdem verbis Salvator curavit: nam & animum Reguli ad Fidem induxit; & à corporis morbo adolescentem eripuit.* Et hæc summa rei gestæ, de qua paucis

EX D. THOMA.

Ioan. c. 5. AD illa verba: *Heri hora septima reliquit eum febris.* *Duo*, inquit, *moraliter notantur*:

Serm. 2. Primò, *Peccatoris infirmitas*, scilicet *febris*. Ea septuplex: 1. *Fit continua, quæ est Luxuria. Fornicati sunt*, inquit Oseas, *& non cessaverunt.* (Cap. 4.) 2. *Quotidiana*, & hæc est, *Gula*; sic enim peccatores. *Comedamus, & bibamus: & erit sicut in die, sic & cras.* (Isay. 56.) 3. Est *Tertiana*, & hæc est *Ira*, ex *accessione caloris*. 4. Febris est *Quartana*; & hæc significat *Acediam*, quæ provenit ex melancholia, otio, pigritia. 5. *Ethica*, quæ est *Avaritia*, quæ difficilè, vel nunquam curatur. *Cùm cætera vitia senescant in homine, sola Avaritia juvenescit*, inquiebat D. Hieronymus. 6. *Ephimera*, quæ est *Superbia*, quia citò deficit. *Dejecisti eos, dum allevarentur*, aiebat Psaltes. (Psal. 72.) 7. Est *Putrida*, quæ est *Invidia*. *Putredo enim ossium Invidia*, ut rectè Sapiens. (Prov. 14.)

Secundò, Oportuna curandis illis febribus remedia, eáque septem: 1. *Est devota Dei auditio. Misit enim verbum suum, & sanavit eos.* (Psal. 106.) *Nec herba, nec malagma sanavit illos, sed sermo tuus Domine*, inquiebat Sapiens. (Cap. 16.) 2. *Est peccati agnitio.* ea usus Rex David: *Iniquitatem meam, ait, ego cognosco.* (Psal. 50.) 3. *Devota ad Deum exclamatio. Deus meus clamavi ad te, & sanasti me.* (Psal. 29.) 4. *Est Fidei infusio*; sic enim Dominus ad mulierem: *Fides tua te salvam fecit.* (Luc. 7.) 5. *Misericordiæ exhibitio. Cùm videris nudum, operi eum, & sanitas tua citiùs orietur.* 6. *Peccati desertio. Si revertimini, & quiescatis, salvi eritis.* (Isay. 58.) 7. *Perfecta cordis contritio, & plena hominis ad Deum conversio. Sanat* enim Dominus *contritos corde*; sanat ad se revertentes: sic enim Jeremiæ voce: *Convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras.* (Isay 30.) (Cap. 3.)

Et hæc est hora septima, qua febris relinquit peccatorem.

Et ista quidem ex D. Thoma. D. Bonaventuræ explicationem Mysticam, & Moralem leges infrà in quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Erat quidam Regulus.* Ioan. cap. 4. v. 46.

QVIS ILLE REGVLVS?


N hac quæstione priùs attingam ea, quæ ad litteram spectant; tum elabar ad alia, quæ ad mores ritè formandos attinent.

Ad litteram quis ille Regulus? Et quidem ad primùm: quis ille Regulus; in dubio est, seu genus spectes, seu dignitatem.

Origenes, & Hieronymus natione Gentilem faciunt: alii Judæum, quod est vero similius, ut qui eodem incredulitatis vitio laboraret, quo Judæi; qui solummodo fidem habebant oculis suis, atque portentis, quæ illis subjiciebantur; durum scilicet hominum genus.

De dignitate; sua etiam lis est, & controversia.

Chrysostomus Regulum appellat, quòd esset ex sanguine Regio, aut Herodis Antipæ, aut alterius cujuspiam, aut quòd exercitum tegeret.

Origines, quod de familia Tiberii Cæsaris pro quo officio fungeretur.

Hieronymus Regium vocat, sive Palatinum. Interpres noster Regulum dixit: legit enim in græco βασιλίσκος, id est *Regulus*, non autem βασιλικός, hoc est *Regius*.

Et verò quidni Regulum dicamus, cùm eum dixerit Scriptura, & eò loci, ac temporis multi fuerint Reguli, (1. Iud. v. 5.) quales olim septuaginta illi Reges, quos vicit captivósque duxit Adonibezer, quibusque per summam immanitatem, extrema digitorum, ac pedum rescindi jussit; reptare voluit sub mensa, micásque ore legere: quod in illo magnæ fuit inhumanitatis, in his autem summæ infelicitatis.

Dicamus & hunc (quo de agimus) Regulum fuisse, hoc est parvæ ditionis cum summa potestate Dominum: & hoc ad sensum litteralem.

Mysticè quis Regulus. Descendo ad mysticum, & in eo quæro ecquis ille Regulus? Est alius, atque alius. Et quidem primus homo Regulus fuit, sub summo Rege Deo ter Opt. ter Max. ubi enim hunc Orbem aspectabilem molitus est, in eo hominem posuit, ceu Regem hujus inferioris Universi; sic enim ad Adam, & Evam: (1. Adam. Gen. c. 1.) *Dominamini piscibus maris, volatilibus Cœli, & omni bestiæ repeanti super terram.* Timor ac tremor vester sit super cuncta animantia terræ.

Ecce quàm longè, latéque pateret Regnum humani illius sub summo Numine Regis. Sed quæ illi purpura? quod sceptrum? quæ corona?

Pro purpura fuit Innocentia, & Justitia Originalis; quæ tum erat pro veste Regia, quâ certè nitebat magis, quàm ostro auróve splenduisset: ab his enim malè tegitur corpus; ab illa verò immortalis animus ornabatur. Et certè Justitia Reges facit; si absit, umbra est, & inane Regis simulacrum; ut enim disertè Minutius Felix: *Vanus error hominis est, & inanis cultus dignitatis, purpurâ splendere; mente sordescere.* (In Octav.)

Pro Sceptro erat rationis imperium, cui subjiciebatur omnis affectio, appetitus omnis.

Pro coronâ denique Virtutes omnes, quæ Justitiæ Originali quodammodo adnatæ sertum faciebant; sed illustre, cœleste, & propè Divinum.

Pro

Pro Oleo, ac Chrismate, quo inunctus, ac creatus novellus ille Rex: fuit Dei Creatoris benedictio, quâ instructus Universi Imperium cum illo quodammodò divisit: *Cœlum enim cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*

Poeta non ignobilis, adulationis studio, Cæsari sic olim accinere auditus:

Divisum Imperium cum Iove Cæsar habet.

Hominis eo loco, ac tempore verius dici potuisset:

Divisum Imperium cum Iove pulvis habet.

Stetit autem imperium illud in homine, quamdiu cum Deo, ac ratione stetit: ub ab hic, & illo per scelus recessit; corruit omnis ille dominatus, & regnum in miserabilem degeneravit servitutem. Adeò verum illud, pietate, ac justitiâ stabiliri regna; iisque deficientibus corruere; quod & verum in Regnis, ac Regibus. Hos enim uti creat, ita conservat in Deum pietas, ac religio, in subditos justitia. Quod S. Epiphanius probè docuit Evaricum Gothorum Regem, ad quem sic locutus sacer Orator: *Memento te Regem habere, cui te considerate oportet, quid placeat*; ne fortè cum illi displicueris, & regno exuaris, & sceptro; terribilis enim ille, terribilis apud Reges terræ, quos et pilas habet.

Nec est quod armis fidat, aut ferro, aut æreis militum cuneis; ut enim ille ipse S. Præsul: *Ferrum Imp. fines non tuetur, si cœlestis Dominus offendatur.* Sed ne longiùs, videamus quis deinde sit ille Regulus?

II. Omnis homo. R gulus est omnis homo, sit ille in sacco & pulvere, sit in purpura & auro; Regulus est, & naturâ quidem.

In Apolog. Tertulliano teste, oraculum Apollinis rogatum quid esset homo, respondit: *Dominus morientium, & Dominus resurgentium*; & rectè.

Venaris, ô homo, & per avia, inviaque sylvarum feras indagas, capis, cædis, & tibi quidem cædis: sicque illæ, tanquam victimæ suo Regi cadunt; cadunt, inquam, & jugulum dant omnia propè animantia, tam silvestria, quàm domestica: ita *Dominus es morientium*; sed & *resurgentium*. Agricolæ manu mittitur in terram semen, & tristi sævaque hyeme moritur; at vere resurgit, pullulat, geminat, frondet, floret, & fructus edit: & hoc tibi, veluti *Domino resurgentium*, & hujus inferioris Universi Regulo.

Regulo, inquam, non à lutea mole corporis; sed à mente, atque intelligentiâ; à ratione, quæ io homine, ceu microcosmo, est quod in aula Rex. III. Ratio.

Illa, illa ratio est, quæ voluptatem cæcam gubernat, ducitque partes in omnes, quæ appetitum, seu concupiscibilem, seu etiam irascibilem, Dominio tegit politico: sensus autem, membra corporis, despotico, servorum instar ac mancipiorum. Quod Dominium quamdiu stat, vigetque; stat, vigetque in reliqua omnia Dominatus: *Si vis tibi omnia subjicere te subjice rationi; multos reges si ratio te rexerit*, inquiebat Seneca. *Epist. 37.*

Et meritò, quia ut optimè Arabes Philosophi, *Ratio est venatrix cordis*: quia scilicet rationibus, non viribus capiuntur corda, & subditi reguntur ratione ut Regulo.

Huic porrò Regulo, sua quoque sunt insignia, eáque regalia: nempe corona Prudentiæ, sceptrum Justitiæ, purpura Fortitudinis, fibula aurea Temperantiæ: hæc dum tuetur, benè habet, salva sunt omnia, salvus & filius, de quo sequens instituetur quæstio.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Cujus filius infirmabatur.* vers. 46.

QVIS ILLE FILIVS?

Et quæ ejus infirmitas?

Homo Regulus.



Egulum illum diximus esse hominem, cui est filius, imò & filia: tam hæc, quàm ille plerumque malè affecti.

Ejus filius. Filius, est appetitus superior, quem Rationalem appellamus.

Ejus & filia. Filia, est appetitus inferior, quem Concupiscentiam dicimus.

In hujus, atque illius amore id plerumque usu venit, quod in affectu patris erga filium, aut filiam.

Aristoteles inter sua problemata hoc statuit: Id à natura comparatum esse, ut patet mollius quadam amoris inclinatione plus feratur in filiam, quàm in filium; uti contrà mater plus io filium, quàm in filiam.

Ejus amor in hanc, & illum. Ratio hujus, & illius est; quòd pater filiam spectet, ut sexu, ita animo magis infirmam, indigámque opis paternæ: mater autem filium respiciat, ut familiæ columen, ut baculum senectutis suæ. Unde hooc anfarie convincitur amore Concupiscentiæ, quæ proprium bonum attendit; pater verò amicitiæ, quæ ad filiæ bonum assurgit, nec ad suum inclinat.

Quod filio, & filiæ pater; id homo appetitui rationali seu voluntati, & sensitivo, seu concupiscentiæ: hinc enim amat tenerè magis, illam duriusculè: *Ejus infirmitas.* hinc malum infirmitatis tam hujus, quàm illius.

Quæ sit illa quæris? Audies ex D. Bonaventura esse septemplicem: *Dom. 20. post Pent. Serm. 1.*

Secundùm septem peccata capitalia, septem sunt infirmitates animarum, inquit.

I. Superbia. *Prima est infirmitas Superbia*; hac plerumque laborantiù, quos aut fortuna opibus donarit, aut honoribus; quos supra vulgus erexerit: *Infirmata est altitudo populi terræ*, aiebat Isayas non sine gemitu. *Cap. 24.*

Altitudo est alta mens ac superba; quæ quantò in se altior, tantò Deo teste depressior.

II. Invidia. *Secunda infirmitas, est Invidia*: ea quondam laboravit Rex Joram, qui per summum scelus fratres suos sustulit, & cœlo vindice *mortuus est in infirmitate pessima.* *2 Paralip. c. 21. v. 19.*

III. Ira. *Tertia infirmitas, est Ira*, eáque gravissima: *Grave est saxum, & onerosa arena; sed Ira stulti utroque gravior*, inquiebat Sapiens. *Prov. c. 2.*

Hac laboravit olim Antiochus, qui in Judæos ignem spirasse visus, & ab eo miserabiliter expirasse. *2. Machab. c. 9.*

IV. Avaritia. *Quarta infirmitas, est Avaritia*, quam olim stylo notavit Ecclesiastes, & longè gravissimam esse duxit.

Est & alia, inquit, *infirmitas pessima, quam vidi sub Sole, divitiæ conservatæ in malum domini sui.* Hieronymus vertit, *Languor pessimus.* Olympiodorus, *Gravis & intensus morbus.* Salvianus, *Pessimum, ac feralissimum morbi genus: quid enim pejus, aut quid miserius, quàm si* *C. 5. v. 12.* *Lib. 1. ad Eccl. Cath.*

quis

quæ præsentia bona in futura mala convertat? Et quæ ad hoc à Deo data sunt, ut paretur ex eis beatitudo perpetua, per hæc ipsa quæratur mors, ac damnatio sempiterna? Quæritur autem per Avaritiam, & insanam auri, argentique sitim, quam Philo licèt Judæus: *Arcem omnium iniquitatum*, appellavit. *L. de Iudic.*

Bias, *Malitiæ metropolim.* Apostolus, *Radicem omnium malorum, idolorúmque servitutem.*

Zeno Veronensis, *Simulacra gentium.* Ejusmodi nimirum sunt argentum, & aurum, si iis utaris malè; secus autem si benè: ut enim eleganter ille S. Præsul: *Si erogaveris, pecunia est: si servaveris, simulacra;* quibus ubi seipsum immolarit Avarus; immolat & dæmoniis: sed ne longiùs.

V. Acediæ. Cap. 10. *Quinta infirmitas, est Acedia;* de qua illud Ecclesiastici: *In pigritiis humiliabitur contignatio*, id est, ut explicat Glossa: *Ædificium virtutum, & infirmitate manuum, id est, operum, perstillabit domus, scilicet mentis.*

Nimirum ea pigritiæ infirmitas est, & ab illa hoc malum; *Stillæ cogitationum, & desideriorum malorum, ac tentationum incidunt in domum mentis*, eámque lentâ alluvione exedunt, ac pessundant.

VI. Gulæ. Cap. 38. *Sexta infirmitas, est Gula;* ut enim Ecclesiasticus: *In multis escis erit infirmitas.* Nec certè mirum videri debet, si unus aliquis à Gula infirmus sit; cùm ab eadem etiam genus humanum universum infirmum relictum sit seros in annos & sæcula. Et hoc ab una seu Ævæ, seu Adami ingluvie.

Hanc porrò infirmitatem breviter, sed nervosè explicuit Tertullianus dum ait: *Omnem disciplinam, victus occidit, aut vulnerat.* *L. de Iejun. c. 6.*

Ita occiderunt olim, ita vulneraverunt illas, quibus Servator Optimus intentavit mœstum illud: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* *Luc. c. 21. v. 23.*

Nimirum ut interpres est D. Ambrosius: *Illæ edebant bibebant; & hinc in illis intimorum gressus pigrescebant animorum, effœta virtutum, fœta vitiorum.*

Vis nosse quorum vitiorum, & quarum infirmitatum infelicis animulæ? audi quid Basilius:

Homil. de Parad. *Corpus abundè saginatum, & anima illi immersa, & ad peccandum proclivis facta, compendium quoddam est ad lasciviam, & procacitatē, & simul ad omnia quæ vetita sunt.*

VII. Luxuriæ. *Septima infirmitas, est Luxuria;* ab illa cadunt, & juvenes nervosi, & effœti senes.

Cap. 40. De illis testis erit Isayas: *Iuvenes*, inquit, *in infirmitate sua cadunt;* porrò infirmitas illa est Luxuria: *Hæc in senibus insania est;* ut enim pulchrè Seneca: *Adolescens luxuriosus peccat: senex luxuriosus insanit.*

Epist. 12. Hanc autem infirmitatem D. Paulinus, *Paralysim animorum* esse dixit; qui enim libidine laxatur, torpescit totus, & hominis amittit munia, truncóque similis redditur.

Clemens Alexandrinus *Epilepsiam* appellavit; quod morbi genus tam triste, tam ærumnosum, tam exitiale est, ac morbus comitialis. Invadit enim principem hominis partem, scilicet cerebrum; illi vitium affert, furorem excitat, sensum adimit, vitamque interrumpit: ut proinde meritò dixeris Epilepticum vivum esse cadaver: cadaver quidem, quia viduatur sensu; vivum autem, quia fœdo tremore, & artuum concussione ad usque mortem miserè vivit, & is est luxuriosus, *Epilepticus* est: caret enim omni pietatis, ac divinorum sensu, furiis agitatur totus, & nusquam quiescit, vitiata scilicet principe hominis parte, hoc est ratione. *2. Pædag. c. 10.*

Basilius Seleuciensis altiore voce usus, *Luxuriam*, censuit esse *Pestem vivacem*, quæ scilicet interiora depascitur, & libidine, ceu flammis voracibus, adurit. *Orat. 5.*

Ecce qui & quales à Luxuria morbi: ii scilicet à quibus, & hominum summum malum, summa injuria; ut enim disertè Tertullianus: *Effœminatione violatur Majestas, & Divinitas constupratur.* *Apolog. c. 15.*

Majestas quidem violatur; quia homo per luxuriam, *tollit membra Christi, & facit membra meretricis.* *1 Cor. c. 6. v. 15.*

Divinitas verò *constupratur*: quia impudicus in Dei munditiem injurius est, illam quodammodo maculans eâdem labe, in illa scilicet natura, quam sibi hypostaticè univit.

Et hinc illi graves Deo vindice decernuntur pœnæ: exemplo erit infelix muliercula, qua cum Clericus unus aliquot annis male vixerat.

In morbum hic incidit, qui scilicet illi erat opportunus monitor: verùm ut illi esset, at non fuit impudenti fœminæ, quæ etiam illum ubi primùm convaluit ad illicitam venerem pellicere dum conatur, eadem qua ille prius lue corripitur, contabescit, conficitur, & infelicem expuit animam. Vix illâ vacuum erat cadaver, cum adsunt, & ostium pulsant Æthiophes bini, quorum unus frænum manu gestabat. Pulsantibus adest Clericus, quæritque ecquid velint? Cui illi. Mulam, inquiunt, quærimus, quem hic habes domi. Negat, pernegat ille sibi domo aliquam esse mulam, tum illi vim inferentes, domúmque subingressi, muliebri cadaveris ori frænum imponunt, & cum eo mox avolantes, domum immani, ac tartareo fœtore, & Clericum ingenti horrore complent; illudque & auribus, & animis mortalium ingerunt opportunè: *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.*

Et hæc ex litteris datis Curcho ex regno Peruano Anno 1652. 31. Julii ab uno è nostris Sacerdote, omni fide digno.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Heri horâ septimâ reliquit eum febris.* V. 52.

QVÆ SIT ILLA FEBRIS? ET QVAM VARIA? Quæ deinde hora, quâ ægrum deserit?



ENIAM dabis, Amice Lector, si paululùm abeam à littera, & ad mysticum sensum accedam: ut enim corpori, sic & animo sua febris. & fortè tam hæc, quàm illa Reguli filium invaserat, & ab utraque, à Domino, ceu supremo medico, liberatur. Aiunt enim ad herum servi: *Heri hora septima reliquit eum febris;* utique tam animi, quàm corporis.

De hac quæstionem movere, artis est medicæ; de illa, laboris nostri atque instituti: animos quippè curamus, non corpora; ideóque hîc ponimus illud in quæstione: quæ sit animi febris, & quàm varia. *Febris animi.*

D. Ambrosius eâ qua solet elatæ mentis solertiâ ostendit, quos febrium æstus, & ignes patiatur animus ab appetitu seu concupiscibili, seu irascibili: & hoc in socru Simonis & Andreæ, velut in emblemate quodam animato.

Fortassis,

Lib. 4. in c. 4. Luc.

Fortaßis, inquit, *in typo mulieris illius socrus Simonis & Andreæ variis criminum febribus caro nostra languebat, & diversarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris; nec minorem febrem amoris esse dixeris quàm caloris.* Varia. *Itaq́; illa animum febris, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra Avaritia est; febris nostra Libido est, eò quòd ignita sint cupiditates; febris nostra Luxuria est; febris nostra Ambitio est; febris nostra iracundia est, quæ licèt corporis vitia sint, ignem tamen oßibus implicant, mentem, animum, sensumq́; pertentant.*

Hactenus mellea oratione Ambrosius, qui subjicit exemplum Theotimi à Luxuria febrientis: hic audiens à medico se perditurum oculos si uxori misceretur; libidine victus, exclamavit: *Vale amicum lumen: sic febris libido fragrantior est, graviusq́; præcipitat, & inflammat.* Has porrò flammas, & incendia vidit Angelicus Doctor, qui in hominum animis tot statuit febrium genera, quot in iis notantur vitia capitalia; quæ singula cum singulis febrium speciebus apprimè conveniunt; sic enim inquit:

Serm. in Dom.
Septuplex.

Febris continua, est Luxuria; Quotidiana, Gula; Tertiana, Ira; Quartana, Acedia; Hectica, Avaritia; Ephimera, Superbia; Putrida, Invidia.

Analogia febris.

Ut autem clariùs elucescat, peccatum animi febrim esse, subjiciemus Analogias quasdam febris animi, cum ea, quæ corporis est; ut in aperto sit, qui hæc cum illa conveniat.

Est febris calor vitiosus, repugnans calori naturali; cor malè afficit, vel inficit.

Et peccati.

Et peccatum lethale quodcumque demum illud sit, calor est, non insitus à natura, non à benigniore cœli luce; sed extrinsecus, & quasi adscitus à culpa: & is quidem repugnans calori naturali; hoc est, amori Divino, quem natura in nobis esse voluit. Prima. Cor ille vitæ sedem (hoc est animam) quæ corculo carior ac pretiosior, pessimè afficit, inficit, perdit.

Vis nosse quis ille febris calor? Est æstus malignior, & accensa quædam cupido, seu auri, seu gloriæ, seu voluptatulæ.

Hunc æstum, hunc ignem extinguere paras, ô æger animule, affusâ velut aquâ, hoc est bonis illis brevi perituris, dum ea tibi porrigi vis, dum iis te proluis: At ex vero non extinguis; sed excitas, potiùs: tibi enim usu venit quod febricitantibus, qui dum aquam liberaliùs ebibunt ut sitim ardorésque sopiant, aut extinguant, excitant magis, accenduntque vehementius.

Orat. contra Usur.

Quemadmodum, inquit Gregorius Nyssenus, *is, qui, precibus victus febricitanti, & quem vehementißimus calor, situsq́; nimia exagitat merum poculum porrigit, exhilarat quidem ægrum perbrevi tempore, dum poculum exhaurit; sed non longè post acerbißimam, & decuplo graviorem febrim misero parit.* Sic voluptas omnis, sive ab inani gloria petatur, sive ab auri libidine, sive à fonte concupiscentiæ, poculum est; exhilarat primùm, recreatque ubi illud epotas ore pleno, inflatisque buccis: at inde tibi & gravior & acerbior febris exurgit, & sitis ardentior: & hæc prima analogia febris animi cum ea, quæ corporis est.

Secunda.

Secunda est, quòd sicuti febris tollit in carne eam humorum temperiem, quæ ad sanitatem conducebat; sic & febrilis æstus animæ turbat penitùs ac pessundat eam passionum affectionúmque temperiem, quam natura, quam ratio, Deusque esse voluerat.

Galen. l. 1. de Morb. caus. c. 2.

Exemplo uno res evadet illustrior: Ira, quæ medicis dicitur: *Fervor caloris circa cor*, Oratori Latino, *motus appetitus sensitivi, & libido quadam puniendi ejus, qui videtur læsisse injuriâ;* quamdiu mentis lumen sequitur, quamdiu suos æstus ardorésque temperat; *Cic. 4. Tusc. Quæst.* benè habet, sanus est, & salvus homo. At ubi febrili igne calere cœperit, ubi æstuare circa cor passionum omnium sedem atque officinam; tum verò *Lib. 5. Moral.* ut scitè notavit D. Gregorius: *Tranquillitatem mentis diverberat, dilaniatam quodammodò, scissamq́; perturbat.*

Est in nobis *mens, & ratio, quæ pro eo quòd omnes cordis cogitationes discretioneque, perlustret, Sol meritò nuncupatur*, ut ait Cassianus, *& hac Ira vitio extinguitur; & inde, illa occidente, perturbationum tenebræ.*

Est in nobis *Mansuetudo, & lenitas* quædam animi, quæ, ut bellè notat D. Ignatius Martyr: *Refert Divinæ gravitatis moderationem, atque temperiem.*

Et hanc diverberat, dilaniat, ac scindit Iræ fervor immodicus; qui etiam moventia multa suggerit, & inanibus coloribus adumbrat, ob quæ irasci, imò & insanire sanum & æquum videatur. Suggerit, inquam, non esse permittendum ut audaces, & impudorati aliena mansuetudine abutantur ad insolentiam, & contumeliam inferendam: indignæ prædæ, & luporum faucibus patere qui mitissimo se ingenio oviculas semper exhibent. Hæc aliáque suggerit ira febrili succensa calore: quem etiam magis exstimulant, accenduntque dæmones, qui ut advertit Divus Chrysologus: *Ut Iram nutriant causas* *Serm. 16.* *colorant.*

Est nobis insitus à natura quidam amor proximi, & arcta amicitiæ necessitudo, arctioráque vincula Charitatis à quibus ita colligantur animi, & corda, ut cor unum, & animus unus esse videatur: & etiam hæc vincula dissolvit frangitque à febre insolescens Ira.

Erat amicus fidelis, veluti *Solatii portus*, ut inquit D. Gregorius Nazianzenus; *Orat. 6.* at & hunc fluctibus suis quatit, ac verberat Ira.

Erat quasi *Hortus conclusus*, in quo molles areolæ, *Ibidem.* gratáque florum, hoc est virtutum, amœnitas: at etiam hos immiti manu colligit Ira, & pes calcat.

Erat veluti *Fons signatus*, qui opportunè aperiretur, ac flueret; *Ibidem.* at hunc primò turbat; dein etiam exsiccat, facitque exarescere.

Ecce quid faciat febrilis æstus animi, & Iræ passio, ubi malè arsent: Ecce ut temperiem tollat omnium earum affectionum, quas natura Deusque homini ad commune bonum indidit.

Idem esto judicium de aliis humanæ mentis affectionibus, ubi similes à febri flammas conceperint. Tertia.

Tertia similitudo febris animi, ac corporis in eo posita; quòd sicuti hæc ex pulsu inordinato proditur; sic & illa.

In hac pulsus, & micatio arteriæ celer, & præceps; in illa pulsus, hoc est cogitationes, affectiones, sollicitudines celeres, præcipites, immodicæ, quæ mentem, ac voluntatem continuò pulsant.

Exemplo disce unico, & tibi sub oculos pone vanulum unum aliquem, qui gloriam, & honoris fastigia impensiùs ambit; ut ille agitur, ut pulsatur insanis desideriis, & ut noctu, diuque sese fatigat, ut quod in votis est, assequatur: nimirùm ut doctè Tertullianus:

Grande votum, quod non natura, nec veritas; sed vitiosa animi paßio commendavit. *L. de Habit. Mulier.*

Quid autem ex ea passione, ex illo voto, ceu pulsu arteriæ, prodatur, disce ex eodem Tertulliano, qui graphicè stultos ac præcipites ambitiosorum conatus sic describit:

Illos, qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet contumeliis omnibus esse in causa votorum suorum. *L. de Pœnit. c. 11.*

Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes.

Nullis conviviis celebres, nullis commessationibus congreges; sed exules à libertatis & lætitiæ felicitate, idq́; totum propter unius anni volaticum gaudium.

Quarta analogia inter febrim corporis & animi, Quarta. hæc est: quod ut hæc; sic & illa sitim excitet, quam non facilè extinxeris; imò auxeris magis quò plus illi indulseris: verum enim illud in febriente.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Id videre licet in ambitioso; quisque demum is fit: Hic instar illius, qui dipsadis morsum dentemque passus est, siti perit. De quo numerosa eleganti que oratione sic D. Gregorius Nazianzenus:

In Iamb. lect.

Est viperarum quoddam dipsas genus,
Quas solitudo Pharia complures alit,
Ac vubrus ejus quale sit nomen docet,
Perit bibendo quisquis hac ictus fuit,
Aqua repertu totus in eas irruens,
Quousque nimiò turgidus potu crepat,
Vita cadente sæva sic cadit sitis.

Quod & in ambitioso verissimum: perire enim hic siti potest; et mederi non potest: exungui siti potest, non sitim extinguere.

Quinta. Quinta compositio febris corporis eum ea, quæ est animi, in eo consistit: quòd sicut illa ex frigore oritur, & in calorem desinit: ita & hæc incipit ab otio desidioso, & torpore quodam frigidæ mentis, qui tandem deficit in æstum, ardorésque incensæ libidinis, ac cupiditatis.

Quod eleganti, & concinnâ similitudine probatum, voluit B. Laurentius Justinianus:

Lib. de Grad. Perfect. c. 9. *Sicut aqua, inquit, quæ caret decursu, & jacet in foveis, putrescit; Ita & corpus otii tabe confectum, concupiscentiarum, & voluptatum carnalium parit, & nutrit insaniam.*

Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est; desidiosus erat

canit Poëta, qui & ratione duce, & experientiâ teste, didicit, ab otii torpore pronum esse labi in ignes, ac rogos incensæ libidinis; à qua quia Dei servum liberum esse cupiebat S. Isidorus Hispalensis, illud posteris reliquit præclarum sanè documentum.

L. 3. Sent. c. 20. *Dei servum sine intermissione legere, orare, operari oportet, ne fortè mentem otio deditam spiritus fornicationis surripiat: cedit enim labori voluptas, animum autem vacantem citò præoccupat.*

Exemplum profert in Salomone qui ab otio desidioso ad veterem lapsus est.

Contuere, ait, *Salomonem per otium multis fornicationibus involutum.* Iis nimirùm Regiam mentem involvit onum, & alias omnes, quas occuparit, involvet: Ne porrò sic te involvat aliquando, mi Lector, age, etiam à muliere; sed forti, sed laboriosa exemplum sume: *Accinxit illa fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum*; vel ut legit D. Ambrosius: *Firmavit brachia sua ad opus*, imò *Festinavit in opus ut Castitatem custodiret*; & tu similiter in opus, ac labores brachia firmes, atque explices; nec unquam illicito ardebis igne.

Prov. c. 31. v. 17.

Sexta. Sexta analogia inter febrim corporis, & animi: est quòd ut illa pravo humore gustum vitiat; adeò ut dulcia amara, & amara dulcia æstimet: sic & hæc efficiat, ut animæ nihil ex vero sapiat, non concio, non pii libri lectio, non sacra colloquia, non res divinæ, non cœlestes deliciæ, quæ prius sapore suo recreare solitæ: nimirùm malè affecto gustu mentis, desipiunt omnia: & hoc à spiritali febre malum est. Iis, qui illa laborant intentatur mœstum illud *Va,*

Isay. c. 5. v. 20. *Va qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

Ex eo hominum genere fuerunt Israëlitæ nauseabundi, quibus minus sapere visum est manna, sapere verò quàm plurimum lenticula, carnes Ægypti; hinc illæ voces nauseantis stomachi: *Anima nostra arida est, anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.*

Num. c. 11.

Altissima Dei manus, ac potentia uni mannæ indiderat quidquid in aliis ciborum generibus erat saporis; & quidquid alibi sparserat deliciarum, quidquid illecebrarum ad gustum, id omne in unico manna collegerat; & tamen ad illud arida est Judæorum anima, & ad illud tota nauseabunda.

In Ps. 46. Ex eo quoque genere fuit infelix Esau, qui ut notat D. Augustinus: *Plus amavit quod corporaliter concupierat, quàm quod spiritaliter priùs nascendo meruerat: & deposuit primogenita sua, ut manducaret lenticulam.*

Uti hoc quo vivimus ævo etiam faciunt è Christianis plerique, quibus ita sapiunt terrenæ deliciæ, ut desipiant cœlestes, & has pro illis vendant pessimi profectò nundinatores, qui, ut cum alto gemitu ait D. Bernardus:

In deliciis, & voluptatibus enutrientes corpora, & corda sua, post dulcedines momentaneas, & horarias suavitates ad æternas amaritudines deferuntur. In Sent.

Septima. Septimum in quo convenit sobris animi cum ea, quæ est corporis, illud esto; quod ut hæc misellum hominem, quem invaserit nullo loco sinat quiescere; ita nec illa.

Pone tibi ob oculos febricitantem; jaceat ille in molli anfere, dormiat in pluma, sive pronus, sive resupinus; nusquam benè jacet; nusquam dormit quietè, sed versat sese partes in omnes: crederes in equuleo suspensum, & catastâ; adeò parum sibi constat.

Et hoc corpusculo languenti à febre malum est; majus aliquid animo, quem invaserit febris ardor, seu veneris ille fuerit, seu malesanæ ambitionis, seu alicujus alterius perversæ cupiditatis; ab hac quippe, & illis sic agitatur, ut nusquam mentem, ousquam vota figat, quiescat nusquam.

Octava. Postremum denique, in quo consentiunt febris corporis & animi, est; quod ut illa aliam ex alia gignit: ita & hæc.

Vidisti subinde laborantem tertianâ, videbis deinde quartanâ, videbis etiam aliquando continuâ; sic una febris ex alia nascitur, una in aliam degenerat.

Et hoc ab illa vitium infertur corpori: simile quid animo; nam acedia gulam parit, & gula deficit in Luxuriam.

Apud Joannem Climachum rogata quondam gula quot baberet stirpes, & quæ iis nomina indidisset? Respondisse dicitur. In Scala spir. gradu.

Primùm eas sine numero, sine lege ex se nasci, ac crescere.

Deinde ex iis præcipuam esse Luxuriam; nimirum ut disertè D. Hieronymus: *Major refectio ventris pitin cruditatem, quæ parens libidinum est*; quod adeò verum, ut Tertullianus ausus sit pronuntiare quod *monstrum haberetur libido sine gulâ*, adeò illa huic unita, atque conexta: *Appendices scilicet gulæ lascivia atque luxuria sunt*, ut inquit idem Author. Epist. ad... L. 1. Spons. c. 10. L. de Iejun. c. ultimo.

Quod ipsum agnovit olim Ecclesiasticus, & stylo sic notavit: *Homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec accendat ignem*; utique Luxuriæ, ut interpretatur Lyranus; imò & vindictæ, barbaræque immanitatis, à qua in vulnera, in cædes facilis est lapsus. C. 23. v. 27.

Exemplum dabit Herodes impius, qui inter fercula, ebriásque mensas innocens Baptistæ caput nocenti ferro truncandum dedit, & puellæ saltatrici in ferculum donavit, inauditâ post homines natos crudelitate; in quam sic aculeatâ oratione D. Augustinus:

Crudele spectaculum caput S. Ioannis in disco feralis missus crudelitatis propter odium veritatis: Puella saltat, & sævit mater; & inter delicias, & lascivias convivantium temerè juratur, & impiè, quod juratur, impletur. Serm. 116.

Subjicitur enim ferro venerandum caput, & offertur in disco; utique à mente ebria, à lingua vino madida, atque diffluente. Ecce ut à febri in febrem; sic à scelere, in scelus, proclivis est via. Quæ hora sanitatis.

Venio ad horam, qua febris ægram mentem deserit, redditque valetudini. ea D. Bonaventuræ alia est, atque alia. Dom. 20. post Pent. Serm. 3.

Una, est *Hora conversionis peccatorum*; de hac Apostolus: *Hora est jam nos de somno surgere*; Utique de somno negligentiæ, ac peccati: ab hoc *surge, qui dormis, & exurge à mortuis,* Ad Rom. c. 13. Ad Eph. c. 5.

Rectè

Rectè à *mortuis* quia propior es mortuo, quàm dormienti, ut qui ne tonitru quidem Divinæ Justitiæ exciteris.

II. Altera hora, est *Operationis Mandatorum*, ea scilicet, qua Dominus vocat operarios in vineam suam; *Serm. 3.* vineam dico, aut *Ecclesiæ*, *aut religionis*, *aut proprii cordis*, *ut ibi crescat vinum compunctionis*.

III. Alia hora, est *Passionis adversorum*; de hac Gentium Doctor: *1. Cor. c. 4.* *Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur.*

IV. In hanc venit Christus tum in omni vita, tum in morte; cùm enim per extrema tormenta sublatus est: *Parasceve erat, hora quasi sexta*; hora utique Passionis. *Ioan. c. 16.* Ad hanc priusquam pervenias, siste paululùm in præcedente: ea est *hora orationis*, *ac desideriorum*, in hanc descendit prius ipse Christus, qui Patrem Æternum *orabat*, ut si fieri posset, *transiret ab eo hora Passionis*. *Matth. c. 16.* Et hoc etiam ora, hoc pete; sed ea lege qua Servator, quem respicies ut *speculum tuum*, *& præmium tuum*; quia ut piè D. Bernardus: *Utrumque mihi es, Domine, & speculum patiendi & præmium.*

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad illa verba: *Incipiebat enim mori.* vers. 47.

AN HOMO SIMUL INCIPIAT VIVERE: simul & mori?

Quid homo? ROGATUS olim Trismegistus quid esset homo? Paucis subjunxit: *Homo est corruptionis vinculum, viva mors, sensitivum cadaver, sepulchrum convertibile.* Rectè *viva mors*, ut qui vivendo moritur; & tamen moriendo vivit, mirabili sanè nexu vitæ mortalis, & viventis mortis; quam ut oculis supponerent viri sapientes, & hanc & illam aliis atque aliis similitudinibus expresserunt.

Quid ejus vita? Pittacus inter sapientes Græciæ & dictis, & factis nobilis; in Mytilene templis augustissimis *Scalam* dedicavit ut humanæ vitæ symbolum; quòd ea nihil esset aliud quàm ascensus & descensus, *I. Scala.* continuúsque mutatio, non solùm ab innocentia ad malitiam, à libidine ad continentiam, à prudentia ad temeritatem; verùm etiam à gradu ætatis in aliùm: Nam ab infantia ascendit ad pueritiam; à pueritia ad adolescentiam; ab adolescentia ad virilem statum; in quo vix consistit.

Mox enim ab hoc descendit primùm ad senectam; Dein ad senium; itaque in illo tam ascensu, quàm descensu vivit, ac simul moritur. D. Gregorius Nazianzenus, vitam hanc mortalem aiebat esse totam.

II. Rota. *Rota est incertò fixa brevis hæc, & multiplex vita, sursum movetur & deorsum trahitur; neque enim stabilis est, quantumvis ita videatur, fugiens tenetur, & manens effugit.*

Ecce vitam, & unà etiam mortem, quam simul *Cap. 7. v. 6.* ordiri incipit homo; ut enim bellè Sapiens: *Unus introitus ad vitam, & similis exitus.* Introitus vitæ cum exitu nectitur, ut hunc inter & illum nihil intercedat: mox enim ut vivere cœperit homo, mori incipit. Quod dum agnoscit D. Hieronymus, sic ad amicum ægrotum scribit.

Epist. 6. *O angustum, & satu anxium tempus vita mortalis, ubi cum initio nominatur & finis; initium nostrum cum fine suscipimus.*

III. Circulus Senecæ Philosopho vita *Circulus* est, aut sit mavis varii circuli, è quibus alius alium ambit, & unus omnes premit circumvolutione.

Unus dies, inquit, *gradus est vitæ; tota ætas partibus* *Epist. 12.* *constat, & orbes habet circumductos majores minoribus. Est aliquis, qui omnes complectatur, & cingat: hic pertinet à natali ad diem extremum.*

Ubi primùm incipis circulum ducere, vivere incipis, & simul etiam mori. vita quippe circulus, & mors quoque circulus. Hunc nec primum punctum facit, nec ultimum; sed tam hoc, quàm illud; tam etiam alia, quæ interjacent: hæc, inquam, omnia circulum faciunt, ideóque vitam, & mortem.

Theodoro Studitæ *vita nostra ceu pernix eques decurrit dum urgeamur ad metam*: spectasti equitem celeri insidentem equo, emissumque è carcere; ut ille labitur, ut ad metam evolat. Est ille quisquis is est, tuæ symbolum & imago vitæ; sed animata. Corpus tibi pro equo est, animus pro sessore; nativitas pro carcere, è quo emitteris in arenam vitæ hujus, & citato perennique cursu ad mortem properas, nec pedem sistis ignavus eques; sed velis nolis decurris ad metam: imò & raperis. Dum primùm currere incipis; incipis & mori: dum promoves, mori pergis; dum finem attingis, absolvis mori. *IV. Eques. Serm. 66.*

Palladio vita nostra *Navigatio est*; in qua alii secundis feruntur ventis; alii contrariis: omnes in unum sub terra portum appellunt. *V. Navigatio.* Spectasti navem è portu aliquando solventem; ubi illa ventos admisit, ubi plenis velis hausit, fertur per æquora citato & perenni lapsu, nec anchoram figit, nisi in portu: sic & hominis vita; surgit hæc è natali loco, diéque, velut è portu, & hoc mundo, ceu æquore, vecta, continuò labitur, dum portum assequatur æternitatis. Et sicuti navigationem non facit unus maris tractus; sed tota illa Oceani intercapedo, quæ est à portu in portum: sic nec vitam facit una dies, annus unus; sed quotquot decurrunt à natali, primáque luce ad extremam, ac fatalem. In prima mori incipit, in media mori pergit, in ultima mori desinit: Adeò verum illud quod initio quæstionis mihi proposui: hominem tum incipere mori, cùm incipit vivere.

Quod ipsum jam ostendi ex ipsa vitæ lege aliis atque aliis nominibus expressa: tum clariùs explicabo, ex ævi nostri dierumque fluxu; tum ex ipsa corporis humani fabrica.

Volat irrevocabile tempus, truditur dies die, novæque pergunt interire Lunæ, & nos cum illis interimus; quam dierum, noctiúmque vicissitudinem, *Temporis fluxus.* & cum ea vitæ nostræ occasum pulchrè aperuit D. Damascenus hac parabola.

Arbor erat, eáque imminens vastæ voragini, in quam facilis & præceps lapsus; ad ejus radices adhærescebant mures bini: albus unus, niger alius; tam hic, quàm ille inimico tenacíque dente rodebant radices arboris, cui fortè insidebat adolescens, & pendulum è ramis favum mellis libabat, periculi, ut videbatur, inscius, vel certè parum sibi providus: dum enim mella libat, & tantillæ voluptatis illecebrâ capitur, radicem édunt exeduntque infesti mures, ipseque unà cum arboris trunco in ima præceps labitur, gulam frangit, vitamque miserabili casu amittit.

Quæ sit illa arbor quæris? Est hæc mortalis vita: mures illi duo, hinc albus, & inde niger; dies est albicanti similis, & nox atra ac tenebrosa; tam hæc, quàm ille alterno dente, arboris nostræ, hoc est, vitæ, radices arrodunt, absumuntque: Favus mellis est modica voluptas; adolescens omnis homo, qui de futuris parum anxius, præsentia spectat, iis indulget ac fruitur, periculi impendentis vel nescius, vel certè parum cautus; cùm tamen nulli satis cautum sit in horas: quibuscum scilicet effluimus ipsi, & etiam nolentes aliquid amittimus ævi.

Hunc porrò quà temporis, quà vitæ nostræ fluxum, aperuit Scriptura, cùm illud Oraculum luci
2. Reg. c. 4. dedit: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram.* Cujus sententiæ memores olim Judæi, quoties aliquis moreretur, effundere soliti omnem aquam, quæ tum in ædibus erat; ut hoc symbolo ostenderent, humanæ vitæ dies effundi, ut solet vas aquâ plenum.

Corporis fabrica.

Et hæc prima ratio cur etiam tum incipiamus mori, cùm primùm incipimus vivere. Altera petitur ex ipsa naturæ nostræ corporisque compagine, quæ seipsâ solvitur & diffluit:

Docent Physici, docent una voce etiam Medici, in viro & sene vix superesse ullam materiæ portionem, quæ in infante fuit; calor enim nativus ita depascitur, ita exedit, absumitque humidum radicale, ita universam carnis molem, ut continuò alia fit, atque alia; restauratur quippe nutritione, quod à calore absumptum; & nisi dispendia illa restaurarentur, brevi dissolveretur, ac periret universa corporis moles: & ut non dissolvatur ac pereat, at continuò alia atque aliâ; alia, inquam, in viro, alia in sene. Itaque aliquâ sui parte alius atque alius homo, qui vivendo perpetuò moritur, & moriendo, etiamnum vivit.

Quod si ita est, unum restat, ut quod natura
Incipe mori. Deusque necessitatis esse voluit, faciamus esse virtutis; incipiamus scilicet mori: at quomodo inquies?

Primùm, assiduâ mortis memoriâ, piâque commentatione, qualem usurpare solitus B. Franciscus Borgia, qui summo manè cùm primùm è strato
I. Mortis memoria. surrexisset, ter humum, ceu communem matrem, osculari solitus: eòque osculo sub oculos, amoresque ponere mortis imaginem; quam etiam frequentiùs usurpare Cardinalis Baronius, qui cùm revelatione didicisset victurum se ad annos novem supra sexaginta, Hunc numerum per ædes suas, per aulas, per cubicula, perque superliminaria portarum appingi curavit; ut quoties incurrisset in oculos, toties animo recurreret postremi anni mortisque memoria: à qua id sortiebatur boni, ut & quotidie moreretur; & se suáque omnia disponeret ad diem illum ultimum.

II. Desiderio Alterum occurrit, in quo etiam incipias mori, ut scilicet cùm mortem habeas in oculis; habeas etiam in amoribus, primísque votis.

In ejus vita. Ita habuit olim S. Theresia, quæ quoties auribus excepisset horæ pulsum; hæc animo, imò hæc voce secum loqui: *Benè est, ô Theresia. Benè est, ô animule mi! propiùs ad mortem accedimus*; jam effluxit hæc hora, effluent & aliæ, unáque etiam vita, quam ubi exuerimus, liberi hac mole corporis summo fruemur bono. Hæc S. Virgo, quæ ad singulas diei horas novis incessere lætitiis, & ardentioribus votis ambire horam ultimam; adeóque & incipere mori. Uti & incœpit ille, de quo Author non ignobilis.

Per avia, & invia sylvarum abierat eques unus aliquis, & quidem solus, incertâ vagâque semitâ errabundus denso in nemore: cùm fortè ad aures appellit vox canora & mirè suavis, quæ sese explicabat in gaudiorum cantica, à quibus sonare sylvæ, & nemora. Ex Flor. Henriquez.

Hanc vocem dum audit ac sequitur eques, despicit illicò in cavernâ altiore latitantem homuncionem, & quidem misellum, pannosum, horridum, tabe, & lepra diffluentem, specie ac forma miserabili; tum ex illo quærit: An fortè sit ille, unde auditæ illæ voces, & cantus amabilis? Ego, inquit, ipse sum, cui etiam in illa lue, morbíque molestiis id solatii, id gaudii; quod Deum inter & me tantùm intercedat hic paries, hæc maceria laceri corporis, quam dissolvi ac dilabi dum adverto, simul etiam video viam aperiri, unde ex hoc carcere elabatur animula, Deóque reddatur suo.

Ecce ut incipiebat mori leprosus ille noster, pauperculus terris; sed Cœlo dives. Nimirum ut pulchrè dicere solitus B. Philippus Nerius: animæ Deum amanti vita hæc mortalis fastidio est; mors autem in desiderio.

Ita fuit olim Raymundo Lullo, viro in paucis Sancto: Excesserat ille in avia viarum, ut istic sine teste, sine arbitro & suspiriis indulgeret, & justis (ut rebatur) de tarda morte querelis; quas dum liberiùs explicat, fortè ad fontem occurrit Eremita vir pius, ex quo quæsivit illicò; esséne modus abeundi è carcere? Subintellexit agi de carcere corporis hujus, & statim subjunxit: & mihi idem est carcer, idémque votum ex illo quàm primùm exeundi. Placuit Raymundo id votum, is animus, & simul itum in querelas de morte, quòd tardo adventaret pede: alas illi adaptari voluissent, ut advolaret quàm citissimè.

Ecce ratio, quam inierunt Sancti, ut in annos, in dies, in horas inciperent mori. Aliam dabit Augustus Cæsar Carolus hujus nominis quintus; qui ut perennem mortis memoriam circumferret, circumferebat & arculam, in qua funebre sudarium, aliáque vel opportuna, vel necessaria condendo corpori jam exanimi; quæ subinde reseratâ arculâ manu prensabat, usurpabátque oculis; ut & sic inciperet quodammodo mori. Qui arculam illam spectabant Aulici, rebantur in ea repositam aut vim auri ingentem, aut gemmas ex ultimo Oriente: at pro auro, gemmisque funebre sudarium erat (& hoc instar thesauri) quod circumgestaret Augustus, qui sic corpori providebat, imò & animæ in horam illam ultimam. III. Sudario fu-nebri.

Et tu sic provide, benevole Lector, sæpiúsque illud apud te meditare, longum iter à morte ineundum esse; ideóque ad illud per otium paranda omnia: nec expectandum donec fores pulset mors improvisa, quia *serò parantur remedia, cùm mortis imminent pericula*; ut scitè pronuntiavit D. Augustinus.

DOMI-

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.



N hac Parabola duo ſpectabis, Amice Lector:

Primum, ſingularem quandam ac Divinam ſupremi Numinis erga mortales, ſeu mancipia ſua, indulgentiam; qua fit, ut innumeris, ac graviſſimis injuriis laceſſitum, non tamen in ultionem feratur (quod eſſet Iuſtitiæ) ſed in veniam (quod eſt Miſerationis.)

Secundum, inſignem homuncionis erga hominem conſervum ſuum inclementiam, atque efferatum ingenium. Et hoc & illud patebit ex ipſa Parabolæ ſerie, in qua Regnum Cœlorum componitur cum homine, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis; dumque reipsâ poneret: *Oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta*; Ingens omninò ſumma: talentum quippè valebat ſexcentos aureos; centum talenta, ſexies ſexcentos aureos: mille, ſexcenta millia aureorum: denique decem millia talenta, ſexagies centum millia aureorum. Hoc eſt ex noſtra ratione computandi ſex milliones aureorum; immanis profectò ſumma, immanéque debitum, cui ſolvendo cùm non eſſet, ad Domini genua lapſus, ad ſingultus, ad lacrymas, ad preces confugit: Et has inter jactavit illud: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Matth. c.18. v.24.

Mirum profectò, & patientiam obtinuit, & quod ampliùs erat, debiti remiſſionem.

Ab hac lætus dum abit, incurrit in miſellum hominem conſervum ſuum, *qui debebat ei centum denarios*, hoc eſt, centum Iulios, vel Regales Hiſpanicos; exiguum ſanè debitum, quod tamen, ut etiam vi extorqueret, *tenens ſuffocabat eum*; inclamans durum illud, atque immite, *Redde quod debes?*

Quid hìc conſervus? In terram illicò labitur, ad genua accidit, & lacrymas inter effundit etiam illud: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; at nec patientiam, nec miſerationem, nec indulgentiam invenit; ſed in vincula, in carcerem miſſus.

Et hæc eſt hominis in hominem inclementia, quâ commotus Rex immitem illum, impiúmque ſervum ad ſe revocari juſſit, & obſcuro includi carcere; imò & tortoribus tradi, *uſque dum redderet univerſum debitum.* Et hæc Parabolæ ſumma; è qua diſcis indulgere, ſi tibi velis indultum.

EX D. THOMA.

Serm. 1. AB inclementia ſervi erga conſervos ſuos, abit S. Doctor ad juſtas Domini iras, & decretam

Matth. c.18. inde pœnam: *Iratus enim Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quouſque redderet univerſum debitum.* In quo tria ſpectantur:

Primò, *Iuſta Dei contra reprobos indignatio*, his expreſſa: *Iratus Dominus.* Iraſcetur autem Deus contra quatuor hominum genera: 1. *Contra eos, qui*

Iſay. 4.5. *Legem Dei ſpernunt. Abjecerunt legem, ideò iratus eſt furor Domini.* 2. *Contra eos, qui uſque in finem in peccatis*

Iſay. 4. *perdurant. Ecce tu iratus es, & peccavimus ſemper.* 3. *Contra eos, qui temporalibus divitiis abutuntur. Ego,*

Zach. 1. inquiebat, *iraſcar ſuper gentes opulentas.* 4. *Contra eos,*

Iacob. 2. *qui proximis non compatiuntur.* Iudicium enim *fiet illi ſine miſericordia, qui noluit facere miſericordiam.*

Secundò, *Dura peccatorum damnatio*, his expoſita: *Tradit eum tortoribus.* Et ii ſunt quatuor, à quibus torquebitur: 1. *A Deo juſto Judice* 2. *A conſcientia. Pœna enim ſua eſt ſibi omnis inordinatus animus.* Aug.

3. *A morte æternâ. Tanget enim illos tormentum mortis.* Sap. 3.

4. *Ab omni creatura, quæ factori ſuo deſerviens exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos.* Sap. 16.

Tertiò, *Ejuſdem damnationis duratio*, ſcilicet, *quoadusque reddant univerſum debitum.* Quod *quadruplex eſt, juxta quatuor, quæ dedit nobis Deus*: 1. Enim *dedit nobis mundum cum creaturis. Omnia*, quippe, *ſubjeciſti ſub* Pſal. 8.

pedibus ejus. Pro hoc debemus ei reddere eleemoſynam, pauperibus ſubveniendo: *Declina pauperi aurem* Eccl. 4.

tuam, & redde debitum tuum. 2. *Corpus cum ſenſibus, quod formavit de limo terræ*; hoc debemus illi reddere, Gen. 2.

immaculatum reſtituendo. 3. *Animam cum viribus. Inſpiravit enim in nos ſpiraculum vitæ, & hinc jure repetitur anima debitum, quod habebat.* 4. *Gratiam cum virtutibus;* & hanc reddere debemus, illi collaborando. 2. Cor. c. 6. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, monebat Apoſtolus.

Qui iſta debita Deo hic non reddident, non reddet in æternum; ideóque ut debitor æternùm torquebitur.

Ex D. Bonaventura leges quæſtione ſecunda, quæ S. Doctor cenſuit annotanda.

QUÆSTIO PRIMA

THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Aſſimilatum eſt Regnum Cœlorum homini Regi*, Matth. cap. 18. verſ. 23.

QVOMODO REGNVM COELORVM COMPARETVR REGI?

SI nuda verba ſpectemus non videtur rectè Regnum componi cum Rege: ſed potius Regnum cum Regno, & Regem cum Rege. Et tamen ipſo Chriſti, id eſt primæ Veritatis, oraculo componitur hîc Regnum, & quidem Cœlorum, cum Rege. An non rectiùs Regnum Cœlorum aſſimilaretur terreno regno, & Rex cœleſtis etiam terreno? omninò rectiùs. Et ita factum oportuiſſet ſi nuda parabolæ verba fuiſſent attendenda: & non ipſa tota res per eam ſignificata: quod ut ponatur in apèrto, & clara luce; notandum illud, in parabolis ſæpè non perſonæ perſonis, nec partes parabolæ partibus rei ſignificatæ: ſed tota parabola toti rei, aut ſententiæ comparatur; quod aliis, atque aliis patebit exemplis.

Cap. 11. v. 17. Mathæi undecimo generatio Phariſæorum, & Scribarum, dicitur *ſimilis pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt: Clamavimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, & non planxiſtis.*

Erat illo ævo (ut advertit Theophilactus) apud Judæos illud ludi genus, pueri in duas partes, & quaſi choros dividebantur, & vitam hominum velut in ſcena repræſentabant, & dendebant inſtar Heracliti illam ſemper deflentis; & Democriti illam ſemper irridentis: illi enim omnia, quæ agimus erant miſeriæ, & hinc fletus: huic autem ineptiæ, & inde riſus. Quod huic & illi: id pueri hebræis, è quibus hi ex unò veluti choro lamentabantur, alii ex adverſo tibiis canebant, at neque lamentantes curabant illi, qui erant ex adverſo canentium choro: neque tibicines curabant ii, qui erant ex lamentantium parte: utroſque verò, velut in Comœdia cum audirent, moroſi ſpectatores, neque ad planctum, neque ad ſaltum movebantur.

Sic Scribæ, & Phariſæi, nec exemplo auſterioris vitæ Joannis, nec laxioris, & remiſſioris Christi provocari unquam potuere, ad vitæ in melius mutationem, converſionem, & ſalutem, nunquam dico potuere, quia noluere ex perverſo ſuo genio.

Et hic parabolæ ſcopus, hic & ſenſus, in quo advertendum, non componi partes cum partibus, neque perſonas cum perſonis, neque enim Christus, & Joannes comparari poſſunt cum his pueris: ſed tota parabola toti rei ſignificatæ adæquatur.

Sic & Matthæi decimo-tertio dicitur *Simile Regnum Cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo*, in quo ſanè, ſeminans non eſt ſimilis regno: ſed potius rei: quaſi dicatur: Similiter agitur in Regno Cœlorum, id eſt Eccleſia, perinde ac ſi quis in agro ſuo ſeminet bonum ſemen, cui deinde inimicus aliquis ſuperſeminet zizania. Cap. 13. v. 24.

Quod in illis parabolis: hoc etiam in hac, quæ præ manibus eſt, dicitur enim *Aſſimilatum Regnum Cœlorum homini Regi*: non quod reipſa regnum comparetur Regi; ſed quod Rex cœli, Regi terræ: ſimiliter enim agitur in cœlis, quod in terris, & à Rege Cœlorum, quod à Rege terræ: hic certè ſi illi offerretur ſervus unus aliquis, cui ex quadam indulgentia remitteret ingens omnino debitum: & hic conſervo ſuo ne obolum, ne ternutium remittere vellet: utique & ad carceres damnaretur, & ad manicas, & compedes, donec exſolveret omne debitum. Quod faceret Rex ille terrenus: hoc & faciet Rex cœleſtis: quod homo, hoc & Deus, quod in terris, hoc & in cœlis; in his non dimittetur debitum, niſi in illis fuerit etiam priùs dimiſſum. Et hic eſt Parabolæ ſcopus, & hic & ſenſus: ex quo quæſtioni propoſitæ fiet ſatis.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Serve nequam omne debitum dimiſi tibi.* v. 32.

QVIS ILLE SERVVS NEQVAM? Et quod debitum?

DIvus Bonaventura, ſtylo ut ſolet ſimplici, ſed candido & pio, in hac parabola tria vult oſtendi: Serm. 1. in Dom. 21. poſt Pent.

Primum, eſt *humana exactionis iniquitas.*

Alterum, *Divinæ dignationis liberalitas.*

Poſtremum, *Intentæ orationis utilitas*; quæ omnia ſatis aperit ipſa Parabolicæ hiſtoriæ ſeries oculis tantùm ſubjecta fidelibus.

In hac porrò dicitur *Servus nequam*; nequitiâ (ut interpres eſt S. Doctor) triplici. Nequitia triplex.

Una eſt hominis *contra ſeipſum*; eſt enim ille ſibi nequam, qui ſe malè vivendo perdit, & animam vitæ chariorem flammis addicit æternis.

Altera

Altera est *contra proximum*, cui vult male, quemque & verbo, & re etiam ipsa persequitur: tenens enim illum propè suffocat, adjiciens durum illud: *Redde quod debes.*

Tertia, *Contra Deum*, cujus judicia, factáve, tacitè damnat; parcit quippe Deus, debitumque remittit: hic autem & per vincula, carceresque sævit, & debitum exigit immani crudelitate, nec ullum miserationi aut patientiæ locum relinquit.

Venio ad aliud, quod mihi initio proposui, quod sit debitum, quo tenetur servus ille nequam?

Debitum triplex ex D. Bonav.

D. Bonaventura (quo authore hîc utor) triplex recenset: *Attende*, inquit, *homo debitum tuum in mundo, in inferno, in cœlo.*

I. *Primum, est debitum iniquitatis, quod solvit pœnitendo, orando, ignoscendo.*

II. *Secundum, est debitum æternæ calamitatis, quod redditur æternum patiendo.*

III. *Tertium, est debitum charitatis, hoc redditur plenissimè in cœlo*, ubi Deus summè diligitur.

Primum debitum dimittitur; secundum solvitur; tertium redditur.

De hoc & illo in præsentia non est quæstio; sed dumtaxat de primi generis debito: quod est *culpa*; & hoc, ut ait ille ipse S. Præsul, *Dimittitur condonanti clementer; amanti ferventer; roganti diligenter; toleranti patienter.*

Serm. 9.

Et hæc D. Bonaventura pro debito servi illius nequam, de quo in præsens est controversia.

Debitum quadruplex ex D. Bern.

D. Bernardus de illo paulò aliter Philosophatur: hominemque Deo debitorem constituit quatuor omninò titulis, è quibus exurgit quadruplex debitum; juvat illum audire etiamnum in scriptis spirantem, & hanc quæstionem moventem.

De quadruplici debito. Serm. 22.

Vis scire quæ, & quibus debeas homo?

I. *Primò*, CHRISTO IESV *debes omnem vitam: quia ipse posuit vitam suam pro vita tua.* Hæc ubi dixit, componit vitam tuam cum CHRISTI vita:

Deinde hanc illâ infinitis titulis superiorem ostendit; tum adjicit nihil reddi posse, quod cum ea compositum alicujus sit pretii, atque æstimationis:

Cum ei, inquit, *donavero quidquid sum, quidquid possum, nonnè istud sic est sicut Stella ad Solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum.*

Denique nè omnino aut vivat, aut moriatur ingratus pro immensa illa mole beneficiorum divinorum, quibus obruitur, offert duo minuta; corpus videlicet, & animam:

Non habeo; inquit, *nisi minuta duo, imò minutissima; corpus & animam.* Et hanc, & illud tibi do, dono, addico, ô JESU amantissime: & hæc de primo debito Doctor Lacteus.

II. Secundum debitum est illud, quod exurgit ab anteactæ vitæ sceleribus, à quibus mirum quantum divinæ Justitiæ debitor est homo.

Exigunt, inquit, *à me præterita peccata mea, futuram vitam meam; ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

III. Tertium debitum, est beatitatis, & cœleste Regnum: *Ad quod emendum totum te, & quæcumque, & undecumque contrahere poteris; dare oportebit.*

IV. Quartum debitum (quod ordine naturæ primum est) dicitur creationis; est enim Deus *Creator tuus, ô homo; tu creatura: tu servus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes. Illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi; qui ministrat siderum cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem.*

Ubi sic de quadruplici debito discutit S. Doctor, tum injicit quæstionem: *Cui horum quatuor, proponas reddere, quod debes?* cùm singula te totum suo jure vendicent; & cùm ne uni quidem sis solvendo, sed æternùm futurus in ære Dei, quasi à se alienus, exclamat.

Eia Domine vim patior, responde pro me; In manus tuas commendo munusum meum: tu persolve, tu ab omnibus libera; quia tu es Deus; qui scilicet solus debito meo facere potes satis.

Et hinc elabor ad alteram quæstionis propositæ partem, quàm immane sit peccati debitum?

De hoc quippe unico in præsens instituetur disceptatio, in qua hoc ex dictis conficio.

Peccatum debitum esse.

Peccatum debitum esse. Patet illud ex fide atque authoritate tum D. Bonaventuræ, tum D. Bernardi, quibus ad majus pondus addo Tertullianum, Ambrosium, Augustinum; sic ille habet: *Debitum delicti figura est*; hic autem, explicans illa verba Dominicæ orationis: *Et dimitte nobis debita nostra*; Quid est, ait, *debitum nisi peccatum?*

L. 2. de Orat. L. 5. de Sacram. c. 4.

Ab hoc certè relinquitur, *ut omnis homo debitor Deo sit; quia omnis homo peccator*, inquit Augustinus. Neque solùm Deo per peccatum debitor est homo; verùm etiam, quod oderis ac fugias, *Factus est diabolo debitor*, ait D. Augustinus.

Serm. 15. de Verb. Dom. Serm. 18. de Verb. Dom.

Ut enim pecunia, quam vel mutuò accipis, vel ad censum, vel quam pro emptis mercibus debes, te creditori debitorem constituit; sic & peccatum diaboli, cujus scilicet merces accipis: Ira quippe, Avaritia, Superbia, & aliud quodvis lethale scelus diaboli merces sunt, quas ubi assumpseris, manes in illius ære; ei obnoxius es, ejus vinculis teneris, & iis te trahere potest ad Dei, ceu Judicis, tribunal. In quo sic contra Judæos, Paganos, hæreticos litem moventem, ac perorantem inducit D. Augustinus:

Æquissime Iudex, judica quod æquum est, judica meum esse, qui tuus esse noluit; ut qui post renuntiationem invasit pannos meos; Iram, Superbiam, Avaritiam, Incontinentiam.

Serm. contra Iud. Pag. Hæret.

In primo Christianæ vitæ limine, cùm Baptismi aquis tingeretur corpus, & animus à peccati macula elueretur; & mihi, & mercibus, & pompis meis nuntium remisit homo, etiam datâ tibi atque obligatâ fide, ô summe rerum arbiter Deus: at illam mox fefellit perfidus, & Cœlo injurius; meas merces, mea signa secutus; meus esse voluit, qui tuus erat, & esse æternùm debuerat. Ideóque mihi cede, quod meum est: non natura; sed culpa: illum, inquam, mihi, & inferis relinque. Sit *Hostia pro noxa.*

Hæc (interprete D. Augustino) ad Deum malus dæmon; in hoc certè bonus Orator, & accusator justus; in cujus ære est peccator, ob ingens, ac portentosum lethalis culpæ debitum: de quo fusiùs quæstione sequenti.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba : *Omne debitum dimisi tibi.* verſ. 32.

QVANTVM? ET QVAM IMMANE DEBITVM?

Peccati debitum infinitum.



N prima quæſtione ex SS. Patrum opinione, & calculo Doctorum illud ſtatui, debitum, de quo præſens diſceptatio eſt, eſſe peccatum lethale; quod quantum, & quàm immane ſit, confici poteſt ex tribus propoſitionibus, quas hîc ſubjicio.

Prima, nemo unus omnium, nec hominum, nec Angelorum pro eo ex æquo ſatisfacere poteſt Divinæ Iuſtitiæ; cui inde obnoxius tenetur homo.

Secunda (quæ ex prima conſequens) *nullum puræ creaturæ meritum ei par eſſe poteſt.*

Tertia, nec ulla etiam pœna etſi portendatur in ipſam æternitatem.

Ut prima poſitio in aperto ſit & clara loce, ſubdam quæ de illa in ſcholis agitant Theologi. (3. Part. Q. 1. Art. 2.)

Primùm enim hanc movent quæſtionem: Fueritne neceſſaria Divini Verbi Incarnatio?

Reſpondent uno ſenſu, una voce, neceſſariam fuiſſe, ut cum quadam æqualitate Divinæ Juſtitiæ fieret ſatis.

Probatur I. Ex Incarnatione. Quærunt deinde: an non ergo purus homo, vel etiam Angelos ſi voles, ex æquo ſatisfacere non potuiſſet?

Suarez cenſet aliquo modo potuiſſe etiam ex Juſtitia, & de condignò, ut loquuntur Theologi.

Probat à ſimili. Sicut Deus conſtituit Adamum caput omnium hominum in eſſe naturæ, omniúmque poſterorum voluntates in ejus voluntate ita repoſuit, ut dum peccaret ille, cenſerentur peccare & cæteri; ita potuit hominem aliquem à gratia, ac ſanctitate ſingularem, ſibíque longè acceptiſſimum, conſtituere caput omnium hominum in eſſe gratiæ, omniúmque voluntates ita in eo ponere, ut dum mereretur ac ſatisfaceret ille, & alii quoque omnes in eo, & per eum mereri, ac ſatisfacere viderentur.

Agnoſcit tamen eam ſatisfactionem non fore æqualem offenſæ: quia ad perfectam æqualitatem neceſſum eſt ut tanta ſit dignitas perſonæ ſatisfacientis, quanta eſt offenſæ: hic autem tanta eſſe non poteſt, ut ſatis ſuperque liquet: & hinc

II. Ex ſatisfactione. Communis habet Theologorum ſenſus, purum hominem, id eſt, qui etiam Deus non eſſet, non potuiſſe ex Juſtitia, & ex condigno ſatisfacere pro peccato ſeu Originali, ſeu etiam Actuali Mortali.

In Pſal. 48. *Non homo nudus; ſed homo Deus*, JESUS-CHRISTUS: *quia nullus alius poterat condignum afferre pretium*, inquit Baſilius, quocum ſentit & D. Leo, cujus hoc

Serm. 1. de Nativit. ex Petri ſede oraculum: *Niſi eſſet verus Deus, non afferret remedium.*

Et hoc ipſum ratio perſuadet; peccatum enim cùm ſit injuria Divinæ & infinitæ Majeſtatis, ab illa ducit trahítque malitiam infinitam, cui æqua eſſe non poteſt quæcumque ſatisfactio, quæ à pura creatura fluxerit: cùm enim ſatisfactio vim omnem ſuam, ac dignitatem, vel à creatura, vel ab indita illi gratia deducat, neceſſum eſt, cùm & hæc & illa finita ſit ut ejus quoque actio atque ſatisfactio ſit finita: quod ſi finita, certè æqua eſſe non poteſt infinitæ malitiæ peccati mortalis, & infinitæ injuriæ, quæ ab illo Deo irrogatur; finiti quippe ad infinitum nulla proportio.

Eſſe verò infinitam peccati malitiam, ex eo cognoſcimus, quòd in humanis etiam uſu venire ſolet; ut ex dignitate perſonæ offenſæ creſcat ipſa injuriæ gravitas: ut enim leges docent, infligere colaphum æquali contumelia eſt; Superiori flagitium; Magiſtratui ſcelus; Principi, Regi, perduellionis crimen, & culpa læſæ majeſtatis.

Imò quod magis mireris, ipſas Regum imagines, muta ſimulacra, ſignáve Regia inſano auſu temerare, luto aſpergere, ſacrilegis manibus deformare, effringere, crimen eſt perduellionis non eluendum, niſi multo ſanguine, vitáque ſuppliciis atrocibus expreſſa.

Quod ſi homines inter, quos ex communi limo, eademque argilla natura formavit, adeóque prima in origine pares eſſe voluit, diſpares tantùm à fortunæ bonis, ab externis illis opum, dignitatúmque phaleris; ſi, inquam, inter illos ea habetur dignitatis, ac perſonæ ratio, quantam in Deo haberi neceſſum eſt? Tantam certè quantus eſt ipſe Deus, cujus Majeſtas incomprehenſibilis, interminata, infinita. A qua proinde in immenſum infinitúmque excreſcit, quæ illi per peccatum fit injuria: & hinc deſcendo ad alteram poſitionem: hanc videlicet.

Nullum puræ creaturæ meritum ſufficere poſſe eluendo vel unico peccato mortali.

Demus homines, quos aut terra tulit unquam, aut Sol aſpexit, unum illud intendere, ut per bona opera huic uni ſceleri faciant ſatis; facient nunquam, etſi preces, jejunia, publicas flagellationes, aliaque hujuſmodi, quæ humana induſtria, pietaſque excogitare poteſt, ſibi pia quadam conſpiratione indicant, & ab Orbe condito ad extremum uſque producant.

Demus aliquid ampliùs; demus, inquam, Sanctos omnes, qui modò vivunt in Cœlis ævo beatiore, exhibere Deo omnia ſua merita; atque imprimis nobiles illos Martyrum cuneos vitam ſuam, vitæque pretium; Virgines caſtitatis ſuæ flores, ac lilia; Confeſſores longævæ patientiæ ſpectacula: neque hæc, neque illa omnia, etſi in unum conjecta cumulum, æquabunt unquam vel unius ſceleris malitiam, vel illatam Deo ter Opt. ter Max. injuriam; tantum ſcilicet & tam immane illius eſt pondus. Quod ut æqua lance penſes peccator, ad mortales, qui jam immortalibus additi ſunt, adjiciamus omnes cœtus Angelicos, puriſſimas illas ſanctiſſimaſque mentes, unáque harum actus omnes, æſtuſque Divini amoris, quibus jam inde ab adita beatitate arſerunt, ardebuntque in omnem poſtea æternitatem.

Hæc, inquam, omnia ſiſtamus Divinæ Juſtitiæ, placandoque offenſo Numini; placabunt illa nunquam, nunquam ex æquo facient ſatis: tam grave, tamque immenſum eſt peccati debitum.

Quod ut apprehendas magis, adde ſi voles ad Sanctorum merita, ad Beatorum ſpirituum amores, atque incendia, adde illa, quibus piè olim æſtuavit Dei Mater & Virgo, & mortalibus omnibus, & immortalibus longè ſuperior quà ſanctitate, quà meritis, quà apud ſuperos gratia: hæc, inquam, conjice in Juſtitiæ Divinæ lancem, & his etiam præponderabit peccati pondus; nec attolletur unquam, niſi

adjicias

adjicias Dei-hominis actus, vitam, vitæque pretium per extrema supplicia expressum. Tantum scilicet & tam portentosum est sceleris etiam unius debitum, quod dum contrahunt incauti mortales, utinam appenderent in statera cordis sui; non adeò leviter, ac temerè illud admitterent: sed proh dolor! nimium verum illud Prophetæ Regii: *Mendaces filii hominum in stateris suis, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum*; quam deceptionem tibi bonam, superis invisam, Deo injuriam, ut agnoscas magis, tertiam potionem juvat ad priorem appendere.

III. Ex pœna. Ea statuet, probabitque: *Nullam etiam pœnam peccato mortali parem esse posse.*

Finge tibi, benevole Lector, unicum duntaxat fuisse & esse lethale peccatum, adeòque ex animo tuo & ex ipsa rerum natura tolle peccatum Angelorum, quod in ipsa Cœli Regia, in superum domo, in sinu quodammodo Beatitatis admissum est.

Tolle & illud, quod in Paradiso, deliciarum sede ab Adamo & Eva patratum est.

Tolle denique scelera omnia, in quæ effusa est infelix posteritas, & unum relinque, & illud quidem occultum, utpote quod timidè produxit cerebello, aut corde miserrimi homuncionis, quale esset cogitationis, aut affectus veneri, qui tamen solem non vidit, nec videbit unquam; sese quippe continuit continétque animi latebris, & quibus erumpet nunquam. Deus unus, & conscientia sibi illius est testis; quam dabis, aut dare poteris pœnam illi parem?

Audeo dicere, si Deus ter Opt. ter Max. in illius unius delicti ultionem, disturbaret cœlos, demoliretur astra, quassaret, effunderétque suis è finibus maria, terram excuteret, confunderet elementa, & hoc Universum quantum quantum est, súsque déque volveret; non esset par illi sceleri pœna.

Dico ampliùs, si urbes, si provincias, si regna confunderet, æquarétque solo; si eorum strage, ac ruinâ mortales obrueret, si flammâ, ferro, fulmine, perderet homines omnes toto Orbe sparsos, sic ut ossibus humanis albesceret tellus universa, & flumina ac maria fuso sanguine ruberent: neque tamen adhuc illi culpæ par esset ea pœna.

Quid igitur ad illam accedere potest, accedat enimverò, ut aliquando culpæ par sit pœna.

In aliquam supplicii communionem vocentur Angeli, cœlestes Genii, puri illi Spiritus, exturbentur illi suis de sedibus, ac denique totum Universum confundatur, & pereat: tali tamen, támque miserabili rerum omnium internecione satis adhuc sefe ulcisci non potest Deus.

Ac ne quis credat, hæc à me dici licentiâ quadam artis Oratoriæ, quæ figuris utitur & hyperbole, è parvis magna faciens, elatione quadam facundæ dictionis. Ne, inquam, quis putet, hæc à me sic prolata: rationem, ceu regulam jis, quæ attuli, applicet, illisque pondere metiatur omnia.

Illa pœna, strages, ac ruina totius Universi finita est (ut in confesso est apud omnes) at verò peccati illius vel unici malitia, & injuria Deo per illud inflicta, est infinita, adeóque hæc illi minimè proportionata: *Finiti quippe ad infinitum nulla proportio.*

Propter hanc rationem æstimavit Angelicus Doctor, & cum eo passim Theologi, etiam in inferno, æternisque illis cruciatibus aliquid elucere Divinæ misericordiæ: etsi enim infelices illas animas æternùm torqueat, torquet tamen infra meritum, infra condignum; quia licet pœna infinita sit secundùm quid, fluxu scilicet æternitatis; at simpliciter & in se finita est, adeóque nunquam æqua peccato mortali, cujus malitia simpliciter infinita: & hæc paucis de illius debito.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Nonnè oportuit & te misereri conservi tui?* v. 33.

AN EA MISERATIO SIT VNICA RATIO dissolvendi debiti?

Homines Deo debitores.



NTER ea, quæ humanus stupor objicit oculis & animo, digna lacrymis & commiseratione est illud: quod plerique mortales intet, etsi gravissimis teneantur obruanturque debitis, profundùm tamen indormiscunt; nec cogitant de dissolvendo illo ære, pro quo Divinæ Justitiæ sunt obnoxii.

Suet. in Aug. Augustus Imperator cùm fortè inaudisset, factâ auctione distrahi suppellectilem Equitis Romani, & cum illa etiam cervical, cui incubuerat sæpiùs, & altùm indormierat, licèt & multis & magnis debitis implicatus; illud sibi emi voluit, ratus fortasse illi inesse vim aliquam soporiferam: at reipsa minimè inerat; erat ab animo istius Equitis, qui nulla cura dissolvendi debiti; in quo profectò non fuit sine nota; at levis illa fuit, si cum tua componatur, ô peccator.

Ecquid enim, reus es nec in hominum ære; sed in Dei tui: in ære dico, in quo non agitur de pecuniola, de argento, de auro, de mercibus brevi perituris; sed de infinitæ molis, ac ponderis debito: & tamen jaces, stertisque profundo somno mersus, mergendus fortè inferno antequam expergiscaris.

Ne potrò sic mergaris, tibi aurem animúmque molliter vellicabo, ut soporem excutias, vigilisque reddaris, & ubi: tum viam aperiam, modúmque, quo te onere liberes. Imò viam aperuit Servator ipse servo illi nequam, cùm sic ad illum: Ratio dissolvendi debiti.

Serve nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonnè ergo oportuit & te misereri conservi tui? Quasi diceret eâ mente, eâ lege remisi decem millia talenta, quibus tenebaris obnoxius; ut & tu conservo tuo remitteres centum denarios, quibus ille tibi manebat obstrictus: hos certè si liberaliter donasses, ego tibi in ævum omne donassem immensam illam summam centum millium talentorum. Scripta quippè Cœlo lex ista: *Dimittite, & dimittemini.* Remissio injuriæ. Luc. c. 6.

Hanc agnovere illustres animæ tum in purpura ac diademate, tum in Pedo & Infula, eique coronatos vertices submisere: è multis duos accipe.

Robertus Galliæ Rex Christianissimus non minus propetè, quàm feliciter detexerat conspirationem contra se factam. Quippe duodecim viri nobiles in ejus caput conspirarant, diémque Jovis sacrum ei sceleri indixerant, notatámque calculo nigriore: ita subinde die quàm optimo, quàm pessima meditantur homines perditi, sicariique nefandi. Exemplo Roberti Regis.

At patuit illicò scelus: cùm comprehensi omnes, atque in vincula dati, crederes actum de fortunis, de fama, imò de vita; & verò actum erat ex Justitiæ lege, debitoque æquitatis; at aliter visum est pio Regi:

Primùm enim in carcere eos ali voluit quàm lautissimè: rebantur nonnulli sic parari ad ferrum futuras brevi victimas: verùm secus omninò accidit; ubi enim sic benè pasti, ipso die Paschatis sacro voluit epulo refici: Epulo, inquam, Eucharistico, nè animæ suus deesset cibus, suæ deliciæ; tum Dominica *Quasimodo* Judicibus sisti, interrogari de crimine, convinci, ac damnari; denique liberos dimitti veniâ etiam datâ, insigni ac propè prodigiosâ lenitate, atque indulgentiâ, quam Rex Christianissimus hausit ex illo CHRISTI Oraculo: *Dimittite, & dimittemini*; sciebat nimirum facilè, ac pronum esse in purpura, sceptróque ingentia coram Cœlo, Deóque contrahi debita; quæ ut sibi remitteret indulgens Numen, priùs ipse conservis suis remittendum putavit.

Symmachi Pont.

Et hoc fuit in potentissimo Rege monumentum avitæ pietatis: nec minus in Symmacho Pontifice Maximo, quem cum Anastasius Imperator Arianus gravissimè, ac diutissimè afflixisset, sic ad illum scripsit:

In Apolog. Tom. 2. Biblioth.

Ego quidem, Imperator. Dominicis & Apostolicis eruditionibus institutus, benedictionem studeo tuis referre maledictis, contumeliis honorificentiam reddere, & odiis rependere charitatem.

Hæc magnus Pontifex, dignus Petri Sede, dignus qui in terris CHRISTI vices ageret, ejusque locum sustineret, non persona tantùm; sed imitatione virtutum. Suis persecutoribus dimisit CHRISTUS, etsi nulli debitor; & non dimittet homo, Deo multis nominibus debitor, maximè verò peccatoris? Quo titulo mirum quantùm obnoxius Divinæ Justitiæ, nec unquam solvendo; nisi fortè aliis dimittendo, etiam sibi dimitti impetrare possit.

Et certè sic impetrabit; stat enim, stabitque in ævum omne illius Oraculi Veritas: *Dimittite, & dimittemini.*

Huic cœlesti pronunciato probè nixus olim D. Gregorius Nyssenus, sic Deum orare, atque exorare solitus:

De Orat.

Domine, ille meus est debitor; ego sum tuus: solvi, solve; dimisi, dimitte.

D. Gregor. Nyssen.

Antequam genua flecteret pius Pontifex, supplex ad Deum veniret Orator, excutiebat seipsum, expendebátque num sibi quicquam deberet unus aliquis? Num se verbo, vel re etiam ipsa offendisset? Tum verò illi remittebat omne debitum, & spe plenus, fisusque illo CHRISTI promisso, *Dimittite, & dimittemini*; sic ad Deum suum: *Domine, ille meus est debitor; ego sum tuus: solvi, solve; dimisi, dimitte.*

Quæ illi oratio; eadem & tibi, mi Lector. Festivo pede venis in sacras Ædes, ad Aras provolveris, manus in Cœlum levas; bonum factum: at priùs attende num quis in ære tuo? Num aliqua insigni affectus injuria? Et hanc priùs dimitte: tum tibi pollicearis fore, ut etiam dimittat Deus.

Poteris enim & liberâ voce, & exporrectâ fronte jactare sacrum illud: *Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Hæc quippè orationi posita lex est, hoc annexum præceptum, ut dimittat, qui sibi orat dimitti: quod more suo & fortiter, & elatè probat Tertullianus:

Ius est, inquit, *superextruendi extrinsecus petitiones cum memoria tamen præceptorum: at cur ita? Ne quantum à præceptis, tantùm ab auribus Dei longè simus: memoria præceptorum viam orationis sternit ad Cœlum.* De Orat. c. 9.

At quod inquis illud præceptum? Audi ex eodem Tertulliano:

Præceptum est, aut ne priùs ascendamus ad Dei altare, quàm si quid discordiæ, vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Præceptũ Dei.

Quid enim est ad pacem Dei accedere sine pace? Ad remissionem, debitorum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem?

Verùm obtrudet unus aliquis: at gravis, at immanis est injuria mihi illata; ea fortunas, famam, vitámque petiit: Qui condonem? Qui remittam omne debitum? Audi ex Divo Leone Pontifice Maximo:

Attendis quod tibi fecerit homo, & non attendis, quæ tu feceris Deo? Si attendis conscientiam tuam sine ulla compensatione, majora in Deum commisisti peccata, quàm in te commiserit homo: & qua fronte vis ut tibi Deus dignetur dimittere multum, cùm tu non acquiescis dimittere parum? Serm. de Mart. Debito mo.

Certè id velle, & effrontis esset animi, & amentis, & iniqui: ut enim disertè D. Gregorius Nyssenus:

Qualis esset amentia, & iniquitas, si homo diceret Deo: Dimitte mihi debenti; Ego autem nolo dimittere meo debitori.

Et hoc ipsum est, quod non quidem ore, & labiis; sed corde, sed re etiam ipsa facis, qui dum ad Deum Orator accedis, injuriarum adhuc memor, & retinens es; ais enim, non inani verborum sono (quod parum esset) sed ipso facto (quod gravissimum.) Dimitte, ô Deus mihi debenti: Ego autem non dimitto meo debitori, quod amentiæ summæ est & iniquitatis.

At rursum obganniet Pelagianus aliquis, justo nulla esse debita, adeóque dum orat dimitti debita, non tam sibi, quàm aliis, qui peccarunt orat; aut certè si pro se orat, id effundit, non tam ex veritate, quàm ex studio demissionis. Ita Pelagiani, quibus Concilium Milevitanum secundum Anathema dixit, & jure sanè meritissimo.

Quis enim (inquiebant in eo consessu Præsules sacri) *quis ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere?*

Certè nemo unus omnium eum hominem ferat, cùm nemo sit expers alicujus culpæ, adeóque & debiti: quod si à Deo dimitti velit, dimittat & ipse priùs, & tum ea vero pronuntiabit illud Orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; quod qua mente dicendum esset, docuit olim D. Joannes Eleemosynarius, cui cùm Sacris operanti adesset princeps irarum retinens, & vindictæ amantior: ubi ad illa verba ventum est: *Dimitte nobis debita nostra*; illicò substitit, & siluit, destinato scilicet consilio; quod dum advertit princeps, adjecit, quod reliquum erat: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Tum S. Præsul: *Vide, ait, in quali hora, terribile quid dicas Deo.* Leont. in ejus vita, c. 38.

Quoniam sicut ego dimitto: ita & tu dimitte mihi; qua voce, quasi fulmine percussus princeps, subjecit quod pœnitentis erat, & verè Christiani: *Quæcumque jusseris Domine, faciet servus tuus*: Et verò etiam fecit, inimicóque omnem injuriam remisit.

DOMI-

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.



OLOSA Pharisæorum turba, ut caperet IESUM in sermone: Primùm blandè sese insinuat, gratiámque captat fucatâ, atque inani adulatione; ait enim: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: dic ergo nobis, licetnè censum dare Cæsari, an non?* Matth. c. 22.

Difficilis atque implexa quæstio, in qua quoquò te vertas, capiaris; si enim licere dixeris, incurris in tumultuantem turbam, & insanas plebeculæ voces, apertámque invidiam. Si licere neges, graves manent Cæsaris iræ, infestus procerum, principúmque turbo: Et hæc quidem si cum homine res foret; at ubi cum CHRISTO, Deóque agitur, in vanum laquei, dolique: *Frustrà* quippe *jacitur rete ante oculos pennatorum*, ante oculos Dei-hominis: hoc ille jam despicit, & opportunè declinat. Prov. c. 1. v. 17.

Ostendite, inquit, *numisma census*. Ubi illud in oculos manúsque venit: tum addidit: *Cujus est imago & superscriptio?* respondent, *Cæsaris*; tum Servator optimus: *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.*

Hîc attoniti hærere, mirari, erubescere, confundi; ubi scilicet aperta consilia; detectæ fraudes, explicati laquei, & ignis suppositus cineri doloso; suppositus, inquam, inimica Pharisæorum manu; miserant enim hi *Discipulos suos cum Herodianis.* Si D. Epiphanio credimus, Herodiani erant istius loci, ac temporis hæretici, qui Herodem Messiam jactabant, ex eo quòd ad illum jam defecisset sceptrum Iudæ: vel certè, si mavis, dic cum Hieronymo, Herodianos fuisse Herodis aulicos, aut milites, vel potiùs eos, qui Herodi tributa pendere, vel exigere soliti. Ut ut sit, pessimum genus hominum, ex fraude, dolis, ac malitia conflatum: à quo discedo ut pauca subjiciam

EX D. THOMA.

Matth. c. 22. AD illa verba: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, tria, inquit, in Christo commendantur.

Primò, *Magisterii dignitas*, & hæc ex quatuor capitibus: 1. *A veritate*, quæ ei soli convenit. 2. *A docendi potestate.* 3. *Ab universitate*, docet enim omnia. 4. *A doctrina*, quam non extrinsecus, ut alii; sed intrinsecus immittit.

Secundò, *Doctrinæ utilitas*, quam aperit quatuor viis: 1. Est *Via pœnitentiæ*; de qua ipse: *Intrate per angustam portam.* 2. *Via Sapientiæ. Viam sapientiæ monstrabo tibi.* 3. *Via obedientiæ*, quam ingressus Propheta exclamabat: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* 4. *Viam mutuæ charitatis*; de qua ipse discipulis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* (Matth. 6. Prov. 4. Psal. 118. Ioan. 13.)

Tertiò, *Docendi æquitas*; ea patet in hoc, quod apud CHRISTUM nulla sit personarum acceptio: 1. *Neque in justificando.* 2. *Neque in docendo.* 3. *Neque in puniendo.* 4. *Neque in remunerando. Unusquisque quodcumque fecerit bonum recipiet à Domino suo, sive servus, sive liber.* Eph. c. 6.

EX D. BONAVENTURA.

EXpendit orationem Pharisæorum plenam fuco: Primùm enim ordiuntur à laude, atque adulatione; deinde descendunt ad quæstionem mirè implexam: ex hac & illa D. Bonaventura mel purioris doctrinæ elicit, ut solent etiam è noxiis flosculis apes matinæ, & quidem primò ex illis verbis:

Dom. 22. post Pent. Serm. 1. *Magister* ostendit quis fuerit CHRISTUS, quis ex verò Magister optimus. Ut is sit:

Primò, *Habeat doctrina lucem, ac claritatem.*

Secundò, *Efficaciam facundiæ.*

Tertiò, *Eminentiam sanctitatis vitæ.*

Hæc enim tria Magistro pernecessaria; videlicet *Scientia regulans, Facundia exprimens, & Vita utrumque confirmans.*

Subdunt deinde, quod optimi erat Magistri: *quia verax es*; & certè verax erat CHRISTUS.

Primò, *Quia habebat veritatem puræ intentionis in in cordis cogitatione.*

Secundò, *Veritatem rectæ locutionis in oris eruditione*

Tertiò, *Veritatem honestæ conversationis in operis*

Ioan. c. 14. *ostensione*; Erat enim *Via, Veritas & Vita. Via in exemplo vitæ; Veritas in documento sapientiæ; Vita in præmio gloriæ.*

Et ita verus sit oportet quisquis à CHRISTO Magister erit; sit verus in intentione, corde simplici, non duplici; sit verus in ore, ut quod animus sentit, lingua exprimat; sit denique verus in opere, ne vita à corde, oréque dissentiat. Si is sit, erit illi *Christus via ad gradiendum, Veritas ad inveniendum, & Vita ad permanendum*, ut rectè D. Augustinus.

Mitto cætera, quæ D. Bonaventura mysticè exponit, quia illa commodiùs quæstionibus ipsis inserentur.

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Cujus est hæc imago?* Matth. c. 22. v. 20.

AN EA QUÆSTIO TAM AD OBLATUM Christo numisma, quàm ad hominem facta?

Ea quæstio.

NON erit hæc quæstio aliena ab hoc themate, imò nec à mente CHRISTI, qui eam interrogationem extrinsecùs quidem, & ex ipso litteræ sensu retulit ad oblatum sibi numisma; at intrinsecus, & ex quadam spirituali ac mystica intelligentia ad homines, qui tum adstabant, reduci voluit: Nimirùm ut numisma Cæsaris imaginem referebat; sic Dei imaginem referebant illi, velut spiritale quoddam numisma; quòd acutè ac piè observavit S. Paschasius Ratbertus, cujus hæc verba notatu dignissima:

I. De numismate.

Lib. 10. in Matth.

Ipse Christus, in illis hominibus nihil magis quàm suam quærebat imaginem: & ideo quam benè ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ sunt Dei Deo. Ac si diceret: Imago Dei non in auro depicta; sed in corde intus sculpta & figurata, quam propter vestram malitiam video violatam. Vide rogo, quia numisma Cæsaris aurum est, Reddite Cæsari: & quia numisma Dei totus homo est ad imaginem Dei creatus, vosmetipsos reddite Deo: quod omninò non potestis, nisi vos primùm exuatis à censu Cæsaris, quatenus deinceps liberi sitis. Et ideo primùm reddite quod alienum est, ut possidere possitis quod vestrum est; ut sicut in nummo imago Cæsaris persolvitur, ita & in cordibus vestris Dei imago reformetur.

II. De homine.

Hæc S. Præsul, ex quo pauca hîc annotabo ad meum institutum.

Primò CHRISTUM à discipulis Pharisæorum, & Herodianis, quæsivisse: *Cujus est hæc imago?* ut ad seipsos oculos animi atque intelligentiæ purioris converterent, & in seipsis Dei imaginem agnoscere, amare, ac venerari discerent.

Secundò in illis desiderasse impressam Dei imaginem; sed quam natura indiderat, quam gratia decorarat, non quam impietas, & scelus omne deformarat.

Tertiò urgere voluisse, ut animas Deo redderent sicut aurum Cæsari: si enim numisma Cæsari redditur, quia aurum est Cæsaris; quidni anima, quæ tota Dei est, reddatur Deo? Utque reddatur, libera sit oportet ab omni censu Cæsaris, libera à mundi vinculis, à carnis illecebris.

Et hinc quartò ad extremum monuisse, ut deponerent quod alienum erat, & assumerent quod ex vero suum.

Si quæsieris quid suum existimare debeat homo, quid alienum? Audies ex CHRISTO, pro suo habere illud omne, quod indidit natura, quod auxit, ornavitque gratia. Ab hac & illa habet quod sit imago Dei, ac veluti animatum quoddam numisma.

Quod ipsum altè extulerunt Sancti Patres.

Qui Dei numisma?

D. Augustinus in illa Vatis Regii verba: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Signatum*, inquit, *in nobis tamquam denarius signatus Regis imagine.*

Hugo Carensis in eundem Psalmistæ locum, sic ait: *Vultus Dei dicitur ratio, lumen hujus vultus est gratia: quia sicut moneta, est informis donec imago Regis ei per cuneum imprimatur; ita ratio nostra deformis est, donec per gratiam Dei illustretur. Ratio enim est imago creationis; sed gratia Dei est imago recreationis.*

Hæc Author ille, cui lucem addet, atque authoritatem D. Ignatius, qui disertis verbis id, de quo est quæstio, expressit:

Epist. ad Magnes.

Homo pius, inquit, *numisma est à Deo cusum: impius numisma ementitum, incertum, adulterinum, carens signo debito: non à Deo effectum; sed à diabolo.*

Et illud est, in quo mirum quantum elucet humanæ naturæ dignitas, quod ea imago sit creatoris sui, veluti nummus ejus imagine insignis.

Ubi Philosophos inter & Theologos incidit ea quæstio: Quid esset homo, magnificè locuti omnes aliter tamen; atque aliter.

L. 1. de Leg.

Plato tam rara, & singulari hominis perfectione obstupefactus, hominem vocavit *θεῖον θαῦμα, divinum miraculum*.

Lib. Ethic. c. 7.

Aristoteles, *Rerum, quæ in mundo sunt, unam omnium præstantissimam.*

L. 1. Pyrrhon

Sextus Empyricus, *Omnium rerum mensuram.*

Trismegistus, *Naturæ miraculùm magnum*; cui nomenclaturæ consonat illud, quod olim extulit Chaldaicum Oraculum, quo *homo* dictus est *audacis naturæ artificium.*

Pythagoras, *Deum mortalem.*

Orat. 38.

Plautus, *Microcosmum*, hoc est, *parvum mundum*: vel si mavis cum Nazianzeno *μέγαν κόσμον ἐν μικρῷ*, *Magnum mundum in parvo*: vel cum Proclo, *Mundum quemdam mundi*, seu alterum mundum hac rerum aspectabili specie longè perfectiorem, bonisque majoribus cumulatum.

Epiphan. l. 2. tom. 1. hæres.

Quæ hominis appellatio hausta videtur etiam à magnis Apostolis, qui in Clementis constitutionibus aiebant, Deum fecisse hominem *κόσμου κόσμον*, *Mundum mundi*, hoc est, decus Universi, & mirabile quoddam illius ornamentum.

Lib. 7. c. 35.

Et hæc de homine pronuntiavere Philosophi è naturæ gremio, éque sinu rationis: altiora Theologi è sacratioribus Divinæ Sapientiæ arcanis.

Orat. Catech. c. 8.

D. Gregorius Nyssenus hominem appellavit, *Pulchrum ac præclarum Dei opus, factumque ad ea, quæ sunt pulcherrima, atque optima.*

Serm. de laud. Angel.

Andreas Hierosolymitanus, *Ingens creationis specimen, & exemplar omnis perfectione visendum.*

In Apolog. c. 48. De Resurr. carn. c. 9.

Tertullianus, *Magnum nomen*; & alio loco, *Animam Dei umbram, spiritus auram, oris operam*; insufflavit enim Deus in hominem spiraculum vitæ, & in faciem ejus immisit purissimam velut oris auram.

D. Jacobo,

Cap. 1. v. 18. D. Jacobo dictus est homo *Initium creaturæ Dei*, vel ut in Græco est, *Ἀπαρχή, Primitiæ*, hoc est, veluti flos delibatus, perfectionis medulla, & speciosissimum quoddam operum Dei.

Et hæc sunt, quæ hominem mirum quantum commendant; sed nihil magis ac illud, quod *Dei Imago* sit, & expressum quoddam illius in terris simulacrum. Dei imago.

Creaturæ aliæ, quæ toto hoc Orbe aspectabili sparsæ sunt, sunt tantùm vestigia quædam Divinæ illius sempiternæque mentis: quod liquidò patebit, si attenderis quid in Deo, quid sit in creaturis.

Quidquid in Deo est, ad hæc tria capita revocari potest: *Esse, Vivere, Intelligere*.

Esse atque existere habet Deus à se; & hoc impressit rebus inanimis, Cœlo atque elementis, tanquam aliquod vestigium sui.

Habet Deus vivere, vitâ primâ, atque perfectissimâ & illius vitæ semina atque vestigia plantis ac brutis indidit.

Habet Deus intelligere, & hoc Angelicæ naturæ commune esse voluit, ideóque à Philosophis Angeli *Intelligentiæ* appellantur.

At hæc omnia in uno homine collegit: habet enim homo esse cum inanimis; vivere, vegetari, crescere cum plantis; sentire cum brutis; intelligere cum Angelis, imò cum ipso Deo, primâ ac perfectissimâ mente, actuque purissimo.

Et hæc ratio fuit, cur à Platone, aliísque dictus sit homo *Horizon Universi*, quia terminat, & in se quodammodo jungit Hemisphænum Superius, Cœlum & Angelos; & Hemisphænum inferius, terram & bruta.

Habet enim aliquid & his & illis commune; imò quidquid in illis sparsum est, hoc in se quodammodo collegit: & in hoc creaturarum omnium nexu atque complexione statuunt Theologi miram aliquam hominis supra cæteras creaturas perfectionem.

Certè si in operibus humanâ industriâ factis, ex solo pedum vestigio reliqui corporis legitur magnitudo; quidni & in iis, quæ Dei conditoris arte, facta?

Constantino statuario oblatus olim digitus major sinistri pedis ex Rhodo colosso decisus, ut ex eo de reliqua corporis mole judicium faceret; hic porrò digitus ejus erat magnitudinis, ut ex eo duæ statuæ æreæ humana majores effingi possent: ex quo deduxit statuarius, Rhodi colossi molem adeo vastam atque immanem fuisse, ut ejus æri exportando via triginta supra centum camelorum millia sufficere potuissent. Nimirum ex digito pes, ex pede totius corporis colligitur magnitudo.

Quod si in rebus creatis id usu venit, ut ex parte totum colligatur, atque ex vestigio pes, & ex pede corpus universum; id profectò licebit ex creatura, velut aliquo Dei vestigio, conficere quis & quantus sit ille.

Cant. c. 1. Et hoc est, quod Sponsam docere voluit Sponsus; quærebat illa ex hoc: *Indica ubi pascas, ubi cubes in meridie?* Respondit ille: *Si me ignoras, ô pulcherrima mulierum, abi post vestigia gregum tuorum.*

Non locum indicat, aut sedem, non lectulum notat ubi cubet, ubi quiescat alto jam sole; sed tantùm emittit ad vestigia gregum suorum, hoc est, creaturarum, quas observare & sequi jubetur, ut Sponsum inveniat atque agnoscat. Nimirum illæ creaturæ, ceu Dei vestigia, quis & quantus sit, ostendunt.

Effusa illa Universi vastitas, expansi Cœlorum orbes & ambitus, dicunt quàm effusus, quàm immensus Deus.

Superna illa lumina, cœlestes ocelluli, argenteus Lunæ candor, Solis ignes, ipsaque incendia enarrant tibi quanta Divinæ illius sempiternæque lucis sit flamma; quantus nitor, fulgor, ardor. Amabilis illa, pulchra, & suavis florum amœnitas, nitensque mundi facies declarat tibi, quàm amabilis, quàm speciosus, ac suavis sit Deus.

Si enim vel in uno tantùm, ut ita loquar, Divinorum pedum vestigio, tanta sit vastitas, si tanta lux, tantáque gratia; quantam in Deo esse necesse est?

Si denique in solo Dei vestigio amabilitas tanta, tanta dignitas, majestas tanta, quantam in ejus imagine esse oportuit? Certè quantum interest inter vestigium pedis, & imaginem; tantum necesse est interesse hominem inter & alias creaturas: hæ quippe Dei vestigia, ille etiam Imago est, & ita audit jam inde à mundi cunis, primáque hujus Universi molitione, in qua sic inter se Divinæ Personæ.

Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. c. 1.

Tantæ molis erat hominem condere, ut cogi quodammodo deberent consilium SS. TRIADIS. Cœlestes Orbes, terra, maria, totáque mundi moles vel unicâ voculâ evocata prodiit è nihilo: *Dixit*, enim, *Deus; & facta sunt*: at homo non prodiit nisi destinato consilio, maturâ deliberatione, collectâque vi: hinc eò loci, ac temporis auditæ illæ Patris Æterni ad Filium & Spiritum Sanctum voces:

Faciamus hominem ad Imaginem & similitudinem nostram; Textus Hebræus habet: *Faciamus hominem Umbram nostram*; vox enim Hebræa *Thelem*, id est, *Umbra*, à radice *Thasal*, hoc est, *umbrare*. Dei umbra.

Meritò sanè dicitur homo umbra Dei, utpotè, qui se ad Deum habet, sicut umbra ad corpus.

Video in umbra tria spectari posse:

Primum, quod corpus sine umbra esse possit: non tamen umbra sine corpore: sic & Deus sine homine esse potest; & verò reipsa etiam fuit ipsa æternitate quanta quanta fuit ante hujus Universi molitionem: at homo sine Deo esse non potest, ne ad momentum quidem; sic enim ab illo fluit perenni fluxu, ut sine illo statim in nihilum reflueret.

Alterum, sicut umbra est æmula, imitatrix, & veluti simia corporis; ejus quippe motus imitatur, ac reddit: sic & homo imitator est Dei sui, seu umbra corporis; illius quippe motus ac nutus omnes observat ac sequitur, si tamen is est, qui esse debet homo.

Postremum, quod sicuti umbra minuitur, augetur, crescit ac decrescit sine ullo dispendio, aut incremento corporis: sic & homo surgit, & cadit, crescit ac decrescit, nascitur & moritur, aliasque patitur vicissitudines, & nihil tamen ideo patitur Deus; nihil illi accedit, decedit nihil; sua quippe stat, stabitque æternitate fixus, atque immotus: movebuntur cætera, nascentur, crescent, occident ut umbræ quædam authoris sui; Deus nihil horum in se admittet, nec admittere unquam poterit.

Sed redeo unde paululum abii, ad hominem, inquam, ut Dei sui Imaginem. Ea interprete D. Bonaventura triplex est; videlicet *Naturalis, Spiritalis, Æternalis*. Dom. 22. post Pent. Serm. 4.

Naturalis consistit in Memoria, Ratione, & voluntate, per qua tria, Anima est imago SS. TRINITATIS. Triplex in homine imago Dei. I. Naturalis.

Caput hujus Imaginis, est *Ratio*; *Venter*, *Memoria*; *Pes*, *Voluntas*.

Caput inquit, est *Ratio*: quia ut in corpore superiorem locum occupat caput, & in eo oculi, ceu vigiles; sic in homine Ratio principem locum obtinet, estque veluti custos in sua statione: benè habet si caput illud in Deum semper erigatur; at pessimè si nimis inclinetur, & quiescat in sinu Dalilæ, hoc est concupiscentiæ.

Venter est *Memoria*, quia ut hic receptaculum est eorum, quæ corpori ingeruntur; ita & hæc domicilium eorum, quæ animæ immittuntur: bonum factum, si in hoc ventre non vermes, non serpentes viviorum

vitiorum potteatur; sed Dominus virtutum, ut dici possit: *Beatus venter qui te portavit.*

Pes est *Voluntas*; ut enim ille corpus sustinet, ac circumfert; sic & hæc animum exportat, quò libitum est. Optimè res agitur, si instar Angeli illius, quem vidit olim Joannes in excessu mentis, pes unus ponatur *super mare* vitiorum, ut illius æstus fluctúsque comprimat; & alter *super terram* bonorum operum, ut & his abundet, & sementem colligat in æternos annos. *Apoc. c. 10*

II. Spiritualis. *Secunda Dei Imago* quæ in homine relucet, est *Spiritualis*: es reposita est in Gratia, ac Charitate, aliisque virtutum cœlestium ornamentis; ad quæ nos blandè invitat Apostolus, qui ait: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Ut hæc quodammodo subjiciatur oculis, addit D. Bonaventura, Imaginem Regiam, qualis est omnis homo, tribus perfici: *Figura, Colore, Ornatu. Figura* pertinet *ad imaginem naturalem*; *Color ad spiritualem*; *Ornatus ad æternalem.* *1. Cor. c. 15. v. 49.*

Color duplex, qualis est in cœlesti Sponso, qui dicitur *Candidus & rubicundus.* Illius exemplo *Candidus fit homo per puritatem in conversatione. Rubicundus autem per charitatē, etiamsi necesse sit in sanguinis effusione.* *Cant. c. 5.*

Adjicit deinde & colorem nigrum, quo etiam pingi vult Imaginem Dei viventis: *Nigrum*, inquit, *per humilitatem*, à qua mirum quæ illius pulchritudo, & apud superos gratia; ut enim D. Augustinus: *Tantò pretiosior apud Deum eris, quantò fueris ante oculos tuos despectior.*

III. Æternalis. *Tertia Dei Imago*, quam etiam præ se fert homo, est *Æternalis*, ea homini adveniet ab æterna claritate, à gloria, à beatitate: ab hac quippe, anima Deum quodammodo induet, ac reddet; ita nimirùm, ut elatè Apostolus: *Revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformabimur.* *2. Cor. c. 3.*

Et hæc est spes nostra, qua dum solamur nos in terris, & auras molestiores fallimus; attendamus unde, & quem in finem homo sit Imago sui Conditoris.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad eadem verba: *Cujus est hac imago?* vers. 20.

VNDE HOMO DEI NVMISMA? Dei imago sit? Et quem in finem?



Imago Dei. Hominem Dei numisma, Dei imaginem esse, extra litem est, at hoc in controversia. Unde eam appellationem & dignitatem sortiatur?

Non in corpore. Anthropomorphitæ, qui Deo corpus affinxere, rationem Divinæ imaginis, quæ ad hominem transiit, statuêre in mole corporis; sed error est, quem Divi Patres, Cyrillus Alexandrinus, & alii dudum repressere, & ipsa natura, rationque damnavit, quà scilicet judice, Deus purissimus est spiritus, expers omnis corporeæ molis.

Non in scientia. Illyricus natione Sclavo, homo barbarus, & tamen etiam sciolus, imaginem Dei posuit in scientia Theologica, qua qui careret, careret & Dei sui imagine.

Et hic gravis error, qui rationem Divinæ imaginis, quam summus rerum omnium conditor Deus, in ipsa substantia hominis residere voluit, traducit ad accidens leviusculum, qualis est scientia, etiam Theologica.

Epiphan. hæres. 64. Origenes censuit imaginem Dei in homine sitam esse, in sola gratia, adeóque per peccatum mortale obliterari.

Lib. 2. Instit. Hunc errorem rursus in lucem extulit Calvinus, cujus hoc pronunciatum: *Per peccatum obliterata est primi hominis cœlestis imago.*

Non in sola gratia. Sed & hic gravis error est, si sermo incidat de imagine naturali, quæ non inhæret ulli accidenti; sed in ipsa hominis natura reposita est, adeóque deleri non potest, nisi & ipsa deleatur, destruatúrque hominis natura, à qua indubiè habet quod sit expressa quædam imago sui Creatoris.

In quo ergo? Verùm abeamus ab hæreticis, atque ad Catholicos veniamus, videamúsque in quo ex illorum sensu consistat imago Dei.

D. Chrysost. in Dominio. In Gen. c. 1. D. Chrysostomus rationem cœlestis imaginis censuit esse in dominio, quod sortitus est in terris homo, in quo summi Conditoris imaginem aliquam exprimit; ut enim Universi, sic & ille terræ Dominus.

D. Aug. in Æternitate. L. de Eccles. Dogm. D. Augustinus imaginem illam ac similitudinem posuit in æternitate, in quam ibit homo: *Creavit Deus hominem inexterminabilem; ad imaginem & similitudinem suam fecit illum.*

D. Damasc. in Libertate. L. de Orthod. Fide c. 22. D. Damascenus hanc collocavit in intellectu, & libero arbitrio: per illum homo omnia pervadit, etiam cœlos, etiam inferos, & alios Orbes; per hoc autem sese movet, ac flectit quò libitum fuerit; quæ altioris cujusdam sunt potestatis, & Divinæ similis.

Tostat. in Anima. Tostatus existimavit hominem Deum referre, ut imago prototypum: quia indivisibilis est, scilicet quoad principem sui partem, sive spiritum, qui totus in toto, & totus in qualibet sui corporis parte; uti & Deus, qui sua immensitate ita replet Universum omne, imò ita transcendit, ut totus sit in qualibet illius parte, & totus in toto.

Alii in complexu entium. Alii imaginem Dei in homine conspici volunt ex eo; quod sit Deus, licèt actus purissimus, omnia tamen entia à se diversa continet eminenter: sic & homo creaturas alias virtualiter complectitur, habétque in se omnes gradus entis: nimirum esse cum inanimis; vivere cum plantis; sentire cum brutis; intelligere cum Angelis; sicque quodammodo unus homo omnis est creatura, etiam ex ipso CHRISTI Oraculo, qui sic olim ad Discipulos: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, id est homini, interprete DIVO Gregorio.

D. Thomas 3 potentiis. 1 Part. q. 93. art. 7. D. Thomas Angelicus Doctor, eà, quà solet ingenii vi ac solertiâ, distinguit in homine Dei imaginem, & similitudinem. Imaginem impressam esse vult in ipsa ejus natura, intellectu, memoria, ac voluntate.

De Grat. Tom. 1. Similitudinem autem in originali Justitia, & Gratia, à qua id nanciscitur homo, ut altissimo similis sit, ut loquitur Suarez, Deus quodammodo per participationem.

Rationes. Sed cur inquies pusillo homini imaginem suam indidit Author naturæ Deus? Divi Patres in secretiora Divinorum consiliorum adita penitus admissi, alias atque alias inde retulerunt.

Serm. 1. de Jejun. S. Leo Pontifex Max. *Si creationis nostræ*, inquit, *intelligamus exordium, inveniemus hominem ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset authoris. Et hanc esse* *Prima.* *naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in speculo, Divinæ benignitatis forma resplendeat.*

In Deo ter Opt. ter Max. visitur omnis omnino perfectio; visitur Justitia, Misericordia, & insignis quædam in tolerandis etiam sceleratis patientia; quâ *Lib. de Patient.* fit ut etiam multi ideò *Deum esse non credant*, quia, ut ait Tertullianus, *tamdiu iratum nesciunt.*

Es homo Imago Dei? Age, Justitiam exhibe in omnes tuos, Miserationem in egenos, patientiam in adversarios; sic eris ex vero quod es, Imago Dei, hoc est, imitator Authoris tui; & in hoc est dignitas generis tui, si Deum apprimè virtutibus referas.

Et certè quidni referas, cùm etiam speculum sis tui conditoris? Speculum oculus est artis, quod objectas sibi imagines fideliter excipit, ac reddit.

Dei speculum es, ô homo, excipe igitur ac redde illius imaginem virtutibus, ceu vivis coloribus expressam; & in hoc uno crede repositam esse dignitatem tuam.

Secunda. Et hinc venio ad secundam rationem, quam extulit olim Christianorum oratorum summus, & Evangelii tuba D. Paulus; qui sic olim ad Athenienses adhuc implicitos idolorum cultibus:

Act. c. 17. v. 29. *Genus cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, vel argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationi hominis Divinum esse simile.*

Quasi diceret: Naturæ nostræ dignitas, quæ à Deo petitur, cujus & imagines sumus & animata quædam simulacra, non patitur, ut auro, aut argento, aut statuæ, quæ artificis opus est, & simulacrum inane, nos inclinemus; nimirum altiùs nos assurgere vult generis nostri ratio, ac majestas quædam Divinæ similis.

Altiùs dico, non superbo spiritu; sed innocentia vitæ, humilitate profunda, pietate ac religione eximia, aliisque virtutum gradibus, ad quos nos ducit vel ipsa, quam à Deo accepimus, natura, & in ea indita illius Imago, à qua nobiles, id est, verè Christianos spiritus, hausisse nos oportet.

Hom. 2. de Symb. *Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit Imaginem suam*, inquiebat Eusebius Nyssenus, qui ex ingenita illa nobilitate secum ipse sic loquitur:

Cur me ipse erubescendis obscenæ cupiditatis illecebris mei oblitus involvo? Cur pretiosus authori meo apud meipsum vilis sum? Facile indigna confutabitur improbitas, dum confunditur virtuti servire generositas; nec prævalebit in homine fœda impugnatio passionis, dum fortitudinem subministrat attributa conscientia dignitatis.

Hæc secum Eusebius; imò hæc omnis homo ubi vel putida caro sollicitat, vel allicit mundus, vel brevis voluptas inani titillatione animum ad se rapere nititur, atque abjicere ad obscœnas voluptates: Hæc, inquam, sibi dicat, & loquatur in aurem; Ecquid meditor? Ecquid molior oblitus mei? Me vocat auri, opúmque cupiditas; at auro, opibúsque dignior sum.

Me impellit aura popularis, & vanæ gloriolæ fumus involvit; at Superum favoribus, æternísque honoribus natus sum.

Me dejicit ad pastum gula, suæque inclinat servituti; at purioribus Cœli deliciis, & Angelorum mensis dignus sum. Cur igitur me abjiciam oblitus mei?

Certè qui mihi Author fuit Deus non sic me abjectum voluit; illi quippè pretiosus fui. Cur igitur mihi ipse vilis ero? Non ero profectò, sed potius meæ memor originis ac dignitatis sic vitam exigam omnem, ut nulla meo nomini, meo generi inuratur nota, nulla macula imagini, quam mihi impressit Deus non alio sanè fine, quàm ut esset pro *Tertia.* fido monitore, ac velùti Pædagogo, qui continuò me doceret quæ essent officii mei partes: ut enim scitè D. Bernardus:

Utique ad hoc Author ipse Deus, Divinæ insigne gene- *Serm. 83. in Cant.* *rositatis perpetuò voluit in anima conservari, ut semper hoc in se, sed ex Verbo habeat, quo admoneatur semper, aut stare cum Verbo, aut redire si mota fuerit.*

Hæc S. Abbas, ex quo disces Authorem naturæ Deum, suam in nobis Imaginem tanto artificio expressisse, ut perennaret in nobis, nec ullo unquam casu aut vitium pateretur, aut incendium cupiditatum.

Prothogenes pictor illustris, Talisi imaginem vivis coloribus animarat, & è Rhodiorum mœnibus appenderat, cùm fortè urbem Demetrius Rex obsedit, cœpitque, & incendio perdidisset, nisi revocasset ab eo consilio imago, Talisi pro muris appensa.

Rhodum non incendit Rex Demetrius expugnator cogno- *Lib. 7. c. 38.* *minatus; ne tabulam Prothogenis cremaret à parte ea muri locatam*, inquit Plinius.

Quod si Rex barbarus devictis civibus dominatæque Civitati pepercit, ut parceret etiam unius Talisi imagini; sibi non parcet homo? Non manum, non animam revocabit ab incendio suarum cupiditatum? Revocabit enimverò, vel aspectu solo imaginis, quam circumfert, & illam volet servatam in ævum omne, ipsamque æternitatem; & quamdiu hac mortali fruetur aura, eam ostentabit etiam gloriabundus, hocque existimabit pertinere ad officii sui partes, ad decus naturæ suæ.

Si enim, ut rectè S. Leo: *Ad humanam pertinet* *Serm. 6. de Nativit.* *laudem, ut patrum decus in prole resplendeat; quantò magis gloriosum est, ex Deo natos in Authoris sui Imagine refulgere, & illum in se, qui eos generavit, ostendere?*

Et hæ rationes ad hominem spectant, ea quam subjicio ad Deum.

D. Dionysius ab Areopago docet Dei bonita- *Quarta.* tem esse in homine, quod in rebus aliis sigillum: hoc si auro, si argento, si æri imprimatur, inde noscis cujus aurum, argentum, æsque ipsum sit: Inde Salvator Optimus oblato sibi nummo quæsivit: *Cujus esset Imago?* Et cùm audisset Cæsaris, subjecit illicò, quod erat æquitatis: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari.*

Nimirum Imago Cæsaris jus illud dabat Cæsari, ut redderetur illud omne cui erat appressa: quod & in aliis quoque usu venit.

Ita quondam in Oriente, si quæ terra, si quis ager, aut villa fisco fuisset addicta, ei infigebatur imago Imperatoris, & eâ indicabatur jam illius adiisse possessionem.

In prima hujus Universi molitione, Deus, ceu Summus Imperator ac Dominus, suam homini indidit Imaginem; ut jam inde esset Dei possessio, utque ex vero dicere posset: *Dominus possedit me in initio* *Prov. c. 8.* *viarum suarum.*

Possedit, inquam, tum quia fecit, tum quia ad Imaginem suam formavit: Ex hoc & illo sic infert Augustinus: *Redde te illi ut beatus sis, à quo accepisti ut sis,*

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad eadem verba : *Cujus est hæc imago?* verſ. 20.
AN CVIQVE NOSTRVM IN EXTREMO Iudicii die movenda ſit ea quæſtio?

Quæſt. in die Judicii.

Ivus Bonaventura cenſet cuique mortalium in decretorio illo die faciendam eſſe duplicem quæſtionem.

I Cujus numiſma?

Prima erit : *Oſtendite numiſma cenſus?* Altera: *Cujus eſt hac imago?* Tam hæc quàm illa de Anima fiet, quia hæc & numiſma, & imago Dei eſt, aut certè eſſe debet :

Dom. 22. poſt Pent. Serm. 21.

Nummus, inquit *eſt Anima, quam Dominus maximè in morte examinat ut Imaginem ſuam quærat.*

Pro iſto nummo CHRISTVS ſervivit pluſquam triginta annis; ut proinde mirum videri non debeat, ſi de eo quærat impenſiùs: *Si in morte diligenter hunc nummum examinet, utrum Dei, an diaboli ſit? Vtrum claram an tenebroſam Imaginem habeat?*

Ut hoc autem diſcernat, iterum, iterumque ait: *Oſtendite mihi numiſma cenſus.*

O felix, exclamat D. Bonaventura, *qui in morte bonum nummum oſtendet; Dominus enim oſtendet bonum præmium, bonum regnum* : E contrario *infelix, qui ſic malum nummum, malam animam oſtendet; oſtendetur enim tunc tormentum per damnationem.*

At quomodo, inquies, Judici ſuo nummum oſtendet homo? Quatuor modis, inquit idem Seraphicus Doctor.

Primò, *Veritatem in Prædicatione.*

Secundò, *Iniquitatem in Confeſſione: Si enim oſtendas miſeriam tuam in Confeſſione, oſtendet Deus ſuam miſericordiam in Remiſſione.*

Tertiò, *Bonitatem in operatione, ſicut CHRISTVS, & Sancti Martyres oſtenderunt : quod ſi fortè adhuc non potes per ſanguinem oſtendere dilectionem, oſtendas ſaltem per lacrymas Contritionem.*

Quartò, *Dei Imaginem in expiratione* : tum enim diducto veluti velo, apertaque vitæ totius ſcena, apperebit cujus imago ſit; Dei, an mali dæmonis.

Et hæc de prima quæſtione D. Bonaventura.

II. Cujus imago?

Secunda quæſtio, quæ in eodem Judicii die homini movebitur erit iſta: *Cujus eſt hac Imago?* Quam dum animo, attentaque cogitatione legit D. Bonaventura, ſacro quodam timore percitus exclamat:

Dom. 22. poſt Pent. Serm. 4.

O quàm timenda eſt quæſtio hac, quoniam in judicio diligenter examinatur anima, cujus Imaginem habeat; Dei an diaboli.

Fatendum enim in extrema luce, electis aliam futuram Imaginem, aliam reprobis: quia dum in vivis eſſent diverſam planè perniſerunt. Hi quidem facies peccatorum; illi verò Juſtorum; quod ipſum agnoviſſe viſus eſt Vates Regius, qui ſic ad illos:

Pſal. 81.

Vſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?

Quæ ſint illæ declarat Greveus Cancellarius

Serm. 177.

Pariſienſis: *Leonis*, inquit, *per ſuperbiam; Lupi per voracitatem; Aſini per ſtoliditatem, duramq; cervicem; Vituli per laſciviam; Tauri per extollentiam; Pardi per hypocriſim; Simiæ per geſticulationem; Hyenæ per crudelitatem; Ericii per aſperitatem; Oriſis per pigritiam; Aſpidis per inobedientiam. Hirci per infamia ſœtorem; Apri per iram; Porci per immunditiam; Canis per invidiam; Camæleonis per ſimulationem; Leporis per timiditatem; Serpentis per calliditatem; Vulpis per hæreſim; Cameli gibboſitatem, id eſt, divitiarum & avaritiæ ſarcinam.*

Imago beſtiæ.

Ecce quæ peccatorum facies, quæ larvæ, quæ monſtra; ea induerunt in hac mortalis vitæ ſcena, neque deponent in altera, niſi fortè malis ea mutare in dæmonis imaginem. Ita nimirùm Imago Dei ſpiritualis, quæ homini juſto per Gratiam impreſſa erat, deturpatur, imò deletur penitus, & aſſumitur imago beſtiæ.

Ita nempe factum oportuit æquo Dei vindicis judicio in pœnam admiſſi ſceleris: cujus impatiens Vates, entheo quodam æſtu ſpiritu ſuo, impiis ita apprecatur malè.

Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei; id eſt, *pereat in eis facies Dei*, ut explicat Hugo Carenſis. Pſal. 67.

Perit enimverò in peccatoribus Imago Dei, at non ſine gravi ſupplicio, quod abit in æternitatem: ſi enim olim, etiam ſecundùm humanas leges, reus capitis ille fuit, qui tyranni alicujus imaginem apud ſe habuiſſet; non erit reus damnationis, qui poſitâ imagine Dei ſui, erexerit in ſe imaginem tyranni infernalis?

Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonnè obnoxius eſt damnationi? inquit Ambroſius, *Et tu deponis imaginem æterni Imperatoris, & erigis in te imaginem mortis.* Lib. 1. Offic. c. 49.

Deponis, inquam, imò quantum in te eſt deturpas, abjicis, calcas, effringis: & non expectabis irata Cœlo fulmina, vindicesque flammas?

Hemoroiſſa libera à diuturno fluxu ſanguinis, Nicephor. in Hiſt. anactu, viſque altiore ac Divinæ Salvatoris noſtri, in memoriam accepti beneficii in urbe Cæſareæ eidem ſtatuam erexerat veluti monumentum aliquod receptæ ſanitatis, & animi longè gratiſſimi. Julianus Apoſtata monſtrum hominis, ei ſtatuæ caput abſcindi juſſit, & ſuum ejus loco ſubſtituit: non tulit æther inultum illud nefas; ſed in fulgura, in tonitrua, in ultrices flammarum globos erupit, & diſrupta nube fulmen emiſit in nefandum caput illius ſtatuæ, ſolóque inſtravit; ut vel inde diſceret poſteritas omnis, CHRISTI imagines auſu temerario non eſſe violandas.

Quod ſi Salvator mortalium atque immortalium Ejus pœna omnium mitiſſimus, non tulit tamen ſtatuam è frigido lapide, è ſaxo duriore, ſenſus ac vitæ expertem ea injuria affici, capútque peregrinum atque infandum apponi ſublato quod priùs erat ſacratiore; qui feret Deus imagines ſuas vivas atque animatas, immortales inquam animas, deponere faciem ſuam, faciem jam inde à natura & gratia impreſſam, & induere formam aut beſtiæ alicujus, aut monſtri, aut mali dæmonis. Certè nunquam inultus feret; ſed citiùs aut ſeriùs ibit in juſtam ultionem.

Anthiochiæ neſcio qui ſicarii ac rebelles, Impe- A ſimili. ratoris Theodorici ac Placillæ ſtatuas publico foro erectas dejecerant; commoti ſcilicet novo vectigali, quod impoſitum voluerat Cæſar: audax profectò & inſolens facinus, quod primò Imperatoris animum ira ſuccendit; deinde armavit & manum, & ad ſtragem, buſtúmque ampliſſimæ Civitatis in campos excivit: & verò excivisset re etiam ipsâ, niſi in vindictam properanti Cæſari opportunè occurriſſet Flavianus ejus loci Epiſcopus, qui motos

Theodorici

Theodorici animos composuit sedavitque, ferrumque civium suorum verticibus jam imminentem avertit; eo consilio, eáque potissimùm ratione, non esse æquum ardere civitatem, & innoxios cives à paucorum scelere & in principem suum malevolentia.

D. Chrysostomus, qui eò loci ac temporis concionem habebat frequenti populo; cùm videret eos animorum motus, eos æstus consiliorum, nutantia à pavore corda, pallentes vultus, natantesque ac fluentes à lacrymis oculos, profundaque audiret suspiria trepidantis plebeculæ quamquam innoxiæ, argumentum sumpsit, & opportunum, & dignum Oratore sacro.

Ecquid enim, inquiebat ore aureo? Ecquid viri Antiocheni? Unde tanti motus? Tanta trepidatio? Squallor, gemitus, & lacrymæ? Imperatoris ira, justusque furor in arma ferrumque ruens: ar cujus causa, ac scelere? Vestrone proceres? Vestrone cives? Minimè gentium: paucorum ea est culpa? At quæ illa? Violatæ, disjectæ, diffractæ Theodorici & Placillæ imagines. Impudens sanè facinus! at eo liberi estis, ô proceres, liberi, ô cives; ab eo tantum rei habentur omnino pauci, hique sicarii è popinis egressi ganeones: Verum illos solos non petet, non obruet Cæsaris ira; sed & innoxios eadem pœna, ruináque involvet? At hæc & illa quid involvet? Fortunæ bona, domos ac tecta, & fortè etiam corpora: ad animos vestros nunquam evadet; sed Dei Omnipotentis ira, cujus imagines non mutæ & exanimes, sed animatæ, per scelera violatæ sunt. Illa illa, inquam ira, vobis exardescit; illa vindictam parat, & adversa Cœlo fulmina; nec tamen ab his timor, ac trepidatio: ô dolor! ô stupor! ô amentia, viri Antiocheni!

A fortiori.

Hæc aliáque Orator aureus concitato quodam orationis æstu, quæ ego hodie ad Christianos auditores dicta velim.

Metuunt illi vel unius hominis iram, & ad paratam ultionem expallescunt toti, etsi subinde minimè rei; ad Cœli tonitrua, ad Dei minas, & impendentem sceleratis capitibus ruinam non exhorrescunt: & ille peccatorum stupor est, illa cæcitas, illa dementia; ex hoc nata, quòd non apud se æstimet, quæ, quantáque sit illa Dei Majestas, quæ in ejus imagine, id est, anima peccatrice, violatur.

Suetonio teste, Romæ crimen erat læsæ Majestatis non expiandum nisi fuso sanguine, si quis eorum imagine Imperatoris sua vestimenta exuisset indecore, aut mancipium aliquod vendidisset.

In vita Tiberii.

Et non erit scelus violatæ Divinæ Majestatis, animam (ceu Dei omnipotentis imaginem) gratia, charitate, aliisque virtutibus (quæ illi erant pro cœlesti veste) exuisse? Non erit scelus nefandum ex libero se fecisse mali dæmonis mancipium empturn vili pretio? Erit enimverò, erit crimen non purgandum nisi ære multo, & incendiis sempiternis.

Si enim humana Majestas qualis qualis demum illa sit à Divina distat infinitè, necessum etiam est ut quæ in hujus imaginem incurrit culpa, ab ea distet infinitè, quæ in illius speciem impegerit: quod si culpa, etiam & pœna. Ut enim dicamus quod ex vero dici potest, ac debet: *Deus noster zelotes est*; nec pati potest insano ausu suas imagines pollui, aut peregrinam aliquam suæ substitui.

Rex Theodoricus severè caverat olim, ne imago sua, regiumque stemma monetæ adulterinæ imprimeretur: *Sit*, inquiebat, *mundum quidquid ad formam nostra serenitatis adducitur: quid enim tutum si in nostra peccatur effigie?*

Cassiod. l. 7. Var. c. 32.

Si hæc Theodoricus è luto communi, argilláve malè fictus, si abjectus homuncio, si pusiu ad superos compositus. Quid Deus Immortalis? An non hic potiori jure volet esse mundum quidquid ad suam formam adducitur? Quid enim usquam tutum erit si in Divina peccatur effigie? Certè tutum omnino nihil, adeóque neque tutus à Divina ultione qui in id sceleris venerit.

Ut porrò tutus sit, intactam in se servet, atque illibatam Dei sui imaginem: servabit autem si in eam sæpè sæpius oculos mentis fixerit, & induerit spiritus dignos ea, quam circumfert, Divinâ similitudine.

Boleslaus Poloniæ Rex, ut sibi regios, martiosque faceret animos, appensam è collo defuncti parentis imaginem gestare solitus, eo consilio ut quoties aut in oculos aut manus incurrisset, toties memoriæ recurreret paterna virtus, & ab hac partæ gloriæ monumenta. Certè ubi dubia martis alea, ubi pro patria, pro focis & aris subeunda vitæ pericula; tum patris imaginem prensare manu, ori admovere, exosculari, & cum ea blandè colloqui, sibique animos addere ne quid ageret aut pateretur indignum paterno stemmate, atque exemplis.

Geris, ô homo, non pendulam è torque, sed altè tibi inditam Dei tui imaginem; ab ea tacitè moneris, ne quid admittas Deo minùs dignum, & cœlesti progenie.

Quare Author tibi sum, ut cùm aut mundus vocat, aut blanditur caro, aut dæmon sollicitat, in eam imaginem, quam circumfers, oculos flectas reflectásque, dicasque tibi in aurem: Age anime, teipsum intuere, imò in te etiam Deum, & nihil patero aut alienum à te, aut invisum Authori tuo, aut turpe atque indecorum Divinæ, quæ in te est, similitudini.

QUÆSTIO QUARTA.

MORALIS.

Ad illa verba: *Cujus est hæc inscriptio.* verſ. 20.

QUÆ SIT INSCRIPTIO IN DEI vivi imagine.

Signum in moneta.



DIXIMUS hominem Dei esse numisma, Dei imaginem: superest ut addamus, quæ illi inscriptio.

Monetæ cùm cuditur, ex una parte imprimi solet imago Principis; & ex altera ejus nomen, aut insignia.

Pari ratione imagini subjici solet nomen, aut lemma potiùs pictoris, vel sculptoris, ut inde noris cujus sit opus.

Quod monetæ, quod imagini; hoc & homini, testis erit Sponsus, cujus hæc ad Sponsam verba: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; signaculum in cogitatione, signaculum in opere: ut depositâ imagine terreni hominis, cœlestis imaginem portes*, inquit D. Bernardus.

Cant. c. 8. v. 6.

Opusc. de Char. c. 26.

Insignitam scilicet, ac notatam seu Domini insignibus,

Signum in homine.

signibus, seu charactere.

Opusc. 30. c. 9. *Vt sancta Anima Christi charactere utrobique signetur, eam in corde suo signaculum ponat, ut amoris ejus facibus inardescat: Ponat etiam in brachio, ut piis operibus valenter insistat*; aiebat olim Petrus Damianus.

In Paulo. Ita posuit olim S. Paulus, qui sic *Christi stigmata expressa gerebat in corpore, ut ejus signaculum haberet in mente*. Nimirum Apostolo & corpus & animus hoc charactere inscribi debuit, tum quia CHRISTI servus, tum quia Dei cultor eximius, tum denique quia Christianæ militiæ Dux, atque antesignanus.

In servis Servorum frontibus olim stigmata, notæ, & characteres inurebantur: *Charactere Domini inscribuntur & servuli*, inquiebat Ausonius: & hinc vulgò *Litterati* dicebantur.

Idolorum cultoribus Quin servi, hoc etiam idolorum cultores: *Ad cultum simulacrorum præcipites, confirmantes eam servitutem*
Lib. de Monarch. *litteris, non in cartula scriptis (sicut mos est mancipiorum) sed inustis in corpus ferro ignito*, ut notavit Philo.

Lyran in 2. Paral. c. 28. Eo servitutis, ac dementiæ lapsus Rex Joachim; in cujus cadavere repertæ idolorum notæ, quas vivens sibi inusserat; ut eorum amorem, cultum, ac venerationem animo gestasse se testaretur, quorum in exanimi corpore notas, ac characteres retinebat.

In militibus Quod servis & idololatris, hoc & militibus; hi in manibus stigmate notati, & charactere: Quis ille? Adhuc in dubio est.

Lib. de Milit. Rom. Dial. lib. 9 De obitu Valent. *Suspicor*, inquit Lipsius, *nomen Imperatoris*. D. Ambrosius suspicionem tollit, & dubium; sic enim ait: *Charactere Domini inscribuntur & servuli, & nomine Imperatoris signantur & milites.* Erat illud nomen tessera quædam, & nota datæ Fidei, seu Domino, seu Imperatori, quem sequi debebat is, qui hujus aut illius nomen seu in fronte, seu in manu gestasset;
Epist. 35. hinc illud Senecæ: *Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero.*

Quodnam illud in Christiano? Sed hæc satis superque nota; circumferat homo Dei sui inscriptionem, seu ut servus solet, seu ut cultor, seu ut miles in sacratiorem militiam adlectus, seu etiam ut numisma, & imago. At quæ, inquies, erit ea inscriptio? Quæ nota? Quis character?

I. Littera C. Teste Joanne Metellio, Christiani apud Indos in facie & brachio notabantur littera C. candente ferro altè cuti impressa; ut in ea legerent omnes, sub quo duce essent; scilicet sub CHRISTO Christiani: & hic potest esse unus character illius imaginis de qua in præsens quæstio.

Ab hoc discet quisquis & nomine & re etiam ipsa volet esse Christianus, quæ sint officii sui partes: pulchrè has describit D. Augustinus:

De Vit. Chr. *Ille verè*, inquit, *Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nullâ omninò movetur injuriâ, qui alienum dolorem tanquam proprium sentit, cujus mensam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram Deo & Angelis glorietur, qui terrena contemnit, ut possit habere cælestia; qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui miseris subvenit, qui ad fletum fletibus provocatur alienis.*

II. Crux. Sed & alius est character, quo inscribitur homo, ceu Dei viventis imago: est ille *Crux Christi*,
Lib. 5. Serm. 48. Opusc. de septem Verb. Domini. quam Severus appellat *Sigillum timendum Dominum*, Petrus Damianus, *Signaculum Redemptionis æternæ.* Arnoldus Abbas Bonævallis, *Passionis formam & characterem, cujus inspectio terrorem dæmonibus incutiat*; cujus virtus vim addat contra incurrentem vim tyrannorum.

Habent subinde homines perditi, characteres quosdam, & typos editos in officina mali dæmonis: quos dum gestant, & ferro, & globis excussis è tormentis bellicis impervios, atque impenetrabiles se credunt, malo plerumque suo: etsi enim Deo quandoque connivente, armorum ac ferri aciem eludant; eâ tamen postea Cœlo vindice malè fodiuntur, ac pereunt.

Non sic à Crucis charactere: cui enim imprimitur ille, liber ab omni dæmonum incursu; imò quod ames & mireris, etiam superior tormentis omnibus tyrannorum: quod dum probè nossent primævi Christiani, non solùm frontem, pectus, oculos, & reliqua corporis membra signo Crucis muniebant; sed & illud exhibebant ipso orantis habitu, expansis scilicet in Crucis formam manibus, à qua quid roboris ac virium hauserint, audi ex Tertulliano:

Sic nos, inquit, *ad Deum expansos ungulæ fodiant, Cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant: paratus est ad omne supplicium habitus orantis Christiani.* Apolog. c. 30.

Ut ita paratos sese exhiberent Christiani sæculis longè consequentibus, *Crucis signum in palmis, aut brachiis inuri sibi curarunt*, ut testis est Procopius: Eo fine, ut eum characterem, eam Crucis notam qui legisset, simul etiam legeret promptos ad Crucem animos, ad ferrum, ad ignes, ad rotas, ad mortes mille paratos. Et hoc quidem ex illa Christi nota; quæ docet, *Benè facere, & malè pati Christianorum esse*, ut rectè notavit Philo Carpatius. In tnc. 44. Isa. In c. 1. Cant.

Et hic est character bonæ mentis, quæ impressam à gratia Dei imaginem retinet, & CHRISTI characterem ostentat.

Ita ostentare gestiit Sancta Editha Virgo, Edgardi Regis Anglorum filia, quæ tam interdiu, quàm noctu, pollice dexteræ manus nunc in pectore, nunc in fronte Crucem figurabat, & quidem frequentissimè, qua consuetudine, & pia, & sancta delectatus *S. Dunstanus* Archiepiscopus Cantuariensis, apprehensa manu ejus hoc quasi vaticinium, quasi oraculum extulit: *Nunquam putrescat hic digitus.* Et huic, seu vaticinio, seu voto respondit eventus: re enim ipsa refosso sanctæ Virginis corpore longis ab obitu annis, pollex duntaxat integer apparuit, & in eo caro, cutisque tam recens, tam succulenta, ac vivida, perinde ac si ab horula tantum obiisset. Nimirum computruerant membra cætera; at pollex, qui formandæ cruci pro instrumento fuerat computrescere nescit: qui enim computrescerent vitæ signo & munitus ipse, & alia muniens? Et hic, ut dixi, piæ mentis est character; sed alius animæ à peccatore scelestibus perditæ: præfert enim illa notas alias, aliamque inscriptionem, videlicet Anti-christi, eamque in fronte exhibet; quod longè ante in alto mentis excessu præsensit Joannes CHRISTI scriba. Surius in 16. Septembris. Quod in peccatore.

Vidit enim de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem; & hæc symbolum fuit Anti-christi. Vidit deinde & aliam bestiam ascendentem de terra, & hæc jubebat Divinos honores deferri priori bestiæ, ejusque characterem insigniri *omnes, pusillos & magnos, divites & pauperes, liberos & servos*; Hæc bestia Imago fuit alicujus Pseudo-prophetæ, qui Anti-christo viam pararet, & ausu planè insolenti illius charactere notaret, *in dextra manu, aut in frontibus.* Apoc. c. 13. vers. 16.

Quis porrò ille character, adhuc est sub lite.

Alcazar censet fore ipsum *Anti-christi* nomen.

Viegas tres distinguit illius characteres: Primus est *Imago Anti-christi* ad vivum expressa; Secundus, *ipsius nomen*; Tertius, *numerus nominis*, videlicet 666.

S. Hippolytus pro charactere statuit hanc vocem Græcam ἀρνοῦμαι; hoc est *nego*; exprimet enim ab asseclis suis impium illud: *Nego Creatorem, nego IESVM, nego Baptisma.* Lib. de Consum. sæculi.

Ribera pro charactere dat illi, *Draconis imaginem*, consonam scilicet efferato illius ingenio.

Primasius, & Ausbertus docent Anti-christi characterem fore tres primas litteras nominis χριστός, in certum figuræ modum expressas, ea ferè ratione, qua Constantinus Magnus in labaro suo olim expressit, ac prætulit.

Cùm

Cùm enim Anti-christus se Christum ac Messiam jactitet, ac mentiatur; etiam ejus signa fingere ac mentiri volet.

Et certè finget, ac mentietur: nec enim purum, ac germanum Christi characterem assumet impius; sed adulterabit, atque evertet: ita scilicet litteras illas tres initiales χριςὸς (videlicet χρς) disponet, ut prima & initialis sit ρ, quod altè assurget; secunda sit χ, quod transversim ponatur; tertia sit ς, quod litteram χ, intersecet: quod non sine Numine, & Divina Providentia factum credo; ut ex prima characteris littera satis intelligerés, quàm alienus à Christo sit Anti-christus, & quàm aliena quoque sint hujus, atque illius signa.

Character quippe Anti-christi, est ρ seu ῥόδον, id est Rosa, & voluptas.

Character autem Christi est pura & germana Crux, & hæc debet esse inscriptus frontibus Electorum.

Rosâ, Lauro, Myrto coronari, Paganum est: At Cruce & spinis redimiri, Christianum.

Ideóque hic te inspice, mi Lector, & vide quo charactere notari velis: si rosam in vellere, in fronte accipis; hoc est, si voluptatem in animo, amoribus, ac deliciis habes, & ex me quæris, cujus sis Imago, & nummus? Audies Anti-Christi. Contra verò, si Crucem fronti, manui & cordi apprimis, & scire velis, cujus sis Imago & numisma? Excipies esse te Christi.

QUÆSTIO QUINTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* vers. 21.

AN CONTRA HOC CHRISTI ORACULUM peccarint Pharisæi? An peccent etiamnum hæretici?

I. Hæresis Pharisæorum.



Rit fortasse, qui mirabitur à Pharisæis propositam illam quæstionem: *Licetnè censum dare Cæsari, an non?* Quis enim nesciat à Cæsare & Regibus imponi posse tributa, & à subditis justè exigi; desinet tamen mirari, ubi intelliget, Pharisæos in contrariam olim iivisse opinionem.

Judæos inter fuit hæreticorum secta, quæ ita libertatis erat amans, ita sui juris, ut neminem mortalium agnosceret aut Principem, aut Dominum. Imò apud eos nefas erat quemquam Dominum appellare, potiúsque extrema supplicia pati erat animus, quàm se ulli Principi, aut Domino subjicere: L. 18. Antiq. c. 2. Ejusce hæreseos author extitit Judas Galilæus, Philone teste.

II. Hæresis. Fuit & alia hæresis Pharisæorum priori contermina atque affinis; censebant hi minimè licere Judæis, & Israëli pendere tributa, vectigalia dare Cæsari, ac Romanis.

Rationem ex iis si quæsiisses, hanc afferebant: quod Israël Dei populus esset, adeóque liber ab Ethnicorum tributis.

Cap. 23. Deducebant illud ex Deuteronomio: *Non erit vectigalis ex filiis Israël:* Verùm eo loci non prohibet Deus vectigalia aut imperi, aut pendi Israëlitis; sed ea tantùm, quæ sordida erant, & ad quæstus meretricios. Verùm quid facias? Is erat Pharisæorum genius, & is modò est hæreticorum, pervicax, rebellis, ac subdi nescius: libertatem affectat, aut potiùs licentiam insolentem, omnémque Cæsaribus, Regibus, ac Principibus obedientiam subtrahit, atque submissionem.

III. Hæresis Lutheri. Ostendamus illud ex hæreticis nostri sæculi, eorúmque placitis; verba quippe animi sensa explicant, & pandunt: ea sunt Lutheri, epistolâ ad Electorem Saxoniæ.

Tom. 2. Epist. 101. *Deus etiamne jus, omnem magistratum, ac potestatem Evangelio promulgato abrogavit.*

Ecce ut Lutherus non tantùm à Fide abiit, à religione discessit, excussítque suave Ecclesiæ ac Christi jugum; sed etiam omnis secundùm Deum humanæ potestatis.

Ejusdem quoque genii, sed majoris ferociæ fuit Calvinus, cujus hoc impudens effatum:

Inter Christianos nec debet, nec potest esse magistratus; sed omnes aquè alii aliis subjecti sunt. Lib. 2. Instit. c. 19.

IV. Hæresis Calvini. En Calvini maxima, en placita illius scholæ, quæ dum omnem magistratum è medio tollunt; omnia quoque Reipublicæ jura pessundant, nervos omnes elidunt, viam aperiunt seditioni, omniáque scelera, vim omnem, rapinas, cædes libero atque inoffenso pede ferri, vagaríque patiuntur. Hoc scilicet fuit Calvini efferatum ingenium; quod etiam longiùs excessit ultra omnem modum: nec enim illi fuit satis Cæsari purpuram, regibus sceptra, magistratibus fasces detraxisse; nisi etiam in eorum capita, vitámque involaret.

Certè ille ipse Calvinus de principibus Catholicis ita loquitur: abdicant se potestate terreni Principes, dum insurgunt contra Deum: Imò indigni sunt qui censeantur in hominum numero: *Potiùs conspuere oportet in illorum capita, quàm illis parere.* In cap. 6. Daniel.

Hoc insolens videri oportuit, ac debuit; at insolentius adhuc istud: parum enim Calvino fuit suadere ut sacra Regum capita conspuantur; suasit etiam ut conspergantur eorum crines sanguine: adeò altè imbiberat cruentam illam maximam, quam in fronte suarum institutionum adscripserat: *Non veni pacem mittere, sed gladium.*

Ex his dictis, benevole Lector, quàm malè Lutherus, Calvinus servarint illud Christi: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.*

Neque meliùs servarunt eorum asseclæ posterique, in quos apprimè cadit illud Poëtæ:

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

V. Hæresis Bezæ. Talis fuit Genevæ, ubi Genebrardo teste, habitum conciliabulum de Francisco II. Rege Galliarum, de Regina uxore, Regina matre, ejusque liberis ad præfinitum diem è medio tollendis. Et hoc authore, ac suasore Beza; qui rogatus à suis de Regina Francisci II. matre, ejúsque prole quid opus facto? Dixit illicò: *Scrofam cum porcellis mactari debere.*

Impudens, effrons, crudele, impiúmque responsum, quo asseclas suos docuit impulítque, ut præcipites involarent in sacra Regum capita, in regias proles, innoxiúmque sanguinem per summum nefas effunderent.

Illa nimirum sunt hæreseos placita, illa pronunciata Religionis reformatæ, illa clementia Evangelica, ille spiritus pseudoevangelii, de quo certè vorum illud Zuinglii: *Evangelium meum fuit sanguinem.* (a Zuinglii.)

Ea potrò sitis extingui non potest effuso sanguine, vitáque; ardet etiam post fata bustumque, atque in mortuorum cineres, reliquiasque cadaveris, sæviliam exercet suam.

Testis erit Gallia, quæ non solum innoxio Catholicorum sanguine rubuit; fœderubuit, gemuit, stupuitque, ubi vidit Regum suorum cadavera fœdè exhumari, fœdiùs raptari, fœdissimè concremari.

Ita quondam in æde S. Crucis exhumatum Francisci II. cadaver, ac deinde flammis traditum per summam immanitatem, quæ etiam longiùs progressa: cùm enim nec in corpora, nec in cineres sævire posset; in ipsas Regum statuas, quæ in foro, compitisque eminebant, insurrexit: Et Ludovici XI. Galliarum Regis statuam evertit, raptavit, mutilavit, ac denique in cloacam abjecit.

Non evertisset, non raptasset, non mutilasset, non abjecisset, si audisset illud CHRISTI: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*; reddite honorem, qui debetur coronato vertici; reddite submissionem, quæ regali sceptro, ac virgæ; reddite obedientiam, quæ Dei Opt. Max. ministris ac vicariis in hoc ævo mortali. Verùm frustrà his canit CHRISTUS, frustrà canimus & nos; surdis enim canimus, atque obduratis: at non sic Catholicis, qui ex vero CHRISTI asseclæ, discipuli, imò & filii; audiunt hi istud CHRISTI sui parentis, seu Magistri oraculum: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*; audiunt, inquam, & simul reddunt.

Thomas Bozius inter Germanas Ecclesiæ Romanæ ac veræ Religionis notas, statuit obedientiam, ac submissionem, quam ea exhibere solet Principibus ac Regibus, & quam omni ævo exhibuit jam inde à prima origine, ex CHRISTI scilicet, atque Apostolorum præcepto, quo severè cautum, ut Christiani Dominis suis, etiam ethnicis, etiam discolis subjecti essent.

Nimirum hæc fuere D. Petri oracula è pulpito & Cathedra veritatis pronuntiata, imò commissa cæteris fidelibus, ut irent in posteros omnes.

Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis. (1. Pet. c. 2. v. 13.)

Ac ne crederes ea dici de Regibus, ac Ducibus, qui vel nobiscum in fide ac religione consentissent; vel in vitæ, morumque innocentia conspirassent. Subjicit primùm illud: *Deum timere, Regem honorificate.* (Vers. 18.) Deinde & hoc: *Subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis; sed etiam discolis.* (Vers. 19.) *Hæc enim gratia*, scilicet Christianitatis, ac Germanæ Fidei; à qua longiùs abierunt, qui etiam abierunt à Romana Ecclesia, veráque Religione. (Vers. 20.)

QUÆSTIO SEXTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Quæ sunt Dei Deo.* vers. 21.
QUÆ SINT ILLA REDDENDA DEO?



(Deo reddenda quatuor:) DIVUS Bonaventura simplici ut solet, & candidâ eloquentiâ, sed omnino piâ, & ad mores rectè formandos accommodâ, distinguit *quadruplicem redditionem*: quarum *Primam exigit à peccatoribus Deus in mundo; Secundam, in extremo; Tertiam, in judicio; Quartam, in inferno.* (Dom 22. post Pent. Serm. 3.)

In mundo exigit sibi dignam satisfactionem: In extremo suam imaginem; In judicio rectam rationem: In inferno æternam luitionem.

De singulis pauca ex eodem Doctore Seraphico.

(I. In Vita.) Magdalena, utpotè à peccatis nota atque infamis, Cœlo Deoque debebat quamplurimum: quomodo huic & illi faciet satis? Faciet certè lacrymis & ubere fletu: *Lacrymis reddidit quidquid debuit*, inquit D. Bonaventura. Et tu peccator *Esto pronus ad lamenta*, ait Isidorus: Esto facilis & fluxus in lacrymas; & Deo reddideris in hoc mundo quod illi debuisti. Reddendum in morte.

(II. In Morte.) *Sicut enim Cæsar exigit impressionem suæ Imaginis; ita Deus animam lumine vultus sui insignitam. Hanc imaginem in denario animæ maximè nos oportet reddere in morte.*

Ita reddidit olim David, qui hæc de seipso: *Vota mea Domino reddam*, id est, ut explicat Glossa, *Meipsum, qui sum Imago, & Dei nummus.* Benè habet si sit *Aureus à Charitate*, Argenteus *à Castitate*: non autem *cupreus*, aut *ferreus*, hoc est, obduratus; hic enim *conflabitur in igne gehennæ*.

(Cap 22. v. 18.) *Omnes isti* (inquiebat olim Ezechiel ore Prophetico) *æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis.*

Luget infelicem Judæorum sortem, damnandamque metamorphosim; cùm enim priùs essent puri, ac pretiosi instar auri argentive, versi sunt in stannum, simulatâ quadam atque adulterinâ pietate; versi in ferrum, induratâ malmâ; in plumbum, avaritiâ gravi; in æs denique, vocali quodam ac sonoro murmure, querelisque de Deo, deque Superis, si fortè vindice manu eos percuteret etiam ad sanitatem; itaque nec in vita, nec in morte reddiderunt Judæi quod debebant.

Sed & aliud reddendum est in extremo Judicii die; nempè exacta eorum omnium ratio, quæ in vita gesseris; quippè etiam de otioso verbo examen instituetur: *Quid erit de factis, ubi ratio reddetur de verbis?* inquit D. Bonaventura. (III. In Judicio.)

Denique reddendum & aliud severo Judici; nempè in inferno, in æterno carcere, æterna pœna. (IV. In Inferno.)

Elige nunc peccator ubi potius reddas debitum: an in mundo ubi decem millia talenta dimittuntur, an in inferno ubi neque unus quadrans dimittetur? Hactenus S. Doctor. Ex quo conficio quemque nostrum, qui sibi consultum volet æternos in annos, quamdiu vivit, ac spirat in hac aura mortali, in unum illud eniti oportere, ut Deo reddat quæ Dei sunt: At quæ inquies illa? (Deo reddendum.)

Primò corpus, & hæc lutea moles; qualis qualis est, Dei quippè est. (I. Corpus.)

Oleaster, & Eugubinus putant Creatorem in prima Universi molitione induisse formam humanam, & adinstar figuli alicujus è molli luto argillavè meliore effo mâsse corpus; ac deinde in illud insufflasse, animamque inspirasse.

Ut ut sit hic non disputo; sit illud in lite: at hoc extra litem; corpus effinxisse suis manibus, id est, potentia, cujus symbolum est manus: adeoque ex jure reddendum illi corpus, ut figulo vas redditur, quod effinxit.

Reddatur

II. Anima. Reddatur deinde & anima, quam altiore quodam ac Divino oris sui flatu immisit in corpus mortale, ut illi esset quod equo sessor, quod navi rector, quod dux cæco, quod puero pædagogus: Ita totus homo reddetur Deo, cujus est totus: & verò quidni reddatur, cùm eâ ratione etiam futurus sit beatus.

Epist. 41. *Redde te illi, ut beatus sis, à quo accepisti ut sis*, benè monebat Augustinus.

III. Talenta. Redde etiam talenta, quæ in te liberali manu conjecit Deus: talenta dico, hoc est, naturæ dona, subtile ingenium, judicium acre, memoriam fidelem, sanitatem, formam, & corporis robur, vimque lacertorum: talenta inquam, id est, dona gratiæ, seu ea, te Deo superisque gratum faciant, ut charitas, aliæque virtutes illi comites ac pedisequæ; seu mundo spectandum ac mirabilem, ut sunt gratiæ gratis datæ, quales sunt vis addita miraculorum, prophetiæ, discretio spirituum, & peritia linguarum non studio quæsita, sed cœlitùs infusa. Hæc redde Deo largitori etiam cum fœnore. Ita reddidit fidelis ille servus, qui sic ad Dominum: *Quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum*. Ita reddidere Apostoli, Dominicæ vineæ cultores Eximii, Ecclesiæ Duces, ac Primipili, qui in decretorio illo die, & *Electorum examine* trahent ingentes animarum manipulos, quos Cœlo & beatæ æternitati pepererunt. Matth. 25. 21. v. 20.

Ibi (ut disertè S. Gregorius) *Petrus cum Iudæa conversa, quam post se traxit, apparebit: Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens: Ibi Andreas post se Achaiam: Ibi Ioannes Asiam: Thomas Indiam in conspectum sui Iudicis conversam ducet: Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt*, Deoque bonorum omnium Authori reddent quæ Dei sunt, & quidem cum ingenti fœnore: vide ut & tu reddas, amice Lector. Hom. 17. in Evang.

*****

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.



CECINIT olim Propheta Regius: *Ad meipsum conturbata est anima mea, propterea ero memor tui de terra Iordanis, & Hermonii.* Psal. 41. v. 7. Afflictio ad Deum ducit.

Iordanis, interprete D. Hieronymo, est *descensus & humiliatio: Hermonium, anathema* significat.

Cùm staret David in aurea Sionis arce, cùm ex voto fluerent omnia; & à Deo & à seipso longiùs abiit: at ubi stetit in terra Iordanis & Hermonii, in terra, dico, afflictionis; tum & ad se & ad Deum redit. Davidem.

Ita nimirum fieri pronum est: ubi læta, mollia, amantiáque omnia sunt; facilè nostri obliviscimur & Dei: ubi tristia, dura, adversaque incurrunt; Cœli memores, ad illud manus tollimus, & inde malis nostris remedium petimus.

Exemplo primùm erit Iaïrus, Synagogæ Princeps: huic erat filia, eáque unica, quam mors immatura & patri eripuerat, & terris: amor, dolorque remediúm quæsivit, & ad vitæ Authorem deduxit, ut ab illo vitam reciperet, quæ jam amiserat: Et verò etiam recipit. Adeò verum illud, afflictiones ad Deum ducere, ab eo solatium petere, atque invenire. Jaïrum.

Quod docet etiam Hemorroissa, quæ ut pertinacem sanguinis fluxum sisteret, ad CHRISTUM accessit, vestimenti fimbriam manu tetigit, & fide, Dei potentiam percepit, & ab hac etiam malò suo remedium. Et certè quidni perciperet plena dolore, & amore plena? Refert Ionvillius in vita S. Ludovici, fratrem Ivonem ex Ordine D. Dominici, cùm Regis sui jussu iret ad Sultanum Damasci Præsidem, incurrisse in fœminam, quæ unâ manu ignem, alterâ aquam gestaret. Huic similem dixero Hæmorrhoissam, ut quæ hinc aquam longæ afflictionis, morbíque ferat diuturnioris; inde verò ignem, in quo & Fidei lux amœna, & calor æstúsque Divini amoris. Ab hoc primùm animo, deinde corpori fuit quàm optimè: fons enim sanguinis, qui duodecim jàm annos fluxerat non sine ingenti doloris sensu, stitit illicò, atque ad sacræ vestis attactum exaruit: Et hæc brevis historiæ series, in quâ Hemorroissam.

EX D. THOMA.

Serm. 2. IN muliere CHRISTI beneficio hîc sanatâ, *Moraliter notantur tria:*

Matth. c. 9. Primò, *Peccantis animæ miseria*, his expressa: *Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur.* Patitur autem anima fluxum sanguinis tribus modis: 1. *Per nimium amorem consanguineorum*: Hoc peccarunt Mich. c. 3. *Principes domûs Israël, qui ædificabant Sion in sanguinibus*; hoc est, in consanguinitate. 2. *Propter fluxum carnalium delectationum*; ab hoc se liberari petebat David, cùm hæc ad Deum: Psal. 50. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis mea.* 3. *Propter operationem quorumlibet peccatorum*; de hac sic olim Oseas: Cap. 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.*

Secundò, *Peccantis humilitas*, vel sic agnita; quòd *accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.* In quo notantur tres effectus pœnitentiæ: 1. Est *Fides*, à qua audiit lætum illud: *Fides tua te salvam fecit.* 2. *Humilitas*, quam accedens retrò humili infirmitatis suæ confessione testatur. 3. Est *labor satisfactionis*; turbam enim confertam pervasit, ut vel fimbriam vestimenti tangeret.

Tertiò, *Vtilitas pœnitentis*, quam sic indicatam voluit CHRISTUS: *Fides tua te salvam fecit.* Est autem à pœnitentia *Vtilitas triplex*: 1. Quia Deus à peccatore aversus ad eum convertitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Zach. c. 1. Ita conversus ad mulierem IESVS. 2. Quia Dei gratia ei infunditur. ita infusa D. Petro, quem ut respexit JESUS, flevit amarè. 3. Quia salus acquiritur: *Convertimini ad me, & salvi eritis*; Isay. c. 45. & ita hîc salvata est mulier.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 23. post Pent. Serm. 3. DIvus Bonaventura tria notat, quæ plurimum faciunt ad Divinæ bonitatis commendationem.

Primum, est *Dignatio gratuitæ adoptionis*, quæ innuitur hac voce, *Filia.* Nimirum *Dominus animam adoptat in filiam propter tria:*

Unum, est *Splendor cœlestis Intelligentiæ*, & amœna quædam Fidei lux: Ioan. c. 1. *Dedit enim potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in Nomine ejus*; quod dum æqua lance perpendit S. Præsul exclamat: *O Deifica virtus Fidei!*

Alterum, est *Decor Castitatis & munditiæ*; ab hac Psal. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.*

Postremum, est *Timor Humilitatis*; ab hac Sponsam extollit cœlestis Sponsus: Cant. c. 7. *Quàm pulchri sunt*, inquit, *gressus tui in calceamentis filia Principis.*

Secundum, quod à Servatore quàm optimo dictum amat ac miratur D. Bonaventura, est ea vocula, *Confide*, amoris plena, plena compassionis, & *virtuosæ animationis.*

Confide, inquit, 1. *In filii Sapientia, ut illumineris ab errore infidelitatis & ignorantiæ.* 2. *In Spiritus sancti clementia, ut purgeris à fœtore deformitatis culpæ.* 3. *In Patris potentia, ut saneris à languore pœnalitatis miseriæ.*

Tertium, in quo Salvator omnia magistri officia, exhibet, est istud: *Fides tua te salvam fecit*; docet nimirum ad corporis, animique curationem necessariam esse Fidem.

Sed quæ inquies illa?

Primò, *Solida, in credendo vera fideliter.*

Secundò, *Devota, in expectãdo promissa certitudinaliter.*

Tertiò, *Magna, in operando ardua viriliter.*

Et ea fuit Hemorroissæ: credidit enim CHRISTUM, ceu communem animorum corporúmque medicum, sanguinis sui fluxum sistere posse, non imperio solum, non verbo; sed vel solo vestis attactu: expectavit deinde certa illius promissi: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Denique in opus exiit: perrupit enim ac penetravit confertam populi turbam, propiusque accessit, ac *tetigit fimbriam vestimenti ejus*; ab eâque morbo suo remedium hausit. Tantum in illa potuit vel sola Fides; sed *Fides certa in credendo, devota in expectando, magna in operando*, qualis etiam & sanctorum fuit.

Sancti quippè per Fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Heb. c. 11.

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Filia mea modò defuncta est.* Matth. c. 9. v. 18.

QVÆ SIT ILLA FILIA?
Et quomodo vita reddita?



AB historico sensu, descendam ad moralem. Hic enim instituto meo maximè accommodus:

Matth. c. 9. v. 18. *Ecce Princeps unus*, inquit Evangelista. Unus quidem, quia difficile est principes, ac divites turbis implexos sæcularibus ad CHRISTUM accedere, adeoque inter plurimos unus.

Jairus quid? Et huic nomen erat *Iairus*, hoc est, *Splendens*, vel *illuminans.* *Iair* enim hebraicè, id est, *Splendebit*, vel *illuminabit*: quidni enim is esset & nomine, & re etiam ipsa qui erat Synagogæ Princeps, adeóque, cui ex officii ratione incumbebat cæteros inter lucere, splendere ut Sol inter minora sydera.

Huic erat *Filia*, eâque duodecennis.

Quæ filia? *Filia* illa si nescis, ô homo: *Est, anima tua*, quæ tibi in oculis, atque amoribus esse debet, ut parenti filia. *Ea mortua est per culpam; cui manus CHRISTI imponitur per gratiam*; simulque adduntur & alia cœli dona: ut enim piè D. Bonaventura. D. Bonav. in Dom. 23. p. ft Pent. Serm. 2. *ea Christi Servatoris operatio facit quatuor in nobis: purgat culpam; reparat naturam; confert gratiam; præparat gloriam.*

Anima. At quomodo, inquies, hæc præstat præpotens illa Dei hominis manus? Attende qui Principis filiam à somno mortis excitarit, & inde conficies qui etiam animam à peccati lethargo.

Serm. 2. In illa quatuor consideranda occurrunt: *Turba ejicitur; IESVS ingreditur; manus puellæ tenetur; surgere jubetur.*

Et hæc

Quomodo resuscitatur? Et hæc apprimè conveniebant restituendæ vitæ corpori jam exanimi, ac frigido: eadem quoque & animæ, si à scelere lethali sit mortua.

Primùm emittatur insolens mundi turba, ejiciantur tibicines, & lamentatrices profano more; à Cœlo quippe petenda tantis in malis solatia: ad hæc nihil faciunt planctus, & lamenta etiam pretio empta; imò sæpè sæpius nocent. *Turba mala societatis salutem impedit*, inquit D. Bonaventura; imò & benignorem CHRISTI aspectum.

Testis erit Zachæus, qui *non poterat IESVM videre præ turba*; neque videbis ipse quisquis turbæ permixtus eris.

Certè si non ejicis à te turbam malorum in mundo, non pervenies ad turbam beatorum in Cœlo, ut rectè Seraphicus Doctor.

Ejectâ porrò turbâ intrabit JESUS *domum mentis*; intrabit, inquam, *per gratiam prævenientem*: Et quidem primò *ad suscitandum*; deinde *ad defensandum*; denique *ad convivandum*, ut explicat idem S. Præsul.

Suscitabit in justificatione; defendet in tentatione; conviviumh extruet in oratione, in qua deliciis affluès non peribis.

Ubi autem hæc tibi fecerit indulgens JESUS; Ubi, inquam, & sæculi turbam tumultuantem ejecerit; Ubi etiam intrarit *per gratiam prævenientem*; tum manum tenebit *per gratiam subsequentem*. Tenebit enimverò *ad surgendum, ad deducendum, ad sumendum*.

Ad surgendum quidem de culpa, in qua jacueras, quod Divinæ Misericordiæ est argumentum, & ad illius amorem potens incitamentum. Ut enim verè D. Bonaventura: *Tenet Dominus manum suscitando, ut teneas amando Dominum*.

Sic tenuit Sponsa, Sponsi amantior, quæ hæc ex vero jactavit: *Tenui illum, nec dimittam*. Exemplo Sponsæ: *Tene, mi Lector, Dominum ut te per timorem tene te in Domino per amorem*. Cant. c. 3.

Et certè quidni sic teneas, cùm etiam ipse sic tenearis? Quippè *sinistrâ tenet te Dominus per timorem; dexterâ per amorem*.

Ubi autem sic tenuit, tum deducit per gratiæ salutisque semitas, per amœniores virtutum omnium vias. Ita deduxit olim Davidem, carum in paucis caput, & hominem secundùm cor suum; qui dum beneficam Dei manum in se sentit, agnoscitque, exclamat: *Deducet me dextera tua*, per hujus vitæ calles ad colles æternitatis. Et hoc est summum, ac postremum CHRISTI Salvatoris beneficium, qui sic animam tenet ut deducat, sic deducit ut Cœlo tandem assumat.

QUÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.* vers. 20.

QUÆ FUERIT ILLA MULIER? Et quæ illi ad sanitatem via?

Quæ illa mulier? E muliere illa, sua est inter Authores disceptatio.

Sunt qui credant esse Veronicam, quæ deinde accepti beneficii memor, CHRISTO ad Calvariæ verticem eunti, velum obtulit detergendo sudori. Ita refert Evangelium Nicodemi; sed hoc apocryphum est, & dubiæ Fidei. An Veronica.

An Martha? D. Ambrosius censet fuisse Martham Magdalenæ sororem; & hæc quippè, & illa sic S. Præsul: *Dum largum sanguinis fluxum siccat in Martha, dum dæmones pellit ex Maria*. L. de Salom. c. 5.

Sed nequè hæc opinio placet: Martha quippè Bethaniæ orta; hæc autem Cæsareæ ex Phœnicia; uti existimat Eusebius, probatque ex erectoibidem monumento. Lib. 7. c. 14.

An alia? Postquam enim à sanguinis fluxu libera mulier in suas ædes evasit, ut iret in sæcula posterosque omnes tanti beneficii memoria, CHRISTO Salvatori, hinc statuam erexit ære fuso, cui oblonga vestis ad talos usque defluebat; inde verò, atque ex adverso suum ipsius effigiem, quæ supplicis in morem modumque flexo poplite, junctis manibus ad CHRISTI statuam erat conversa.

Ad illius statuæ pedes cùm deinde succrevisset herba, ubi ad æneì vestitus fimbriam excreverat, exsugere videbatur vim medicam, & natura superiorem; utpotè quæ morbis propè omnibus remedium afferret. Diceres à fimbria vestimenti Servatoris transfusam esse virtutem occultam in ipsas oras fimbriamque ipsius statuæ.

Lib. 5. c. 20. Ea porrò statua, teste Sozomeno, stetit adusque tempora Juliani Apostatæ, qui insolenti ausu eam evertit, suamque substituit, quæ deinde fulmine discussa, fractaque.

Et hæc de illa muliere dicta sint ex Authorum fide. Venio ad rationem, modumque, quo sibi sanitatem invenit; & hanc, & illam ore aureo explicat, ornatque Chrysologus. Ratio curationis.

I. Fides. Primum enim sic ait: *Post certamina desperata medicorum, post medicamina sumptuosa, post inanem & antiquissimam curam, ubi ars & peritia defecerat jam curantium, ubi languentis omnis jam consumpta fuerat substantia; ipsi authori reverendum vulnus, non casu, sed divinitus occurrit, ut quod humanâ arte tot annis curari non potuit, solâ Fide & humilitate curaretur*. Serm. 35.

Et hæc prima ad sanitatem via; frustrà alibi tentata remedia.

II. Pudor. Altera fuit verecunda quædam mulieris modestia, pudorque: *Stabat enimu, quam natura pudorq, perfuderat; & hinc ne verbulum pro se loqui. Nempè dicere non est ausa, ne circumstantium confunderet & oneraret auditum*.

Et inde, quod etiam verecundiæ fuit, *quæ non metabatur corpore, corde pervenit ad medicum; ut fide Deum, manu tantùm tangeret vestimentum*: quod ut faceret pavido ac suspensò gradu accessit retrò.

III. Humilitas. Nimirum, *sic agebat ut sibi & rediret sanitas, & verecundia non periret; curabat ne cura sua ad curantis redundaret injuriam; providebat ut redderetur sibi salus salvâ reverentiâ Salvatoris*. Quod ut fieret, *accessit retrò, ut habitu lateret & corpore: Et curam fide sola quæreret, quia ad videndum se judicabat indignam*; indignam dico, quæ veniret in oculos, faciemque CHRISTI; sed mirum profectò; *ibi faciem, quam declinabat invenit*.

Erat enim in CHRISTO oculus, *qui post sese supplicem videbat*: oculus, inquam, Deitatis; ad quem solum

solum dum aspiceret mulier, dicebat intra se: *Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.* Serm. 34.

Ita mulier verecundo vulneri qualiter subveniret, invenit: ubi fides insinuaret silentio quod insinuare publico clamore non poterat, & secretâ spiritus viâ cœlestem perveniret ad medicum, ad quem pervenire manifesto carnis itinere non valebat.

IV. Tactus. Ubi autem sic pervenit: *Tetigit, fimbriam vestimenti ejus.*

Serm. 35. *Tetigit*, inquam, *sciens quòd Deum nec polluit tactus, nec offendit visus, nec odor exasperat, nec auditus sauciat, nec inquinat humana cogitatio.*

Qui enim inquinaret? *Sol est: imò creator Solis, qui tangit omnia, & tamen non potest ullis contactibus inquinari.*

Hujus probè conscia mulier, *Tetigit fimbriam vestimenti ejus, quia in Christo nihil postremum crédidit, nihil judicavit extremum: quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria, nec cœlestis natura membrorum variatur officiis.*

Hinc est quod mulier per dorsum pervenit ad faciem, per vestimentum penetravit interna, & per fimbriam, capitis tetigit summitatem.

Et hæ fuerunt ad sanitatem viæ: *Dum enim tangit fimbriam Christi, Divini pectoris pulsat arcanum, & furto Fidei summam rapuit de fimbria summitate virtutem;* quam ut exire de se sensit Salvator, versus ad confertam turbam, ait: *Quis tetigit vestimenta mea? Non ignorantis errore; sed majestate scientis, & præscientis interrogat, & quærendo cunctis ignorantibus solus aperit quod latebat;* simúlque mulieri consulit quàm optimè, *ut quæ sibi portaret salutem, omnibus reportaret; & quæ virtutem probaret, agnosceret Majestatem.*

Et verò etiam agnovit; imò & prædicavit. Mox quippe *venit in medium, ut quem occultè senserat medicum, palam profiteretur & adoraret ut Deum; & tam præsentibus, quam futuris fieret de tanto suo languore medicina.*

Quæ illa mulier? Et hæc ad historiæ fidem seriémque dicta sint. Ad allegoriam declinemus, videamúsque paucis quæ sit illa mulier? Quis fluxus sanguinis? Quis tactus Dominicæ vestis? Et quæ inde ad animum immortalem sanitas?

Hanc quæstionem etiam movit, solvitque Chrysologus, eâ, quâ solet ingenii solertiâ, eâ vi verborum, & sacratioris eloquentiæ nervo.

Archisynagogi filia, est Judæorum Synagoga; ad hanc venit Christus, *ut ipsa ad vitam per Fidem redeat, quæ per legem mortua fuerat, & perierat per naturam.* Serm. 36.

Mulier autem illa, est Ecclesia Gentium: *Hanc geminus sanguis, naturalis debilitas, originalis morbus ad causas mortis, ad lethale vulnus, ad fœdi languoris adduxit angustias. Hanc sordidavit vitiis, fœdavit criminibus, secretis vulneribus sauciavit;* & sic quidem ut eam *neque ars humana curare posset, neque lex ipsa mundare.* Ecclesia Gentium? Nimirum *primi hominis vulnerata peccato, toto fluebat sanguine, tota originaliter decurrebat ad mortem.* Quis fluxus sanguinis?

Ne porrò sic prona ac præceps decurreret, *Accedit retro, hoc est, Fidei sequitur auditum, & extrema Christi velut ipsam tangit fimbriam.*

Dum enim non honoratur in Patribus, non sanctificatur in lege, non se jactitat in Prophetis, non Dominico ipso honoratur in corpore, dum ab illo generationis Christi ordine habetur extranea, post tergum, hoc est, novissimo tempore Christum sequitur, & sancitur occulto Fidei Sacramento, & verè tangit vestimentum quod in sepulchro reperit, & per quod resurgentis Domini credidit & prædicavit insignia.

Et hic est spiritalis tactus, à quo ad sanitatem animæ aperta est via; à Fide quippe ad Spem, à Spe ad Charitatem, à Charitate ad Gratiam, à Gratia denique venit ad Gloriam; ad quam & ipsi veniemus aliquando, si vestimenta Christi sic tetigerimus, ut illa quondam mulier: sed quæ, inquies, ea vestimenta, quísve eorum tactus etiam nobis Numine propitio concessus? Quis tactus?

Vestimenta Christi jam in Cœlo beatioris, & in terras veluti descendentis, sunt eæ, quas dicimus species Sacramentales; has tangimus dum attrectamus manibus, & ore sumimus: benè habet si eâ quâ par est Fide, reverentiâ, pietate, charitate. Sed heu, exclamat D. Chrysologus: Quæ vestimenta?

Heu miseri qui quotidie Corpus Domini tractamus & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur: Non Christus infirmantibus; sed Fides deest. Serm. 35.

Ad hanc excitandam nos provocat vel hujus mulieris exemplum, vel in illo Fides; ideóque ut rectè monet D. Chrysologus:

Audiant Christiani, qui quotidie Corpus Christi attingunt, quantam de ipso Corpore sumere possint medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. sed quod nobis flendum est: mulier de vulnere medicinam tulit, nobis medicina ipsa contorquetur in vulnus. Serm. 34.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *IESVS in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo.* Marci cap. 5. v. 30.

QVÆ FVERIT ILLA VIRTVS? An Corpori Christi? An etiam vestimentis impressa?



DIVUS Chrysologus mirè extollit mulieris illius Hemorroissæ fidem, ut quæ Divinitatis virtutem ac potentiam etiam in ipsam vestimentorum fimbriam derivatam esse certò tenuerit.

Serm. 34. *O quid ista mulier*, inquit, *vidit inhabitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria Divinitatis totam vidit inhabitare virtutem.*

Hæc S. Chrysologus; eadem & sancti Patres ex illo Christi ad Discipulos: *Novi virtutem de me exisse*, Græcè δύναμιν, id est, *potentiam.*

Quæ illa virtus. Sed hinc manat implexa quæstio, quæ fuerit illa virtus? An sacro Christi Corpori indita? An etiam in vestimenta diffusa, quæ exire, elabi, atque effluere quodammodo posset?

Theologi hac in parte scinduntur in duas sententias.

Montanus existimat in ipso Christi Corpore fuisse virtutem aliquam, ac veluti qualitatem medicam, à qua peti posset morbis omnibus remedium. An qualitas Medica?

Tum etiam addit, eam virtutem in ipsa quoque vestimenta fuisse diffusam, eo ferè modo, quo ex unguento pretioso in vestes effundi solet odor, & inde etiam in auras, aërémque, quem suavi quadam fragrantia imbuit.

Pro hac opinione peti potest argumentum à

simili;

Act. c. 5. simili: si enim vel sola Petri umbra adeò medica fuit, ut quisquis æger in eam ivisset, exiret illicò sanus ac valens.

Annales Gallia. Si umbra D. Remigii Arianum Episcopum ea garrulo mutum, ac velut elinguem fecit: quidni & vestimenta CHRISTI vel solo attactu cadebili fortem, ex ægro sanum faciant? Certè vestimentis inesse potest plus virtutis, quàm inani umbræ.

Authores legi non infimæ notæ, qui vellent umbram Petri vim habuisse Medicam, & Physicam quidem, quâ morbos pelleret, quâ redderet sanitatem, quod tamen (ut ingenuè dicam quod sentio) de umbra non ausim asserere; cùm umbra nihil realis ac Physici habeat; sed sit mera privatio lucis orta ex objectu corporis opaci. At de sacro CHRISTI Corpore, déque vestimentis id liberiùs & certiùs dici posset; & certè jam vulgatum in Scholis, jam dictum in pulpitis & huic, & illi ingenitam fuisse vim quandam miraculorum; quæ an Physica fuerit, an Moralis tantùm, in dubio est, & adhuc sub judice.

An vis Physica?

Qui Physicam amant, inter se non conveniunt: sunt enim qui positam velint in qualitate humanitati infusa, & ad vestes delapsa; sunt, qui in motu quodam artificioso; res sanè implexa, & explicatu difficilis, à qua se expediunt illi, qui motalem duntaxat astruunt. Hæc autem in eo posita, quod Divina potentia sic assistat illi humanitati, ut vel ad illius verba primásque voces, vel ad solum vestium attactum, mira ac prodigiosa supra omnem naturæ vim operetur. Et huic opinioni facilè subscripserim. Verùm ne longiùs; ista meliùs explicantur in Scholis quàm jactentur in pulpitis.

An Moralis?

Parum enim ad institutum meum interest, fueritnè virtus illa Physica, an Moralis. Si modò fuit, ut fuisse probavit experientia, probavit & Oraculum primæ Veritatis, quæ ad tactum vestium CHRISTI sensit, edixitque virtutem exisse de se: *Virtutem* dico veluti medicam, quæ fluxum sanguinis sisteret. Nimirum inerat illis religio quædam, sanctitas, & vis quasi instrumentalis miraculorum.

An instrumentalis?

Neque hoc adeo mirum & insolens videri debet, cùm etiam vel ipsis Apostolorum vestibus ac sudariis similis aliqua vis divinitùs impressa videatur.

Testem volo nascentem Ecclesiam, quæ non sine sensu pietatis ac stuporis, vidit ad ægrotos deferri sudaria, & semicinctia D. Pauli, & ad eorum attractum è corporibus ægris depelli morbos.

Juvat illius meminisse temporis. Ephesi agebat Paulus, ad Judæos, Gentilésque tonabat è pulpito, jactabat sacratiora Evangelii verba, eáque miraculis, ceu sigillo altiore, firmabat; ægros sanitati, mortuos vitæ reddebat, etiam vel sola sui corporis umbra, ut vult D. Chrysostomus.

Hom. 6 in Ep. 1. ad Cor.

Quod si per occupationes vocatus ad infirmos venire non posset: *Super languidos deferebantur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.*

Credidisses D. Pauli sudariis, ac cingulis inditam esse vim quamdam medicam, virtutemque miraculorum; & verò erat indita vis aliqua saltem moralis, cùm etiam ad solum eorum attactum Divina potentia sese exereret in varia prodigia, morbidos curando, dæmonésque è corporibus, velut injustè usurpans hospitiis, depellendo. *Act. c. 19. v. 12.*

Et inde apud primævos Christianos manavit ea religio, ea in sacras Sanctorum reliquias veneratio; si enim eorum ossa, sacrosque cineres nancisci non possent, id saltem moliebantur ut eorum sepulchris apponerentur Sudaria, Vela, Zonæ, aut id generis alia, quòd existimarent illo attactu aliquid imbuere sanctitatis, aliquid potentiæ altioris.

Ita toto ferè orbe, ex urbe Roma, velut arce religionis, emittebantur Vela ac Sudaria, quæ sepulchra Apostolorum Petri & Pauli contigissent: & eo attactu imbuebantur Divinâ quâdam virtute, à qua mirum quantum ad religionem, ad venerationem ponderis accedebat: cui ut aliquid de suo calculo adderet S. Leo Pontifex Maximus, probarétque morem illum plenum pietatis, ex sudariis unum incidit, & ecce novum, ac stupendum inde miraculum. E scissura illa effluxit copiosus sanguis; dixisses sudarium sensisse aciem ferri, vimque illatam prodidisse, aut certè affusam sibi sanctitatem, ac venerationem qualis & Apostolorum sanguini deberetur: Et certè debebatur; etiam Cœlo judice, testéque per mille prodigia, quæ hoc profectò evincunt: non solùm Sanctorum corporibus; sed & eorum vestibus, imò & iis rebus, quæ aliquo modo adjacuerunt, aliquid adhæsisse virtutis ad patranda miracula.

Quo in genere etiam amabile illud, simulque stupendum, quod refert D. Augustinus: Flores, qui D. Stephani sepulchrum vel attigerant, vel ornarant, vel odore imbuerant suo, retulisse vim aliquam miraculosam ad curandos ægros, non corpore solùm; sed quod gravius est, etiam animo ad cœlestia monita duro, ac pervicaci: ut ostendit D. Augustinus in Martiali, qui cùm abhorreret à Christiana religione, in eam suaviter inductus est attactu florum, qui fortè ab ejus genero ex Altari D. Stephani desumpti, & capiti dormientis impositi: via enim compositum ex iis sertum induerat, cùm evigilavit, & totus alius à seipso exclamavit, ut illicò vocaretur Episcopus; à quo Sacris undis tingi posset. Eo certè absente, & cum D. Augustino Hippone agente, evocati Præsbiteri, quos ubi de mente, déque sua in Christum Fide docuit, Baptismo probè elutus est, & Christianis adjunctus. Tanta vis fuit in illis floribus, ut etiam ad animum usque dimanarit. *Lib. 22. de Civit. c. 8.*

QUÆSTIO QUARTA.

THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Mat. c. 9. v. 20.

AN SUPERSTITIONIS? AN VERO RELIGIONIS SIT, virorum sanctorum ossa, aut etiam vestes tangere, osculari, venerari, & in pretio habere?

Calvini error.



ALVINUS ubi meminit Hemorroissæ, quæ seu venerationis, seu sanitatis ergo, Christi fimbriam attigit, arguit illam, damnátque superstitionis; in quo profectò etiam ipsum Christum tacitè arguit, damnat, facitque ejusdem criminis reum. Si enim illa venit in culpam superstitionis, quod fimbriam attigerit religioso cultu, ac supplice reverentiâ: Certè JESUS ipse, qui & eam tangi passus est, in idem venisse scelus dicendus erit, idque ex Calvini Logica, quod tamen pronuntiare audax esset, impudens ac nefanda blasphemia in CHRISTUM Salvatorem fœdè jactata.

Verùm quid facias? Is Calvini, is quoque in præsentia hæreticorum genius est, ut nihil sacrum sit,

Molinæi. In Epist. impressa in Hollandia. quod non carpant, & maledico dente rodant. Uti deinde fecit Molinæus Ministellus Sedanensis, qui Reliquiarum attactus appellabat probroso nomine, *Hypochondriacam Papistarum devotionem.*

Hæretico-rum. Idem censuere, idem dixere hæretici alii, novorum dogmatum amantiores; quos erroris damnat, damnabitque in ævum omne, quæ retro fluxit, antiquitas, unàque cum illa nascens Ecclesia, & consequentia longè sæcula, quæ Reliquiarum cultum ac venerationem admisere, ac probavere.

Refutatio. Et quidem primò Apostoli. D. Paulus Vas electionis, Evangelii turba, organum Sancti Spiritus, cùm ad ægros ipse ventitare non posset, ad illos deferri patiebatur Sudaria sua, ac semicinctia: quæ dum religioso cultu exciperent Christiani, ægrisque corporibus apprimerent, si rei fuissent superstitionis, reus fuisset & ipse Paulus, qui hæc spectabat, imò & probabat: reum autem & credere nefas, & dicere impudens, atque blasphemum.

Exemplo D. Pauli.

D. Jacobi. D. Jacobus CHRISTO junctus etiam aliquâ sanguinis communione, Hermogeni primùm Mago, deinde Christiano Scipionem, quo nitebatur dedit, ut eo uteretur adversus dæmonem, à quo diu, noctuque fatigabatur: & verò usus fanè fœliciter; eo quippe pulsus dæmon, ceu baculo canis.

D. Jo. Bapt. D. Joannes Baptista se credere, & palam jactare indignum qui CHRISTI fimbriam tangeret: non credidisset porrò, non jactasset, si fuisset illud superstitionis, ac non potiùs debitæ venerationis obsequium.

D. August. Lib. 22. de Civit. c. 8. D. Augustinus, apud quem intacta, atque illibata religio (ut fatentur etiam Novatores) populum sibi subjectum ad Sacras D. Stephani Reliquias ex compitis, & oppidis, ea urbibus eacivit religionis ergo: non excivisset autem si fuisset malesanæ superstitionis, & nobiles illas Protomartyris exuvias tangere, & debito honore prosequi; imò & sparsos tantum feretro flores colligere, ac venerari.

D Hieron. Contra Vigilan. D. Hieronymus D. Augustino coætaneus, apud quem etiam pura putàque Fidei veritas, Vigilantium acri, ut aliàs, stylo pupugit, quod sanctorum Reliquias debito cultu privaret: non pupugisset autem, si colere fuisset superstitiosæ vanitatis.

Ille ipse S. Doctor mirè prædicavit Imperatoris Arcadii erga Superos pietatem, vel ex eo, quòd Samuëlis Prophetæ cineres, magnæ mentis exuvias, in Thraciam solemni pompâ transtulisset; tum addidit quis ad eas concursus, & quæ veneratio.

Omnium Ecclesiarum populi occurrerunt Sanctorum Reliquiis, & tantâ lætitiâ quasi præsentem ac viventem Prophetam cernerent, susceperunt: ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudem unâ voce resonarent.

Nimirum fuit ille populi sensus, haustus jam inde ab Apostolis & nascente Ecclesiâ, quam damnare superstitionis; impudentiæ est, & ingeniò ad nova dogmata lasciviensis. Sed redeo ad Sanctos Patres.

D.Antonii. D. Antonius, magnus Eremi cultor & Monachorum parens, D. Pauli chlamydem è juncis compositam, & nisi longo detritam, ceu Reliquias sancti senis, adeo religiosè servavit, ut iis non uteretur, non se tegeret, nisi festis solemnioribus: tum enim eam induebat, eâ humeros ornabat, longè ambitiosius, quàm purpurâ Reges: non ornasset autem, si credidisset esse superstitiosæ vanitatis.

Imo & Christi. Et hæc sunt Sanctorum hominum pro religioso Reliquiarum cultu vel testimonia, vel exempla. Quanquam quid ad homines appello? Ad Deum hominem appellare debui, qui fimbriam, ceu adjacentes corpori Reliquias, tangi est passus; & ut probaret attactum, virtutem de se exire, elabique potentiam voluit, ut inopus exiret supra artem medicam, supraque omnem naturæ vim: Imò ad Patrem Æternum ducere Novatores nostros debui, ut vel ea eo discerent, quæ vis in Sanctorum ossibus, frigidoque cinere resideret, etiam probante Cœlo, ut terra deinde prodigiis evicta probaret.

Miracula Elisæi. Vita excesserat nullus homo, cujus cadaver dum sepulcro condere laborarent mœsti portitores, ecce in oculos occurrunt latrunculi, quorum vim, manusque ut declinarent, & fugâ sibi illicò consuluerunt, & *projecerunt cadaver in sepulchro Elisæi: quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos.* 4. Reg. c. 13.

Hic ego te compello Calvine, te Beza, teque Molinæe: Unde in corpus exanime vita? Unde spiritus rediit? Unde à tactu ossium Elisæi: Sed unde in ossibus aridis ea virtus? Utique à Deo, qui dum ad ossium tactum suam potentiam explicat, mortuumque vitæ reddit, simul etiam ostendit, quæ in exuviis ac reliquiis servi sui Elizæi vis foret, & quæ ab illa deberetur veneratio.

Ratio illius cultus. Sed quæ, inquies, est illa? Et quem afficit? Ad quem spectat, ac tendit velut ad scopum? Hic ferè est cardo in quo vertitur ea controversia, quæ nobis est cum hujus ævi Novatoribus. Jactant enim hi, Papistas ridiculâ & anili superstitione colere vestem laneam, vellus unius oviculæ; osculari sericum, bombicum viscera; honorare cathedram, aut sedile, opus fabri lignarii, ossa arida mœstosque cineres, quos terra tegit, aut spargit aura: hæc, inquam, jactant, obtrudùntque Catholicis hæretici. Videamus an rectè:

Et terminus. Non adeò sensu caremus & ratione, ut in iis sistat cultus ille noster: non vellus, non sericum, non lignum honore dignamur & osculo; sed in vellere, serico, ligno sanctos quibus illa quondam servierunt, colimus & honoramus, in hisque supremum Numen, quod in iis, ceu servis, colitur & honoratur: Et hoc quidem ex rationis dictamine, ex Fidei dictu, ex sensu totius Antiquitatis, quem excipies ea D. Ambrosio; sic enim ille:

Serm. 14. in festo SS. Nazarii & Celsi. *Si dicas mihi, quid honoras in carne jam resoluta, atque consumpta? Honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices; honoro viventis memoriam perennitate virtutis; honoro per confessionem Domini sacratos cineres; honoro in cineribus semina æternitatis; honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere; honoro corpus, quod Christus honorabat in gladio, quod cum Christo regnabit in Cœlo.*

Hæc ubi dixit ex suo ac religionis sensu, tum argumentum ducit ab ipsis inferis: *Cur non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones?* Certè si stygia illa monstra, etiam capita supponunt vel ipsis Sanctorum ossibus: si ea jubente Cœlo & nequicquam obstrepentibus inferis reverentur; quidni & nos, quos & fides edocet probè, & ad alnora Deus evocat?

Si denique vel ipsa etiam elementa, rationis, & sensus expertia, sanctorum exuvias muta quadam voce prædicant, atque extollunt: quidni & nos, quibus ad sensum ac rationem, cœli quoque lux altior accessit?

Henriquez l. 2. Dial. c. 5. Et verò prædicare elementa, docet illud, quod subjicio. Beati Etmundi cubicularius, cilicium, & femoralia, ipso usu jam penitus detrita, in ignem abjecerat, utique illius vi consumenda: sed ignis piis illas viri sancti exuvias, reveritus mollitèr eas adlambens ambire quidem visus est; at exurere, & consumere non est visus. Verebatur nimirum ea, quæ sancti corpus vel tantum attigissent: edace flamma violare, ac in mœstos cineres redigere.

Quod si ignis (elementum utique vorax, atque immite) Sanctorum reliquiis id defert obsequii, id honoris, ut suæ quodammodo naturæ, suæ edacitatis oblitus eas nec lædat, imò ne offuscet quidem fumo

fumo densiore: quidni & nos, qui Christiani & videri, & esse volumus, eadem omnino, imo & ampliora Religiosi cultus illis exhibeamus officia?

Ibidem. *Veneremur ergo in Sanctorum Martyrum gloria Fidem nostram. Mater quippe Martyrii Fides est.*

Honoremus beatos Martyres, Principes Fidei, intercessores mundi, precones Regni, cohaeredes Dei.

Neque, ut modò Novatores nostri, curiosâ & periculi plenâ indagine disquiramus, quô fiat istud quod tota retrò fecit Antiquitas: ut enim rursus D. Ambrosii verbis utar:

Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Ibidem. *Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem Fidem, quasi novellam discutere praesumas, & post tam manifestos duces, in errore permaneas, & post morientium sudores, otiosa disputatione contendas.*

QUÆSTIO QUINTA

THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Fides tua te salvam fecit.* vers. 22.

QVÆ FVERIT ILLA FIDES? ET AN AB ILLA salva mulier, non corpore tantùm; sed & animo?

An sola Fides salvet.



Ic triumphare sibi videntur haeretici nostri temporis, & Catholicis insultare; próque sua fide patrocinium petere ex hoc ipsu CHRISTI oraculo, hacque ad mulierem indulgennâ, quam expressit his verbis: *Fides tua te salvam fecit.*

Salvam, inquiunt, non corpore tantùm; sed & mente: quippe vero propior ea Patrum sententia, quod CHRISTUS (utpote & corporum, & animorum medicus) eos omnes mente curasset, quos curavit & corpore.

Quod si ita est, consequens erit illud, solâ Fide concessam, CHRISTO judice, Scripturâque teste, animi sanitatem, hoc est, justitiam, ac gratiam.

Pro hac opinione, praesidium petunt etiam ex aliis Scripturae locis; maximè verò ex hoc ejusdem Servatoris ad Synagogae principem: *Crede tantum,* Lucae 8. v. 50. *& salva erit,* nempè filia jam vita functa.

Omitto plurima alia Scripturae loca, quae uti perperam intelligunt haeretici, ita ex illis malè conficiunt, solam Fidem sufficere ad justificanonem: de qua controversia videri potest Bellarminus; mihi Dejustificat. enim hic attigisse satis erit, & locum, qui in quaestione est, explicasse; si tamen priùs audiero, quid hic effutiant Novatores.

Error Lutheri. Lutherus ubi cum cucullo Fidem Catholicam exuit, aliam planè induit, & luci dedit *mali corvi malum ovum*; quod ut excluderet, sic olim inquiebat.

In c. 2 ad Galat. *Sola Fides necessaria est, ut justi simus: caetera omnia liberrima; neque praecepta, neque prohibita.*

Ecce perversum dogma, quod expendendum accuratiùs, videndumque quae ex illo duci possunt ac debeant conclusiones, quàm dissonae à veritate, quàm alienae à ratione, & humana (etiam si voles tantum) politia.

Sola Fides, ait, *necessaria est ut justi simus*; igitur neque Spes, neque Charitas, neque Religio, neque Justitia, neque Temperantia, neque aliae virtutes necessariae sunt.

Addit deinde: *Caetera omnia liberrima; neque praecepta, neque prohibita.*

Igitur liberum homicidium, liberae caedes, furta, latrocinia, seditiones, adulteria, stupra, & alia quaevis scelerum monstra.

Adjicit & haec duo lucis causa: *Caetera neque praecepta, neque prohibita*; igitur neque praecepta Dei dilectio, neque proximi, neque cultus ullus Deitatis; neque prohibita ea omnia, quae illis quodammodo adversantur.

Neque praecepta erga superiores obedientia, erga aequales amor & charitas, erga inferiores pietas & paterna cura; neque prohibita, quae illis repugnare videntur: *Liberrima* quippe sunt *omnia.*

Nimirum haec Lutheri libertas fuit, quam dilucidè explicuit libro quem concinnavit de libertate Christiana, verius Lutherana, in qua haec placita in posteros emisit.

Bona opera non faciunt bonum virum: neque mala malum; sed sola incredulitas.

Ex quo pronuntiato, haec duo confici est necesse

In Lutheri schola sit aliquis justi rectique tenax, sit liberalis effususque in pauperes, sit in Deum pius, totus sit in operibus bonis; non adeò justus est: quia *bona opera bonum virum non faciunt; sed sola credulitas.*

Contra verò, sit injustus alius, fur sit & raptor, adulter, homicida, sit alus si voles criminibus implicitus; non ideò tamen est malus: quia *mala opera malum non faciunt; sed sola incredulitas.*

Et haec fuere impia Lutheri placita, quae ut aliis suaderet, sibi primum persuasit, altèque impressit: Ideòque noluisset Lutherus pro Orbe universo, pro Grana, pro Coeli gazis, aeternáque beatitate vel unicum bonum opus facere etiam labore levissimo; ut videre est ex iis, quae dixit libro de Mundo, folio septuagesimo.

Quod si Caelum, inquit, *apertum viderem, idq; culmo solummodo de terra sublato mereri possem, culmum nequaquam vellem tollere.*

Ignavus profectò, vecors, & in seipsum injurius, ut qui noller festucam è terra tollere, ut seipsum in Coelum tolleret. Horrebat nimirum, fugiebatque omne opus bonum; uti & fugit Calvinus qui & ipse Error Calvini. pugnavit pro sola fide; malus interpres Scripturae, ex qua conficere conatur fidem non tantùm esse initium justificationis; sed & incrementum, ac perfectionem.

Dixit olim D. Paulus & rectè: *Dei Institia ex Fide* Ad Roma. 1. *in Fidem*; inde sic argumentatur Calvinus: *Quis non videt principium pariter & finem hic designari? Alioquin dicendum erat, ex fide in opera; si quidem opera perficerent quod Fides inchoat.*

Dixit etiam Habacuc: *Iustus ex Fide vivit. Hoc*, inquit Calvinus, *Propheta valde improprie dixisset, nisi Fides continuaret vitam.*

Haec, inquam, perversus interpres ad suam mentem detorquet, contra sensum Scripturae, & totius Cap. 2. antiquitatis, quem colliges ex D. Augustino, qui ea D. Pauli verba genuinum sic exprimit: *Dei Iustitia* L. 2. de Spir. & Littera. *ex Fide* annuntiantium Evangelium transit in Fidem obedientium Evangelio: vel ut alii; ex fide Prophetarum in fidem Apostolorum; vel ex fide habita olim in Testamento veteri in fidem novi Testamenti; vel ex fide rerum praeteritarum in fidem futurarum; vel denique ex Fide imperfecta in perfectam, & Charitate formatam.

Hae quippè sunt antiquorum interpretationes in quarum

Catholicæ veritas.

Cap. 2.

quarum unam venire potuisset Calvinus, & non novam, temerariam, erroneam, & hæreticam ex suo genio cudere, omnemque Fidem perfectam ac vivam effingere. Certè Habacuc ubi dixit justum ex Fide vivere, de viva Fide subintellexit; non autem de *Mortua*, qualis D. Jacobo teste *est Fides sine operibus*.

Serm. 24. in Cant.

De Fide justificante.

Mors Fidei, inquit, D. Bernardus, *est separatio Charitatis; credis in Christum, fac Christi opera, ut vivat Fides tua; Fidem tuam dilectio animet, probet actio. Non incurvet terrenum opus quod Fides cœlestium erigit. Qui te dicis in Christo manere, debes sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti te. Hoc Christus non fecit. Confiteris te nosse Deum, factis autem negas. Non rectè planè; sed impiè linguam Christo, animam dedisti diabolo.*

Ita, ne discedam à Calvino, Luthero, aliisque ejusdem farinæ hominibus, linguam dant Christo dum eum & mente & voce fatentur & prædicant Salvatorem; at animam dant diabolo, quia opera non dederunt CHRISTO, nec Fidem, quam amabat Charitate animatam; sed mortuam.

Certè si mulier Hemorroissa (de qua initio mihi quæstio) salva fuit à sua fide; Salva, inquam animo, ea quoque viva fuit: ut enim rectè D. Augustinus: *Hæc Fides spe nutritur sicut corpus cibo reficitur, dilectione animatur, sicut corpus anima vivificatur.*

Lib. de cogn. vera vitæ, c. 37.

Verùm ut dicamus, quod ex sensu Interpretum dici potest, ac debet: ea Fides potius Fides fuit miraculorum; non autem justificans: fatendum enim Fidem solam interdum satis esse ad miracula impetranda, cùm videlicet referuntur ad ipsam confirmandam; non autem ad illustrandam vitam ejus, quæ miraculum impetrat: Et talis esse potuit in hac muliere nostra; talis etiam in Principe Synagogæ, ad quem CHRISTUS.

Et de Fide miraculorum.

Crede tantùm, & salva erit; Nempè filia, quæ jam vivere desierat, & quam ex parentis Fide vitæ reddere decreverat Salvator.

Et illa Fides est, quam D. Augustinus appellat, *Fidem sanam*, quæ scilicet sanitatem impetrat, & à Deo quodammodo extorquet. Sed hæc attigisse sit satis; plura qui volet, Bellarminum consulat.

Cont. Pell. ham. Qu. 2.

****

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.



EST ille ludus amabilis Divinæ Providentiæ, ut non priùs suum Iustitiæ locum concedat, quàm suas partes egerit germana illius soror Miseratio, cujus est mortalibus oculis objicere quædam signa, ostentáve impendentium calamitatum; & hoc duas potissimùm ob causas.

Una, ut eas, dum licet, fallant ac declinent. Altera ut si hoc aut nolint, aut etiam non possint; saltem longè ante animo ac meditatione concipiant, sicque accidant molliores. Ut enim veteri fertur adagio: *Tela prævisa minus feriunt*, & *res adversas infregit quisquis prior vidit*, inquit Seneca. Et ita factum videmus, amamúsque jam inde à condito Universo.

In prima Mundi infantia, cùm à suo scelere, fratrisque cæde exul fugisset Cain, *posuit Deus in eo signum*, vel litteram (He) vel ineffabile nomen *IEHOVA*, ut qui illud vidisset, eum non interficeret. Ecce, etiam ut in fratricida visitur Dei miseratio, ejusque signum, prævium Iustitiæ debitæque ultioni.

In secunda Orbis ætate, priusquam diluvio terram obrueret, perderétque vindex Dei manus; signum in ea extulit: spectandam scilicet arcam, Noëmi opus, & molem prodigiosam, ad quam visendam itare multi, & inde ex Noëmo discere immi-

1. Pet. c. 3. nentes aquas, & fatale terris diluvium, quod impio joco vocitarunt: *Dei patientiam.*

In tertia Mundi ætate, Pharao, rebelle superis caput, & obduratum pectus, unà cum exercitu aquis cinctus, ac mersus; & hoc vindice Dei Iustitia, cui Divina miseratio innumeris prælusit signis, atque portentis.

Denique senescente mundo, & ad occasum vergente sub ipsum extremi Iudicii tempus, *erunt signa in Sole, Luna & Stellis*; veluti prodromi impendentis ruinæ, & communis incendii? adeò verum est hunc Orbem aspectabilem theatrum esse, in quo & primæ partes cedunt Miserationi; secundæ Iustitiæ.

Quod & videre licet in argumento, quod in manibus est, & ipsa Salvatoris quàm

Matth. c. 24. optimi ad Iudæos, dura capita, concione: *Cùm videritis*, inquit, *abominationem desolationis stantem in loco sancto; qui legit intelligat.* Hoc est in ea abominatione, seu charactere, expressa legat impendentia mala, & intelligat, qua ratione ac via declinare possit. Ecce ut Iustitiæ prævia est Miseratio: Utique verum illud Davidis:

Psal. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.*

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Cùm videritis abominationem desolationis.* Matth. cap. 24. v. 15.

QVÆ SIT ILLA ABOMINATIO DESOLATIONIS?

Quæ illa abominatio?



UBET hîc compellere hujus temporis hæreticos, qui Scripturæ sacræ sensum apertum esse volunt, cuique obvium, notumque lippis ac tonsoribus. Lubet, inquam, ex iis quærere, an & hic locus, qui in quæstione est, sit ejusmodi? An apertus, & pervius?

Certè abstrusum esse ac reconditum liquet inde, quòd Sancti Patres, viri doctissimi, qui vitam propè omnem in studiis & Sacris paginis trivere, de eo inter se disputent, nec adhuc conveniant.

An Antichristus? — Lib. 5. contra hæreses.

D. Irenæus opinatur abominationem desolationis esse Anti-christum, qui stabit aliquando in loco sancto, & coli volet ut Deus.

Verùm bonâ veniâ tanti Præsulis, cùm Antichristus non sit Orbi dandus ante extrema illius confinia, de eo intelligi non potest *Abominatio desolationis*, quæ destruendæ Solymæ prævia esse debet; utpotè illius signum datum à Salvatore.

An Idolum?

Cardinalis Cajetanus existimat *Abominationem desolationis* illam esse, quam aspexit Solima sub Antiocho: hic enim ubi eam occupavit, Jovi sospitatori in ipso templo immolavit porcum, immundum animal: & hæc fuit abominatio desolationis; tum quia abominandum sacrificium Idolis oblatum, tum quia animalis apud Judæos immundi. De hoc ita Sacræ Paginæ:

Lib. 1. c. 1. v. 57.

Ædificavit Rex Antiochus abominandum Idolum desolationis super Altare Dei.

Verùm cùm illud factum sit longè ante Messiæ cunas, de illo, hic à CHRISTO sermo esse non potuit; sed de alio, quod deinde essent visuri; ait enim: *Cùm videritis.*

Lib. 4. Comment. in Matth.

D. Hieronymus censet abominationem illam desolationis, fuisse statuam Cæsaris, quam in templo Pilatus erexit.

An statua Cæsaris?

Neque hæc opinio placet, quia Pilatus Cæsaris statuam in templo non posuit; sed in urbem invexit, idque clam, intempesta nocte, & in vexillis militaribus; deinde non stetit nisi ad paucos dies. Pilatus quippè evictus Judæorum precibus vexilla subduxit. Denique hoc ipsum contigerat antequam hæc ediceret CHRISTUS.

An Adriani?

Alii, Adriani statuam ponunt abominationem desolationis. neque hoc probatur: Quia Adrianus Imperator diu vixit post Solymæ excidium.

Ioseph. l. 6. de bello Iudaico, c. 1. — An seditio?

Nonnulli interpretantur de seditione orta sub Floro præside: Zelotis authoribus (ita enim seditionis duces appellare placuit.) Hi in Templum, ceu arcem suæ factioni oportunam, irruperant: & inde in civium cædes erumpebant, sacra limina etiam Sacerdotum sanguine maculantes: quod scelus abominandum dici potuit, & desolatio abominanda.

Verùm neque de ea sola CHRISTUS, ut inferiùs magis patebit.

An Titi imago?

D. Chrysostomus, Euthymius, Theophilactus Titi Imperatoris imaginem in Templo positam, appellari voluerunt abominationem desolationis.

An exercitus Romanus?

Verùm an hæc statua, dirutâ jam, atque excisâ Hierosolymâ, erecta sit in æde sacra, non constat: Certè illius nec Josephus meminit, nec Authores illius ævi, uti notat Maldonatus.

Tract. 29.

Origenes vult abominationem desolationis fuisse Romanum exercitum, qui Hierosolymam obsedit, cepit, evertit.

An obsidio? — De Consensu Evang. c. 77.

D. Augustinus tam obsidionem, quàm excidium, credit à CHRISTO appellata fuisse abominationem desolationis; quod ut in aperto sit, stylo notabo præcipua, quæ eò loci ac temporis vel abominationi, vel desolationi, vel tam huic, quàm illi servierunt, vel denique horum omnium prænuntia.

Prima.

Prima Hierosolymæ obsidio fuit à Coëstio Syriæ Præside, qui eam provinciam pro Romanis administrabat; à quibus dum extrinsecus accrescit malum; majus etiam intrinsecùs. Intestina scilicet dissidia, motus civiles, aperta seditio eorum, quos *Zelotes*, appellabant. A quibus occupato Templo, ceu arce munitissima, in civium cædes, in bonorum rapinas, in virginum oppressiones, in stupra, in adulteria, in Templi profanationem itum est: & hæc dici potuit aliqua pars illius abominationis ac desolationis, de qua Salvator.

Eusb. lib. 3. Hist. Eccles.

Et verò eam esse, seu ex CHRISTI vaticinio, seu occulto instinctu, agnovere Christiani, qui tum temporis erant Jerosolymis, qui inde sese subduxerunt, ut imminenti calamitati ac ruinæ se quoque subducerent, & Pellam venere, Syriæ urbeculam, opportunúmque refugium.

Reliqui autem Judæi, CHRISTO Deóque rebelles, excæcata mente, animo adversus benè monentes obdurato, Jerosolymis remansere, miserandæ urbis incolæ; ad quos deinde alii ex tota Judæa, seu metû obsidionis alterius imminentis, seu ratione Paschalis festi, facto velut agmine convenere, nescii se eò duci tanquam ad macellum, futuras brevi Divinæ Justitiæ victimas.

Nimirum Deus ter Opt. ter Max. qui lento pede ad sui ultionem procedit, fatalem Judaicæ perfidiæ locum diemque notarat: eoque cogebat ex agris, ex oppidis, ex urbibus Judæorum greges, & agmina: ut quos una involverat culpa, una quoque involveret obrueretque Solymæ ruina: & certè obruit, involvitque sub Tito & Vespasiano: Et hæc fuit secunda obsidio, quæ dici potuit abominatio desolationis, & signum impendentis ruinæ, quam hîc præsago spiritu vocéque edicit Salvator.

Secunda.

Tertium signum, quo imminenti calamitati prælusit Divina miseratio, fuit ejusmodi.

Egesippus in Histor.

Ipsa Pentecostes vigilia, sub mediam noctem, cùm Sacerdotes ac Levitæ Templi adita subirent, paraturi necessaria ad sacrificium diei insequentis: Ecce tibi primùm terra concuti motibus insolitis, tremere, ac propè sub pedibus fatiscere; tum appellere pulsareque aures ventorum murmura; imò & turbines, à quibus tantùm non posterni; denique audiri illæ voces ingenti stridore, ac strepitu:

Præsagia varia.

Transeamus hinc, transeamus hinc; Nimirùm boni genii, qui hactenus sacram illam ædem dicatáque Deo tecta incoluerant servarántque, abiturire tum temporis, imò & æternùm abire quàm longissimè;

quia scilicet à Deo suo, debitaque ei reverentia dudum abierat Jerosolyma, relicta jam sibi & justæ Superum ultioni.

Quartum signum irati jam Numinis, & tamen adhuc suspendentis ultricem manum, fuit vox præsagæ ac prænuntia proximæ calamitatis.

Ipso Tabernaculorum festo, die apud Judæos maximè solemni, misellus homo Jesus nomine, Ananiæ filius, ingenio simplici incultoque, natura rudis & agricola, derepentè Templum ingressus, irrumpensque quà data via in confertam populi multitudinem, lugubri, sed horrenda voce inclamare cœpit funestum illud: *Vox ab Oriente; vox ab Occidente; vox à Meridie; vox à Septentrione*; vox utique prænuntia cladis ab omni Orbis parte.

Vox fatalis.

Voces illas primùm jactavit in templo, tum etiam in viis, ac compitis amplissimæ Civitatis, quæ per annos ferè quinque diu, noctuque insonuit, & funestas illas voces sæpissimè audiit, reddiditque non sine stupore, horrore, luctuque civium, ipsiúsque Albini tùm Præsidis: qui tandem impatientià itâque victus, miserum illum homuncionem comprehendi jussit, arctéque teneri, ac cruciari. Verùm inter vincula, libera semper fuit lingua, libera quoque vox, quæ etiam inter tormenta ac cruciatus altiùs insonuit, nec unquam comprimi potuit.

Inde pro amente habitus, ac dimissus, eandem cantilenam ingeminavit ad usque obsidionem Titi Imperatoris, qui valido exercitu Jerosolymam invasit, cinxitque muro, qui longo ambitu stadia novem supra triginta, hoc est, milliaria quinque, caperet.

Obsidio arcta.

Assurrexit ea valli murique moles intra dies tres, nec plures; auctáque, ac munita propugnaculis, seu castellis omninò tredecim: crederes aut bonos genios, aut malos operam manúmque attulisse, ut innumerabilis ille populus quàm citissimè eo ambitu, ceu carcere, clauderetur.

Ubi porrò sic clausus: tum funesti præconis vox, quæ aliquamdiu suppressa fuerat, iterum insonuit, & intonare cœpit mœstum illud: *Væ, væ Civitati; Væ populo; Væ Templo; Væ etiam mihi:* dixitque novissima verba. Nam lapide è funda hostili misso ictus, illicò cecidit, atque interiit; Sicque præcentor habuit quod cecinit exitium.

Interea Solymam occupat obsidio, occupavitque menses omninò quinque, videlicet à decima quarta Aprilis ad octavam Septembris; quibus extrema quæque pati potuit, ac debuit infelix populus, quem hinc excedere dira fames, inde cruciare tetra pestis, illinc ferrum laniare, ac discerpere.

Quid enim aliud expectent adversæ Cœlo capita, orcique nil miserentis victimæ? Quæ si paucæ fuissent & raræ, etiam commiseratione dignæ; at densa ceciderunt agmina, immanésque cumuli, quibus universa civitas propè tegi, atque obrui potuit.

Nec mirum in multitudine propè innumerabili, quæ eò loci ac temporis mœnibus claudebatur.

Lib. 6. belli Judaici.

Josepho teste, sub festum Paschatis convenerant Jerosolymis vicies quinquies centum, & quinquaginta sex hominum millia; quo in numero non censebantur fœminæ, puellæ, & pueri, qui viros æquare solent, imò multitudine vincere.

Clades immensa.

Nimirum Divina Providentia, quæ ad scelerum vindictam plumbeo graditur pede, expectavit ad annos quamplurimos, si fortè daretur criminum modus, & opportuna pœnitentia: quam cùm non dedissent Judæi, tandem sese in pœnam explicuit, & hoc sub Paschatis festum, ut quâ peccarant die, eâdem deinde recurrente supplicium ferrent. Quod in filios quoque à parentibus derivatum ex illo fatali voto, & improvida, funestáque hac imprecatione: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.*

Et verò fusus ille Christi sanguis innoxius, ejúsque pœna super illos fuit, & super eorum filios, miserámque sobolem; quam eadem urbis ruina involvit perdiditque, ut vix septima pars illius multitudinis superfuerit.

Ex Josephi aliorúmque calculo, tam viri, quàm fœminæ, & pueri puellæque impuberes, excrevere ad septuagies centena millia, ex quibus relicta tantummodo nonaginta septem millia: reliquos enim partim absumpserat fames, partim sustulerat grassans pestis, partim ferrum hostile conciderat, partim cruces in altum extulerant, eo numero, ut ligna crucibus, & cruces viris, & ipsa terra crucibus deesset.

Cædes innumerabilis.

Quippe, Egesippo teste, diebus singulis quibus tenuit obsidio, in maledictam elati crucem facilè quingenti: justo sanè Dei judicio; quo factum, ut populus ille penderet è cruce, qui Christum Dei Filium, & Universi Servatorem, per summum nefas affixerat Cruci.

Ex iis porrò quos servari placuit & morte eximi, nemo unus fuit, qui servitutem evaderet, ipsâ fortassis morte duriorem, imò & mortem alteram: servitus quippe æquiparatur morti.

Servitus misera.

In hanc venêre nonaginta septem millia, quæ urbe jam capta supererant; hæc distrahi illicò placuit, & mancipiorum in morem divendi.

At quibus inquies? Romanis ne unus omnium venit; adeò enim apud illos abjectum infaméque erat Judæorum nomen, ut illis etiam pro mancipiis uti, censerent indecorum, indignúmque Romanâ, quâ fruebantur, libertate:

Igitur militi nationum aliarum vendi placuit universos. At quo pretio? Certè vilissimo.

E plebeis enim triginta venierunt unico denario; nobiles autem pretio paulò majore; uno quippe denario decem emebantur: vile pretium antiquæ prosapiæ, insitæque nobilitatis.

In quo miraberis æquas Divinæ Justitiæ leges, & in numero parem culpæ pœnam. Dei Filium per summum nefas emerant triginta denariis, & ecce ex ipsis triginta emuntur uno denario; & dum ab exteris nationibus sic emuntur, per Orbem propè sparguntur universum, ut pœnæ testis esset, uti & antè sceleris.

Hic oculum, hic manum, hic mentem siste, mi Lector: & in hac abominanda desolatione specta rationes viasque quas inire solet Divina Justitia, quæ nocentes à tergo sequitur, & premit.

Punitio horrenda.

Erat Jerosolyma totius Judææ caput & metropolis, Urbium princeps, Regum sedes, imò & Dei ter Opt. ter Max. in terris domicilium; modò à suo scelere cinis & bustum.

Erant Judæi, gens olim sancta, populus electus, regale Sacerdotium, Cœli hæreditas, modò gens impia, populus reprobus, abjecta mancipia, stygiique victimæ.

Erat in Judæa Cathedra Moysis, Cathedra Veritatis; super quam malè sederunt Pharisæi, & populum subjectum abduxerunt ad cathedram pestilentiæ: Et ecce vindex pœna, pestis atra, quæ corpora inficit, quia priùs animos infecerat pestis erroris ac falsitatis.

Erat in Judæa, è domo Bethlemitica, id est, domo panis, sparsa spiritalis annona, qua refici possent animæ & probè saginari: at quia hæc illis fastidio fuit, quia nauseabundi eam repulerunt, ideo caninâ premuntur fame, & malè pereunt.

Erat in Judæa sacrum Epulum & mystica Mensa, quâ apponi solebat, edique pio ritu Paschalis agnus; typus utique verioris Agni CHRISTI JESU, qui Judæos inter vixit, ut agnellus inter hædos; à quibus deindè fœdè laniatus & in Crucem actus, & inde Cœlo vindice in Judæos sævitum maximè supplicio Crucis: durante enim obsidione pependerunt è crucibus Judæorum millia septuaginta tria: Et

hoc

hoc in pœnam unius innocentis Agni, hoc est, Christi, quem in Crucem tolli infandis clamoribus postularant.

Ecce quàm ferax in pœnam est Divina Justitia; quam eò loci ac temporis agnovisse visus est Titus Imperator; cùm enim in oculos incurrissent æquata solo tecta, dirutæ turres, incensum Templum, effusus undique sanguis, sparsa humo cadavera, aut pendentia undequaque è fatali ligno erectisque crucibus, denique bustum & cinis amplissimæ Civitatis, tantæ calamitati illacrymans, Cœlúmque suspiciens, sic exclamasse dicitur: Testis eris, ô summe rerum arbiter Deus, quod hujusce stragis ac cædis causa minimè mihi sit adscribenda: Pacem quippe amicam obtuli altámque quietem, & eam non admisit infelix Judæus; sibi proinde ascribat quodcumque inde est malum, non mihi.

Et certè abominandis eorum sceleribus debebatur ea calamitas, quam nisi intulisset hostile ferrum, aut terra dehiscens, aut cœlum tonans & in fulmina dissiliens, attulisset.

Verum discedamus à Judæis: videamus an non extimescenda etiam hoc ævo, etiam Christianos inter, abominanda pœnæ desolatio, cùm sit etiam & culpæ.

Et quidem ut ordiamur à domo Dei, ab aris & personis sacratioribus; An non inter eas *Abominatio desolationis?* An non Simoniæ labes? An non Avaritiæ macula? An non sordes Luxuriæ, & animi in venerem lascivientes? Ita nimirum, *qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora*; velut vertit Origenes: *Enutriti in cocco, sive purpura*, idest, cruore Christi rubricati, sordibus vitiorum maculati, instar scarabei, in stercoribus volutantur. *Thren. c. 4.*

Quod si ab his, ad nobiles ascendam: an non etiam hos inter alti spiritus, & superbia vitæ? An non insignis aliorum despicientia & impudens arrogantia? Et inde etiam *Abominatio desolationis*; quia *abominatio Domini omnis arrogans.* *Prov. c. 16.*

Quod si à nobilibus ad judices declinem, ad rostra & forum: An non ibi subinde præsidet injustitia? An non assidet passio, quæ jura omnia susque deque vertit: Et hinc etiam *Abominatio desolationis*; quia *abominatio Domini est omnis illusor.* *Prov. c. 3.*

Denique si ab his & illis descendam ad institores nostros; si eorum ingrediar officinas: Nonnè & in his sedem quoque fixit iniquitas? Nonnè fraudes & doli? *Pondus & pondus, mensura & mensura: utrumque est abominabile apud Deum.* *Prov. c. 20.*

Denique si veniam ad fœmineum mollemque sexum: Nonnè & hîc Cupido regnat & Venus? Nonnè impuri ardent amores? Nonnè quæstus exiguntur meretricii? Et hinc etiam *Abominatio desolationis.*

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad eadem verba: *Cùm videritis abominationem desolationis.*

QUID MYSTICE ET MORALITER sit ea abominatio desolationis?



Divus Bonaventura qui mystico sensu delectatur, & à littera nonminus piè, quàm liberè transit ad mores rectè formandos, distinguit abominationes duodecim, quas in tres classes partitur, ac dividit.

PRIMA CLASSIS ABOMINATIONUM.

Dom. 24. post Pent. Serm. 1. In hac, *prima abominatio erit quando senes erunt sine prudentia*, ut Danielis ævo impii illi senes, qui castæ Susannæ, & insidias posuere, & calumnias, & exinde etiam mortis sententiam, nisi eam excussisset & justum Numen & providus Daniel. *Cap. 13.*

Secunda abominatio erit quando Christiani erunt sine Fide; & licèt hac prædin: at ita virtutibus vacui, ita vitiis obruti, ut eâ carere penitus videantur: *Ore* quippè *Deum confitentur, & factis negant*, & hinc ipsis infidelibus deteriores esse convincuntur.

Tertia abominatio erit quando populus erit sine dilectione, & surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum: & in se mutuis odiis exardescent, contra ipsum naturæ legem, & cœli pacta, quæ amicitiam volunt & probant, & blandam populos inter animorum studiorumque consensionem. *Lucæ c. 21.*

Quarta abominatio erit quando divites erunt sine misericordia; ut olim dives epulo, qui Lazaro ad fores jacenti, & famelico ne de micis quidem, quæ cadebant de mensa, providere voluit; cui similes & alii, qui *permittunt mori fame vicinos suos etiam de his, quæ dant canibus, & porcis*; similes & illi, qui sibi ipsis thesaurizant; & non Deo; utique *divites hujus sæculi*, sed *non divites Dei.* *Sic enim est qui sibi thesaurizat, non est in Deum dives.* Verùm ut sibi & mundo videatur; at Cœlo pauper, & stultus; ad quem etiam illud Servatoris: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ parasti cujus erunt?* *D. Bonav. supra.* *1. Timot. c. 6.* *Lucæ c. 12.*

SECUNDA CLASSIS ABOMINATIONUM.

Et hæc quatuor abominationes includit, quarum Prima erit *quando juvenes erunt sine reverentia*, vel erga parentes, vel erga seniores, qualis olim fuit impudens Cham, quem ebrium appellat D. Ambrosius, ut *qui neque præternam generationis gratiam, neque præsentem reverentiam patris, neque futuram pœnam paternæ injuriæ consideraret.* Si enim considerasset, neque lasciviente oculo patrem aspexisset, neque irrisisset: *Neque enim ridendus, sed verendus est pater.* Tales etiam olim Israelitæ, qui Samuelis senectutem minimè reveriti, sic ad illum aliquando: *Ecce tu senuisti, constitue nobis Regem.* *Lib. de Noë & arca, c. 31.* *1. Reg. c. 8.*

Hæc illi ex contemptu venerandæ senectutis: neque enim adeò decrepita erat Samuelis ætas, ut impar esset regendo populo; sed hic novorum amantior erat, & fastidio quodam senectutis ad juniorem Regem aspirabat. Illum porrò dedit illi Deus; sed suo malo. Ut optimè ait S. Cyprianus: *Excitavit eis Saul Regem, qui eos gravibus injuriis affligeret, & per omnes contumelias, & pœnas superbum populum calcaret, & premeret, ut contemptus Sacerdos de superbo populo ultione Divina vindicaretur.* *Epist. 28.*

Secunda abominatio erit *quando pauperes erunt sine humilitate*: hos omnes culpæ reos arguit mundus, & Deus ipse odio habet; ut qui pugnent cum suo statu; imò cum seipsis: paupertas enim demissionis est amans, ac veluti germana soror, & prodigio simile videri debet pauper superbus; de quo & illud cum stomacho Deus ipse:

Tres species odivit anima mea, & aggravor valdè animæ illorum: *Eccles. c. 25. v. 3.*

illorum : Pauperem superbum , Divitem mendacem , Senem fatuum.

Tertia abominatio erit *quando mulieres erunt sine verecundia.*

Est verecundia princeps boni operis , & mater honestatis, ut inquit Ennodius. *Dist. 5. 2.*

Est *Virtutis color*, ut rectè Diogenes apud Aretium.

Est *Veluti quadam natura vestis*, quam si mulier induerit , nollum admittet scelus ; si exuerit , in omnia vitia præceps ibit. *Mulier nunquam labetur* , inquit Clemens Alexandrinus , *si & verecundiam & vestem ante oculos posuerit :* At si deposuerit , primùm oculo peccabit liberiore , & aspectu inverecundo ; deinde animo concipiet fovebitque impuri amoris notas , speciesque altè impressas ; tum etiam exardescet igne venereo , & insanæ cupidinis flamma ; denique excusso unà cum pudore Dei timore ac reverentia , in omnia peccata prono labetur impetu , & casu sanè abominando. *Lib. 3. Pæd. c. 11.*

Ita lapsæ quondam filiæ Sion , in quas illud Domini fulmen Isaiæ voce:

Cap. 3. v. 16. *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion , & ambulaverunt extento collo , & nutibus oculorum ibant , & plaudebant , & composito gradu incedebant , decalvabit Dominus verticem filiarum Sion , & Dominus crinem earum nudabit ;* Quia priùs nudarunt frontem ingenui pudoris velamine , & nobili ac regio verecundiæ charactere , quem in eo scriptum Natura , Ratio , Deusque voluerat.

Quarta abominatio erit *quando Matrimonium erit sine continentia ;* vel quia uxor , aut maritus violata nuptialis thalami fide alienis atque adulteris sese inclinat amoribus , vel quia etiam in conjugio peccat contra honestatis & naturæ leges , ut potius dici possit ac debeat *prostibulum privatum , quam Matrimonium.* *D. Bonav. supra.* Illud porrò facit insanus conjugum inter se amor , de quo sic D. Hieronymus:

L. 1. contra Iovin. *Origo amoris honesta est , sed magnitudo deformis : nihil autem interest quam ex honesta causa quis insaniat. Xystus Pythagoricus in sententiis ; adulter , inquit , & in suam uxorem amator ardentior : In aliena quippe omnis amator turpis ; in sua nimius. Quorundam matrimonia adulteriis cohæserunt ,* hoc est paria fecerunt.

Nimirum ut moderatus conjugum inter se amor efficit ut matrimonium nihil propè à cœlibatu differat ; sic immodicus facit , ut vix ab adulterio distinguatur. Et hæc est prima incontinentia , unde abominabile matrimonium : Altera est cum datam in conjugio fidem aut uxor aut maritus fallit ; quod scelus abominatio quædam est , varias ob causas , easque graves.

Prima , quia matrimonium status est omnium primus , cujus Author idem est , qui totius Universi , Deus , qui primi conjugii fuit quasi paranymphus : *Gen. 1. 2. v. 22.* *Ædificavit* enim *quam tulerat de Adam , in mulierem , & adduxit eam ad Adam ;* & hinc aliæ causæ , *tria* scilicet *bona* , ut annotat D. Bonaventura ; *Honor , Amor , Fidelitas.*

Honor , quia non de pedibus ; sed de costa , eaque vicina cordi , unde etiam *Amor* ; & ab amore quædam unitas ac *Fidelitas* , quam ex eâdem mulieris efformatione petit D. Chrysostomus.

Hom. 22. in Ep. ad Ephes. *Permisit* , inquit , *Deus Adæ , ut sororem suam in uxorem duceret : imò verò non sororem ; sed filiam ; quin adhuc ne filiam quidem ; sed propinquius quiddam filia , carnem scilicet suam ipsius.*

Quod si Adam uxorem ut sororem , ut filiam , imò ut suam carnem aspexit ; certè illi & honorem debuit & amorem . & fidem eandem quam sibi ipsi ; uti & debent alii omnes una eademque matrimonii lege inter se juncti , adeoque & sibi invicem honorem , amorem , fidem ; quæ omnia quia violat incontinentia , meritò dicitur & est quædam abominatio.

TERTIA CLASSIS ABOMINATIONUM.

Continet etiam hæc quatuor abominationes , è quibus :

Prima , *quando Clerici erunt sine honestate , & sanctitate.* Imperatores Augusti in jure Civili , Clericos appellaverunt *Reverendissimos* , quod iis inesset honestas quædam , ac majestas ; imò & sanctitas petita è sacris functionibus : à quibus manavit in leges etiam illud , ut *beatissima ministeria Clericorum* dicerentur , & *beatitudinis honor deberetur Clericis.* *Cod. de Ep.*

Quod quàm verissimum est si nomini vita respondeat , & mores ipsi cum sacro ordine statuque consentiant : at si dissentiant , abominatio quædam sunt , incurrunt enim omnium reprehensiones atque probra , dum & sibi ordinique suo dedecori sunt ; & aliis etiam causa scandali ac ruinæ , vulgique fabula : quod Ivo Carnutensis ait evenisse Rogerio Sacerdoti , qui cùm impuris amoribus sese implicasset , ac polluisset.

Hoc , inquit , *devotarum mulierculurum submurmurat & circumfert curiosa loquacitas ; hoc Eremitarum contristat habitacula ; hoc Monasteriorum , quasi miserando mirantur conventus ; hoc quasi argumentum ad defensionem suarum abusionum subsannando sibi asciscunt quidam Ecclesiarum cœtus.* *Epist. 29.*

Ecce ut omni hominum generi , atque ordini abominandum vel unicum Clerici ac Sacerdotis scelus : nec mirum , quia nimium quantum abhorrens ab ea honestate ac sanctitate , quam insitam illi statui Natura , Ratio Deusque , imò & ipsa vulgi opinio voluit.

Secunda abominatio , *quando Religiosi sine austeritate & abstinentia.*

Theodorus Studita notæ Sanctimoniæ vir , aiebat Religiosos omnes habendos esse Martyres ; & ita S. Gregorius Nazianzenos Basilium magnum appellavit *Martyrem* : quippè *devota mentis servitus immaculata quotidianum Martyrium est* , ut verè , graviterque S. Hieronymus. *Cathec. 10.* *Orat 20.* *Epist. 27.*

Et verò an non ille Martyr qui carnem ciliciis , quotidianisque verberationibus edomat ac terit ? Qui jejuniis ad seram noctem protractis affligit ? Qui sæpiùs aquâ , & pane victitat ? Qui totus est in vincendis frangendisque animi cupiditatibus ? Ut olim toti Religiosi , qui ideo mortalibus omnibus amori erant ac venerationi ; ita contra abominationi sunt ii , qui à suo statu , majoribusque degeneres , sub humili cucullo superbum caput , sub paupere veste rudique lacerna mollem animum tegunt , qui divitum mensas ambiunt ac frequentant alieni ab illa austeritate atque abstinentia , quam sectari debet vir Religiosus.

Tertia abominatio , *quando Prælati sine sollicitudine regiminis & Cura Pastorali.*

Dixit olim , & verè D. Bernardus : *Sollicitudo officium Prælati est , non Celsitudo.* Sed , ô malum ! o nefas ! Celsitudinem amant ambiuntque multi & quærunt operosè : at sollicitudinem oderunt , fugiunt , atque aversantur. Ubi enim (ut cum gemitu ait D. Bonaventura) *Ubi sunt Prælatorum orationes ? Ubi lacrymæ ? Ubi vigiliæ ! Ubi subsidia viduarum , & pauperum ?* Ubi sedula animarum cura ? Et hanc , & illa requirit sollicitudo Pastoralis , & ista omnia dedêre boni Pastores. *In Sent.* *Supra.*

D. Basilius , quem S. Gregorius Nazianzenus , *Publici & communis boni procuratorem & præsidem* appellabat , id unum intendebat , ut gregi suo , ut animabus sibi commissis esset quàm optimè : quod ipsum & alii fecere ; & nisi feceris ipse , qui Pastor es , idolum es & non Pastor. *Orat. 20.*

Quarta abominatio , *quando Domini terrarum sine amore subditorum , & sine misericordia.*

Principes , ut ait Trismegistus , *Dei* (qui totus *Stobæus.*

amor

amor est, & fons omnis boni) *defluxus* sunt: quia ut hic in omnia influit sua bonitate; sic & illi.

Principes sunt publici parentes Civitatum & gentium, ut rectè Philo: qualis ergo parentum in filios amor, talis Principum in subditos: quod si is non sit, necessum est ut Principis nomen exuant, & induant tyranni, quod immanis quædam est abominatio. Plura de his abominationibus non addo, quia apud Autbores erunt satis obvia.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Qui in Iudæa sunt fugiant ad montes.* vers. 16.

AN ERGO SALVS IN FVGA?

INTERPRETES nonnulli, ut supra attigimus, per abominationem desolationis intelligi credunt peccata; ea maximè quæ honestati adversantur: ut sunt fornicationes, adulteria, stupra, incestus, quæ tum temporis ab omni propè genere hominum usurpari solita, eoam à Sacerdotibus inter Aras: adeò nullus locus ab ea abominatione liber, ne Templum quidem, & Aræ Deo sacræ.

Venus

Ne porrò innoxiæ quædam animulæ eo quoque malo involverentur, opportunè monet Salvator optimus, ut qui in Judæa, seu libidinis sede, seu vanitatis emporio, sunt, ex ea fugiant ad montes, & in illis puriorem aërem ad animæ bonum hauriant.

Fuga vincitur.

Et meritò sanè fugam suadet cœlestis Magister, quia salus in fuga est; & in eo pugnæ genere, fugisse, est vicisse.

Quod quia ad salutem, ad beatitatem magni est momenti, ideo paucis erit à nobis demonstrandum.

Libido & impurus amor, quo cum homine certamen: torrens est, qui repentino defluit impete; fluvius est alveo exundans suo: imo mare est suis effusum liminibus; cui fixo gradu obsistere velle, est velle perire.

Celtæ (ut scribit Nicolaus apud Stobæum) *inundatione externi maris adventante armati occurrentes sustinent, donec undis obruantur, ne videantur fugiendo mortem pertimescere.*

Celtis similes è Christianis plerique, ad quos appellunt socii pravi, mulierculæ leves, garrulæ, concinnæ, effrontes, species oris venusta & amabilis, aliæque oculorum illecebræ, & libidinis incitamenta, ceu externa maria; quæ sustinere se posse dum credunt, illis involvuntur & pereunt: non periissent si fugam cepissent, & se illis peccandi occasionibus, ceu undis sequacibus, eripuissent.

Exemplo

Verùm quia temerè audaces esse, & videri voluerunt: ideo evirati victique sunt; non fuissent, si audissent illud D. Cypriani ad Clericos: *Estote timidi, ut sitis intrepidi.*

Lib. de fuga Cleric.

Josephi,

Ita timidus olim fuit Joseph, qui à domina ad libidinem incitante fugit, ut salutem animamque in tuto poneret: De eo sic eleganter Basilius Seleuciæ Episcopus:

Hom. 2.

Tenacibus manibus retentam permittens vestem, libidinis effugit ansas; fugâ usus pro armis. Tradit vestem, ut temperantiam teneat; nudatur veste, ne nudetur temperantia.

Ita deinde fugit invictus Athleta Christi D. Hieronymus: qui hæc ingenuè de seipso:

D. Hieron.

L. advers. Vigilant.

Fateor imbecillitatem meam, nolo spe victoria pugnare, ne perdam aliquando victoriam.

Si venus, si cupido, si speciosa forma; si alia libidinis monstra incurrerent: adversus ea depugnandum sibi non censebat D. Hieronymus; nec stataria pugna resistendum, nè spe victoriæ, victoria excideret.

Ita denique fugit D. Augustinus, experientiâ sic doctus in eo pugnæ genere, paucos stando vincere; plurimos fugiendo hostem superare. D. August.

Hinc illud in posteros monitum emisit: *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* In 1. ad Cor.

Nimirum ut disertè Gregorius Nyssenus: *Victrix est fuga.*

Hinc eam impensè Christianis suasit Gentium Apostolus, dum ait: *Fugite fornicationem*; non dixit abstinete à fornicatione, sed fugite: ut scitè notat D. Chrysostomus. Fugiamus ergo: primum declinando occasiones, & ea consortia, quæ nos ad eam ducere possint. Pauli monito.

Fugiamus deinde à nobismetipsis, tanquam ab hoste domestico malè metuendo.

Fugiamus fornicationem *tanquam sequentem: quæ non post, sed in nobis sequitur*, inquit D. Ambrosius, hoc est: *Nosmet videamus diligenter; ne dum illam fugimus, nobiscum eam portemus.* L. 1. de Pœnit. c. 14.

Fuit aliquando inter Religiosos Fratres Ægidium, Ruffinum, Juniperum, & Simonem Assisinatem mota ea quæstio, quod esset præsentius, atque opportunius remedium, ubi aliqua carnis, ceu hostis ingrueret tentatio. Itum in diversas opiniones, è quibus

Prima Simonis hæc fuit: Ego, inquiebat hujusmodi peccati turpitudinem considero, & sic facilè quod ab illa malum est, evinco. *Wadingus Tom. 1. Annal Min. Anno 21.*

Altera Ruffini fuit, eáque ejusmodi: Ubi primas ab hac malefica (sic carnem appellabat) suggestiones persensio, tum me pronum in terras abjicio, nec inde surgo donec aut Virginis opem, aut Dei præsidium ab oratione sensero.

Postrema fuit Juniperi, qui pronunciavit facere se quod milites, quod duces assolent. Ubi in oppidum malè munitum irrupuerit hostis, primùm in arcem se recipiunt, & quidem celeri fuga; tum ostia claudunt, & hostem excludunt; nec pedem pedi, nec manum manui conserere audent: quia & fuga tutior, & salus in arce est, ostiisque probè occlusis.

Sic ego, aiebat Juniperus, cum primùm adventantis tentationis strepitum persentio, in cordis arcem me recipio, ostium claudo, firmóque, obducto pessulo amoris Dei, obvalloque melioribus desideriis; tum si perversæ illæ suggestiones ad cordis ostium accedant, intraréque contendant in animæ castellum: *Ego ab intus respondeo ostio minimè reserato: Foris, foris manete, capta est arx, atq; ab alio jam occupata, recedite, & procul hinc abite.* Recedunt porrò illæ, & desperatione abactæ abeunt quàm longissimè.

Et hæc Juniperi sententia fuit, cui subscripsit B. Ægidius, qui & ipse censuit in hoc pugnandi genere victoriam, salutémque non tam in congressu esse quàm in tentationum, occasionumque fuga.

Verùm, inquiet unus aliquis, fugere ut maximè velim, subinde non potero, vel enim domi est petulans muliercula, vel etiam si voles in cubiculo, in cellula mea, in intimis penetralibus. Quid igitur consilii? quid remedii?

Paucis excipe, & vel unico exemplo disce impurum ignem puriore vincere. Ita vicit olim B. Joachimus Propheta, Abbas Coratius, & Fundator Congregationis Florensis in Apulia; qui ejus fuit sanctitatis, ut cum Monasterii extructoribus vinum deesset, in illud aquam vertit.

Henriquez l. 2 Dist. 14 c. 2.

Viderat forte petulca mulier beatum Virum à Rogerio Siciliæ Rege visitari, atque in gratia, & honore haberi; viderat, inquam, & inviderat; imò ut hypocritam probaret, etiam spoponderat, eum se ad venerem illecturam: quod ut faceret ad ejus cellulam venit, & quà precibus, quà lacrymis, quà lamentis, & muliebri ejulatu in cellæ intima fuit admissa: tum hic animum, tum libidinem explicare, tum lectulum, illius utique sedem expetere. Enimvero, inquit, Vir sanctus, dabitur lectulus. Nec mora, è carbonibus accensis, qui ad caminum ardebant, lectum ille parat, sternitque sibi, & primus in illo sese insternit, ac decumbit; tum meretriculam illam invitat, ut parte altera igniti illius lectuli procumbat non invita. Ubi enim aptiùs quàm in igne, igneo que toro jaceat libido, venusque quæ & ipsa quoque ignis est?

Hic primum stupere illa; dein hærere, tum in lacrymas, in gemitus solvi, tum pectus tundere, séque ipsam damnare; maximè cum vidit Joachimum innoxiè in carbonibus cubare, & volvi, non secus, ac in rosis, violisque. Abiit igitur alia penitus à seipsa, insignémque beati Præsulis castimoniam demirata, Rogeno Siciliæ Regi gesta narravit, de vita prius malè acta pœnitentiam egit, & in Venusiæ monasterio probè inclusa piè diem suum obiit.

Sed objiciet illud quispiam alius, ut mulierculam contubernalem, ut domesticam lenam etiam igne domem, & vincam: at repentinum, atque inopinatum alterius incursum, fortè nec frangere dabitur, nec retundere. Imò verò dabitur etiam ejusdem si voles ignis objectu.

Ita certè retudit, fregitque D. Franciscus Assisius. Huic in Ægypto commoranti, in ipso, quo exceptus erat hospitio, occurrit impudica mulier, atque ad vetitos concubitus excivit. Cui Vir sanctus: Perplacet, inquit, sed ea lege, ut ipse mihi lectulum eligam, mihi sternam ipse. Placuit oblata conditio, quam ut impleret Vir Dei, posita paupere lucerna, baculo, qui forte erat in manibus, è camino proximo carbones educit, totàque pavimenti areâ spargit, tum iis sese insternit, incumbitque, ceu molli lectulo. Tum etiam hæc ad mulierem, breviter quidem, sed nervosè:

Wadingus in Annal. Minor. Tom. 1. Anno 12.

En meus lectulus. Quis enim alius? eo certè dignum est facinus quod petis, quod amas; ideóque ego ipse mihi hunc ignem eligo, utique ut tuos evadam ignes, tua declinem incendia. Melius enimvero, melius mihi erit hoc igne torreri, quàm æterno: ignis igne vincendus erat, & igne meliùs extinguendus, quàm affusa copiosiùs aqua. Quid hic impudens meretricula? quibus oculis aspexit? qua fronte tulit? quo animo excepit audax illud, & novum Francisci facinus? Unque quàm æquissimò. Cœpit enim primùm expavescere, & horrere ad insolitatum tantæ virtutis spectaculum, tum illud demirari, atque amare, tum etiam imitari, & sequi, seque ipsam, suósque ignes damnare; tum denique ad Sancti pedes supplex, ac venerabunda accidere, veniámque delicti impensius rogitare. Sic vetitæ cupidinis ignes, non in seipso tantùm; sed & in alia extinxit Franciscus.

At, inquies, non mihi tantum est animi, tantum virtutis, ac roboris. Non abnuo: at saltem aliquid illi suppar ex te requiro, ut si corpori hunc ignem non supponas, animo saltem & cogitationi alium subjicias, dicásque tibi hæc in aurem. Age anime si Veneris hic ardes igne; at etiam æternùm aliò ardebis igne; age modò, & si potes facinus aude. Enimvero non audebis: *Quis enim ex vobis habitabit cum ardoribus sempiternis?*

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* vers. 17.

AN ERGO NUDO SALUS? Vestibus onusto periculum?

BENE monet Servator optimus, præcipiti fugâ ponendam esse in tuto vitam; nec aliquid è domo quærendum, ubi unica quærenda est salus: quippè tam subita, tam repentina erit Romanorum irruptio, ut satius omninò videatur nudum elabi, quàm veste tectum ab hoste cingi, teneri, communique calamitate involvi. Et hæc interpretatio litteræ favet; ea, quam subjicio, spiritui & moribus rectè formandis.

In hac vita sumus veluti misselli cives in urbe obsessa: cingit enim nos mundus, cingit & animam caro, ceu hostis domesticus; cingit & dæmon, emissus atra de stryge adversarius. Unde vita; Unde salus? Unique in fuga. At quid oportunum fugæ? Utique & nuditas: qui enim veste cinctus est, habet unde teneatur & malè pereat: Ne porrò sic teneatur & pereat, festinet etiam nudus evadere: Nudus, inquam, si non corpore; at animo nudus, id est, secretus ab omni affectu rerum terrenarum, divitiarum, honorum & ambitiosæ indaginis eorum omnium, quæ mundus stultè deperit.

Salus in fuga.

Nuditas.

Propheta

Propheta Regius divites hujus ævi componit cum ovibus, quibus in morte detrahitur vellus divitiarum, ut sic eo nudi deputentur incendiis sempiternis.

Psal. 40 *Sicut oves*, inquit, *in inferno positi sunt, mors depascet eos. Quàm benè sicut oves*, ait D. Bernardus, *quia detracto vellere mundialium divitiarum, dure pressique,*
Serm. 2 de Verb. Apost. *detonsi, sempiternis nudi deputantur incendiis; mors depascet eos, quia semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem.*

Hic oculum, mentemque siste, benevole Lector, & illud expende, quod *divites durè, pressique, detonsi sempiternis nudi deputentur incendiis.*

Quàm melius illis fuisset, dum vita manebat probè detonsos fuisse, & abjecisse densum illud divitiarum vellus, quàm sic à morte tonderi, nudari, æternisque ignibus addici; & jurè quidem meritissimo: hæ quippè sunt Cœli leges, hæc Divinæ Justitiæ placita, ut ornamenta divitum vertantur in tormenta: ita versa quondam in divite Epulone, qui dum viveret *induebatur bysso, & purpura*: at mortuus malè exutus est, & flammis indutus: ad quem sic olim aureâ voce Chrysologus:

Vestito mors.

Serm. 66 *Tu dives fulgens quondam purpura nunc tegere fimo, pro coccino vestire flammis, pro molli discubitu sustine tormentorum dura, pro lautis ferculis epulare pœnas, inopiâ compensa ebrietates, sitim digere.*

Hæc è terris ad inferos demisit S. Præsul, ut Epuloni quondam ad similes voces surdo piè insultaret: simulque adhuc viventes doceret benè sapere, dum vita patiatur, divitiasque ceu vestem abjicere: sic ut à profanis aliquid petam, Alexandrum docuit olim Aristoteles.

Volebat enim Philosophus ille principem virtutibus, ceu nativis vestibus, indui; & divitiis, ceu peregrino ornatu, nudari.

Itaque inquiebat datâ ad Alexandrum Epistolâ: *Si te ad bonam frugem recipere cupis, & probis induere moribus, & Regiis copiis & honorum affluentiis nuntium remitte.*

Quod Alexandro Aristoteles; hoc discipulis suis Seneca; quos dum instruit, & nos instruxisse visus:

Epist. 80. *Si perpendere*, inquit te voles, *sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus teipse considera.*

Intus, inquam, hoc est, omnibus aliis nudum, & pecuniâ, & domo, & quâvis dignitate, & omnibus fortunæ phaleris, quibus ubi liber eris, ex vero liber eris, ac tuus.

Ut enim ille ipse Seneca: *Nunquam major est animus, quàm ubi aliena deposuit, & fecit sibi pacem.*

Aliena vocat, quæ eum circumstant, atque ambiunt; qualia sunt omnia fortunæ bona, quæ ubi depolueris, feceris tibi pacem, & æternam quidem.

Ita sibi fecit D. Franciscus paupertatis in paucis amans, qui in oculis Episcopi Assisiensis, parentisque manibus vestem reliquit, ut nudus nudum JESUM sequeretur: Viderat nimirum è Cœli Regia velut elapsum Dei Verbum, ac primum in Virginis uterum; dein in stabulum infantem & pauperculum jacuisse, omnibus propè nudum; ut vel sic ostenderet quæ ad superos esset via, quæ semita ad beatitatem; ea nimirum, quam aperit paupertas, ac nuditas.

B. Nilus cum de innocente Josepho ageret, aiebat: *Relicto in manibus Ægyptiæ pallio aufugit: & egressus est foras, tanquam in virtutis Paradiso nudus ambulans primum parentem nostrum imitatus.*

Rectè dicitur *in virtutis paradiso nudus*, quia plerumque in scelerum barathro vestitus; vestis enim, & qui in ea luxus est, primum à Christiana modestia revocat; dein in vina rapit, & insolentem in ornando corpusculo libidinem: à qua denique in infernum, ut videre est in divite epulone, qui vivens, ac spirans indutus est bysso, ac purpurâ; & mortuus in inferno sepultus est.

Ne porrò sic sepeliaris: tria velim attendas, observesque impensiùs. Primùm ne nimis cupidè, ac tenaciter tua serves; neve nudum, improbè vestitus despicias: ut Lazarum olim dives Epulo.

Alterum quod gravioris sceleris esset atque immanitatis: ne aliena rapias, ut te ipse malè tegas, & ornes: ut enim D. Augustinus:

Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam: putas Serm. 20. de Verb. Dom.
ubi mittendus est, qui invasit alienam? Si cum diabolo ardere habet, qui nudum non vestivit: putas ubi arsurus est, qui expoliavit?

Postremum, quod commendatum velim studiosiùs, est: ut si fortè proximum expoliaris; si aliena per vim rapueris; si nudaris altaria, sacramque supplectilem; teipse iis nudes antequam è vita excedas, amesque etiam nudus jacere in sacco, & cinere.

Ita jacuit olim Henricus Junior, Angliæ Rex, in Patrem primò, dein etiam in superos, ac Deum rebellis. Hic S. Amatoris sepulchrum, & ingentes Ecclesiæ thesauros per summum nefas rapuit; ut iis sese ditaret improbè.

Non tulit inultum scelus, qui Regum vertici imminet vindex Deus; lecto quippè affixit, & ad extrema graviore morbo deduxit, ac tandem etiam sapere docuit: ubi enim sensit ultricem irati Numinis manum, convocans ad se Episcopis, ac religiosis, primùm secretò: deinde publicè culpam agnovit; veniam petiit ac recepit: tum etiam positis mollioribus vestimentis, cilicium induit, & alligato ad collum fune, adinstar rei, sic ad sacros Præsules, virosque religiosos, qui frequentes aderant:

En me peccatorem vobis trado; sic ligandum, trahendumque fune adinstar vilioris mancipii (ex vero quippè scelerum sui, sumque etiam modo, mancipium) agite ergo, ligate, trahite, rapite usque dum mei Cœlum misereatur, & indulgens JESUS: qui etiam latronis misertus est in cruce. Dixerat, & è lecto nudus extractus, in cilicio, ac cinere pœnitens jacuit; supposito capiti, ac pedibus duriore saxo, itaque gemebundus, ac tremens sacro Viatico refectus, in Domini sui timore, ac manibus spiritum emisit.

Et hæc illi ad superos fuit via: & hæc erit iis omnibus, qui alienis malè tecti exuviis, seipsos etiam propriis denudarunt ornamentis.

Atque hæc Evangelicæ historiæ causâ paucis attigisse sit satis: etsi enim uberem de extremo judicio materiam suppeditaret; ea tamen in præsentia abstinendum mihi duxi, quia de eadem fusiùs disputavi in Evangelium Dominicæ primæ Adventus, ad quod studiosum Lectorem remitto, peroque ut hunc Opusculo meo benevolos oculos, animumque præbeat, veniamque donet; si fortè quis error, aut calami lapsu, aut Amanuensis vitio irrepserit; prodesse volumus omnibus, nocere nemini; si hoc & illud assecuti sumus; benè habet: sin minus voluisse saltem, atque tentasse, non improbabitur.

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
QUÆ HOC TOMO SECUNDO CONTINENTUR.

Littera P. paginam designat, C. verò columnam.

A



B

C

Concio-

D

E

F

G

Raymundi

FINIS.